9
4-σ
19

9
18/1 C
34

9-4.0-19

domus professa romana

CHRONICA ECCLESIAE ET MONARCHIARVM A CONDITO MUNDO.

SEBASTIANI VERRONII, PRAEPOSITI FRIBVRGENSIS in Heluetia, S. Theologiæ Doctoris.

Nunc primùm noua methodo elucubrata.

FRIBVRGI IN HELVETIA,
Ex officina Typographica M. Vvilhelmi Maß.

M. D. XCIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

CHRISTIANO LECTORI GRATIAM ET PACEM A DEO PRECATUR SEbaſtianus Verronius D.

TEMPORIS ita conſtituta ratio omnis eſt, vt neglecta ſi ſit, obliuionem rerum obducat; ſin exculta aliquo ſtudio fuerit, ſcientiam, virtutes, ſuiq; memoriam pariat ſempiternam; vt ob id rectè ſentiant, qui quod vita hominis breuis ſit, non naturam propterea accuſant, ſed hominem quanta poſſunt maxima cura ad honeſtatis actiones adhortantur; cum enim, vt Epictetus Stoicus ſcitè notauit, rerũ in hac vita quædam in noſtra poteſtate ſint; quædam minimè; ſit verò extra arbitrium noſtrum poſita vitæ longitudo; non tam profectò temporis breuitas, celeresq; ætatis curſus ſuſpenſo animo, & attonito demirandi ſunt, quàm honeſtatis officijs iam inde ab ineunte ætate danda opera ijs eſt, qui vitæ momenta cum fructu immortali collocata volunt; ſæpe enim breuiore ætate plura nonnulli præclarè facta edunt, quàm qui annoſiſſimã conſequuntur ſenectutem; & commendatur à ſapiente in ſacra ſcriptura, ille qui conſummatus in breui expleuit tempora multa;

eſt enim vera ætas ſenectutis vita immaculata; cum è contrario ſi in vniuerſum longior vita hominum eſſet, moleſtiarum quoq; ſarcina accreſceret, & improborum productior ferēda inſolentia eſſet; quæ verò beata vitæ bona nobis in cælo condicta ſunt, ea multò grauiore cum tædio in ſera admodum tempora eſſent reycienda; nullo interim obueniente temporum meliore vſu, quod vt beatus Cyprianus grauiter admonuit, putandum non ſit, talia eſſe quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ tranſierunt: & cum cernamus cæpiſſe iam grauia, ſciamus imminere grauiora; Quoniam verò vt temporis optimè impenſa vſura bonis quibuſq; vehementer probatur, ita eius cognitio quoque plurimum delectat; ac reperiantur permulti, quorum partim in congerie hiſtoriarum, partim in temporum exacta ſupputatione, & emendatione ſingularis cernitur diligentia; viſum eſt, hiſtoriarum ſumma capita è pluribus autoribus decerpta, ea breuiore via, ac ratione tradere, qua ſuccincte eccleſiaſtica, politica, philoſophica, Chriſtiana, Iudaica, hæretica, ethnica ſuis quæque conſignata temporibus, ſimul omnia, ſeorſimq; ſingula ante oculos proponerentur. Ratio, formaq; rerum ea ſeruata eſt, vt quæ ſub eodem principe Iſraelitico, aut Romano contigiſſent, eodem capite recenſerentur, ſuo loco tamen quæ eccleſiæ eſſent, & quæ rei ciuilis. In temporum ſupputatione, reiectis anxijs ſcrupulis, tutius viſum eſt eorum inſiſtere veſtigijs, qui ad ſcopum maximè accedere videtur. Rerum, & veritatis cura fuit ſingularis; & petita quidem ea ſunt, quantum eius fieri potuit, ex ipſis fontibus, tum ſacræ ſcripturæ, tum ſanctorum eccleſiæ doctorum, & aliorum probatæ fidei hiſtoricorum; quorum propterea in Eccleſiaſticis, & hæreticis loca quibuſq; aſcripta ſunt, ne quam cuiq; de rerum fide afferrent dubitationem.

tionem. Qui porro rerum cuiuſq; ætatis geſtarum pleniorem cognitionem deſiderauerit, eam ab ipſis hiſtoricis & annalibus petat licet; & primitiuæ quidem eccleſiæ à ſanctis patribus, qui de naſcentis, & ſequentis eccleſiæ religione perſpicuè loquuntur; & hiſtoriam catholicæ fidei, licet ſparſim, perſpicuè tamen recenſent, atque confirmant.

SYNOPSIS TEMPORUM.

LIBRO PRIMO.

REcenſentur ætates mundi in vniuerſum; tum ætates veteris, nouique teſtamenti diuerſæ, & eccleſiæ Dei per varios ſtatus perpetua ſeries.

LIBRO II.

CReatio mundi;ætas Patriarcharum;lex naturæ;diluuium;primæ nationũ & regnorũ origines; imperiũ Aſſyriorum; Idololatria gentiũ;primi ſapientes gentiũ;Iſraëlis in AEgypto ſeruitus.

LIBRO III.

IVdices Iſraël ab exitu AEgyptio;lex ſcripta; Sibyllæ pleræq;; ſæculum gentiũ mythicõ;deorum gentiliũ progenies;ætas heroũ.

LIBRO IV.

REges Iſraël;ætas Prophetarum;templum Domini:monarchia Aſſyriorum: olympiades:Roma condita:regnum Medorum: ſapientes Græciæ:captiuitas Iudæorum babylonica.

LIBRO V.

SYnagogæ magnæ ſtatus Iſraël: monarchia Perſarum: ætas philoſophorum; res bellicæ Græcorum: monarchia Macedonũ: regna AEgypti,Syriæ,& Parthorum: potentia Romanorum: Machabæi duces:Latina eloquentia.

LIBRO VI.

MOnarchia Romanorum: IESVS Chriſtus D.N. natus,ſeries eius conuerſationis, doctrinæ, paſſionis, reſurrectionis:eccleſiæChriſti origo & progreſſus:ætas apoſtolorum:primi prouinciarum epiſcopi: itinerarium Petri & Pauli: excidium Iudæorum: origo hæreſum: perſecutiones Chriſtianorum: ætas Martyrum.

LIBRO VII.

ROmanorum imperatores Conſtantinopolitani:eccleſiaChriſti libertate donata:pugnæ Arrianorum & hæreticorum aliorum:ætas Doctorum eccleſiæ:vita monaſtica: cõcilia œcumenica: eruptiones Gothorum,Hunnorum,Vandalorum: inclinatio Romani imperij:regnum Hiſpaniæ:regnum Francorum: regnũ Lombardorum:exarchatus in Italia: Mahometes: imperium Saracenorum:

rum:incrementa eccleſiæ Occidentalis, afflicto Oriente.

LIBRO VIII.

ROmanorum imperatores Germani: quies hæreſum: ſchiſma Græcorum: diuiſio imperij Romani in ſingula regna: regnum Italiæ & Burgundiæ: regnum Vngariæ: regnum Caſtellæ & Arragoniæ in Hiſpania: regnum Neapolitanum: regnum Ieroſolymitanum: regnum Portugalliæ in Hiſpania: ſcientiæ inſtauratæ: imperium Tartarorum: electores principes Germani: imperium Turcarum: imperium Trapezuntinum: autonomia Heluetiorum: reditus hæreſum: literæ Græcæ repetitæ: principatus Moſcouitarum: oppreſſio cum eccleſiæ, tum imperij in Græcia: nouus orbis repertus: imperium Perſarum: pugnæ hæreſum in Occidente: Orientales, & Indi eccleſiæ adiuncti: copia doctorum virorum.

LIBRO IX.

STatus regni Chriſti inter mortales: delineatio futurorum temporum, de Antichriſto, Reſurrectione mortuorum, & Iudicio extremo.

LIBRO X.

ELenchus principum: Iudicum Iſraël: regum Iuda: principum Synagogæ: ſummorum pontificum Romanorum: imperatorum & regum Aſſyriæ, Mediæ, Macedoniæ, Syriæ, AEgypti, Parthię, Perſiæ, Turcarum, Romanorum, Græcorum, Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Vngariæ, Poloniæ, denique perſecutionum eccleſiæ Chriſtianæ.

SEBASTIANI

VERRONII

CHRONICORVM
LIBER PRIMVS
De ætatibus Mundi.

PROOEMIVM.

VITAE humanæ ratio cum in orbe terrarum ita cõſtituta ſit, vt ſi homines obſeruemus ſingulos, ad metam perbreuem tendat, ſin continuam omnium propagationem, longiſſima ad finem mundi perpetuitate ſeſe extendat; cumq́; eius dimenſionem certis annorum conuerſionibus dinumeratam tradat Chronologia, erit hæc nihil aliud, quam perpetua quædam & iucunda panegyris, in qua non ſolum cernere liceat, quo quisq́; tempore in vita humana, & totius orbis coniunctione tanquam in publico & maximo conuentu potiſſimum excelluit, verumetiam appareat rerũ, ætatumq́; pulcherrima connexio, ſimul & admiranda viciſſitudo, qua cum hominum, tùm gentium ſtatus, & dignitates ad quaſdam quaſi metas euehuntur, deprimuntur, atq́; transferuntur. Ac illuſtratur ſanè animus ex Chronicorum vſu mirifica rerum in orbe geſtarum notitia, dum, nè quis quæ ipſum præceſſerunt ignoret, maiores ſuos, præcipuè quos in Eccleſia habemus Patriarchas, prophetas, apoſtolos, martyres, epiſcopos & doctores perdiſcit: Eccleſiæ Dei Iſraëlitidis veteris, nouæq́; Chriſtianæ perennem ſucceſſionem, diui-

no ſtabilitam nutu, nullo negotio perluſtrat, rerumq; & imperiorum ſeriem per ætatum omniũ decurſum ſuis deſignatam ſynchroniſmis, tanquam in theatro ampliſſimo contuetur; vndè eos in prõptu ſemper habeat, quorum ad exemplum in virtutis actione vitam omnem inſtituat. Tria vero in vniuerſum genera hominum ſpectanda hoc theatrum producit; primum, quorum virtutis ſplendor eſt maximus, qui in rerum diuinarum cultu, ſapientia, iuſtitia, fortitudine, aut ſcientiis ingenuis ſtudium omne poſuêre ſuum; vel etiam virtutibus lenioribus ornati fuêre, animi demiſſione, & moderatione, bonitate, modeſtia, temperantia, ſtudio rerum gerendarum, ſeu vitæ intra parietes priuatos placidæ agendæ amore: alterum improborum, & flagitioſorum cœtus benè multos, qui vel Dei, hominumque iura violauerunt, vel corporis ſe voluptatibus dediderunt; tertium multò maximum eorum qui diem ex die ducentes, præſentibus tantum ſtudent, qui quo ferantur, quum non attendant, rebus inanibus, & caducis animo, & cogitationibus identidem occupantur. Hæc ſcenæ totius Panegyris eſt, in qua ſapienter decorum ſeruauerint, quorum animo fixum eſt, parêre, & ſequi ſummum Principem, & parentem Deum de excelſo, & ſplendidiſſimo cœlorum throno inferiora iſthæc ſpectantem, contemplantemq;, cuius iuſſu vt corporibus fuerint laxati, velocius in alteram vitæ humanæ ſedẽ, feliciorem illam, cœleſtem, triſtitiæq; omnis expertem peruolent, vbi eſt per ſpem municipatus noſter immortalitate immenſus, gloria cumulatiſſimus, diuina contemplatione beatiſſimus.

CAP. I. Temporum omnium in Chriſto Domino cohærentia, per duo Teſtamenta.

TEmpus eſt omne diuiſum in partes duas, quarum vnam vendicat ſibi teſtamẽtum vetus, à Condito mundo ad filij Dei ſalutarẽ incarnationem; alteram nouum, ad eiusdem aduentum extremum. Hæc enim à veteribus ſemper celebrata diſtributio propterea fuit, quòd diſcerni aptius temporis vniuerſi decurſus non poſſit, quã per il-

per illius admirabilem ad homines aduentum, per quem vt omnia, ſic tempora ipſa producta fuère; quem Prophetica, ob id, oracula ſacri ædificij, Eccleſiæ inquam Dei, lapidem eum vocant angularem, cui vni cùm priſcorum Patrum, tùm Chriſtianorum vera fides innixa conſiſtat; in quem velut gratiæ, dignitatis, ſalutis omnis autorem, & clariſſimum ſcopum reſpiciat Teſtamentum vtrumq;, quum ſit ipſe pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum; qui ampliſſimis vtrumq; exornauit muneribus, qui vtriusq; œconomiam mirifico ordine, & ſapientia cùm inſtituit, tùm in ſe ipſum reuinxit; dum in veteri quidem Teſtamento Abraham eo prouexit, vt Patriarcham eum plurimarũ gentium, & patrem fidei omnibus proponeret; in nouo ex omnibus Petrum legit, quem principem Apoſtolorum, primum fidei Confeſſorem, veritatis Euangelicæ, & Eccleſiæ vniuerſæ fundamentum conſtitueret; quæ fidei propago, vt in ipſum quàm optimè coaleſceret, geminam traducem Patriarcharum in veteri, Hierarcharum in nouo ſempiterna ſerie à primis rerum exordiis ad earum vſq; exitum ita in ſe ipſum aptauit, vt qua ratione Patriarchas ab vſq; Prothoplaſte ad Ioſephum nutricium in genealogia perpetuos habuerat; ad eundem modum Hierarchas, quos Pontifices maximos vocamus, à beato Petro ad poſtremum in officij munere futurum, ſumma autoritate diuinitus inſtructos continua ſucceſſione cernere liceret, qua ratione teſtatum faceret omnibus, tàm à ſeſe proficiſci, & pendêre lineam ſpiritus, quam carnis in ſe olim tendiſſet, vbi ſumma quidem, & ſingularis ipſius clementia cumprimis enituit, quod cum res mortaliũ per homines peccatores adminiſtrandæ veniant, in generis ipſe officiiq; ſeriem peccatores æquè admiſerit atq; iuſtos; nihil vt mirum ſit, inter Pontifices maximos, maximos quandoq; reperiri peccatores, cum né Patriarcharum ſucceſſio grauiſſimis criminibus caruerit; quos ille hominum næuos, qua eſt in nos benignitate, non tam attendens, quam opus, munusq; ſuum, quod omnibus numeris abſolutũ firmumq; exhibet; eccleſiam ipſe ſuã, vt pollicitus eſt, perpetuò adminiſtrat atq; conſeruat: Vt enim apud veteres Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius, quas præſtitit DEVS liberaliſſimè, ita & Petro à Chriſto dictum eſt, cùm de fide, Simon ego rogaui

pro te, vt non deficiat fides tua; tùm de Eccleſia, Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, quod non minus ratum firmumq; eſſe contra Tyrannorum Hæreſumq; ſæuiſſimos turbines, iam pridem longiſſimo temporum tractu videmus.

CAP. II. De Ciuitate Dei, & Sathana inter homines.

SVnt autem, & in veteri, & in nouo Teſtamento, cùm in fide, tũ officio diuerſa hominum inſtituta diſcernenda, quæ bipartitam omninò Ciuitatem conſtituunt. DEI ſummi primam, quam Eccleſiam vocamus, alteram Sathanæ, tenebrarum principis: Et quamuis illa conditorem DEVM habeat, eum quidem qui omnes homines vult ſaluos fieri, omnesq; municipatu illius potiri, tamen ea eſt hominum leuitas, Dæmonisq; malitia, vt legibus illius poſthabitis, cernamus ſecundam iſtam infeliciſſimam vnà excitatam à plurimis frequentari: nam quod ſemel attentauerat Sathanas, ſimilem ſe altiſſimo apponere, id nè à ruina quidem intermittit, ac dum videt filium Dei ſaluatorem hominum inter homines Ciuitatem Dei inſtituentem, quum ſit ipſius acerbiſſimus æmulus, & hominum ſempiternus hoſtis, imitari idem pertentat, hominesq; per apoſtaſiam in aduerſam ſuam Ciuitatem ſeducit, impellitq;: quæ quidem initia, origoq; ſunt impietatis, errorum, & hæreſeon omnium quotquot in vita humana conſpiciuntur, hæc enim iura iſtius ſecundæ ſunt Ciuitatis, hæc eius ſapientia. Porrò vtriusq; ciuitatis, etſi ſtatus & euentus ſit longè diuerſiſſimus, duratio tamen in hoc ſeculo par eſſe videtur, non errorum conſtantia, quæ nulla eſt, ſed nouorum ſubinde malorum coagmentatione. Effecit autem aduerſarius ille hominum, & colluctator non minus violentus, quàm callidus, vt ſeceſſionem homines à Dei ciuitate fecerint tertiò: primùm à condito mũdo, cum pietate exoſa, Cain cum poſteris ad impietatem prolapſus eſt, deindè à reparato per Noah mundo, cùm Cham infelicis ſoboles idololatriam inuexit. poſtremò verò, à redempto per Chriſtum ſaluatorem mundo, cum per Hæreticos ſunt infiniti errores ſub ſpecie Chriſtianæ veritatis proſeminati, ex quibus quum fides per uertatur,

iuſtus

iuſtus autem ex fide viuat, fit, vt certa pernicies, & mors ſempiterna impiorum ciues, cætuſq; excipiat, ſempiterna verò ſalus & immortalis gloria penes eos vnos conſiſtat, qui intra cætum & concilia ciuitatis Dei, Eccleſiæ inquam Catholicæ ſe continent, eiusq; parent legibus.

CAP. III. De tripartita legis ætatibus.

QVanquam ſummi conditoris omnia & vi conſiſtant, & lege nutuq; gubernentur, tamen homines eius condidit excellentiæ, qui non tam impelli ad quiduis agendum, quàm ſpontè duci deberent, quum vt ait Apoſtolus ipſi ſibi ſunt lex: principio itaq; legem Naturæ hominum mentibus inſculpſit, cuius ductu quid faciendum, fugiendumuè eſſet, intelligerent ipſi, iuuante DEO, præſtarentq;. Qua parentum primorum partim lapſu, & prauis cupiditatibus vitiata, partim longiſſimis temporibus obtenebrata, ſecundo legem literæ ſuo ipſius digito tabulis lapideis inſcriptam, & mangni Moſis, ceterorumq; prophetarũ libris proditam edidit, quæ tamen ob imperfectionem fungebatur prædagogi duntaxat vice, quoad plenitudo temporis diuinitus prefiniti ſummum & abſolutiſſimum legislatorem Chriſtum aduceheret, qui quidem tertio Legem Gratiæ & ſpirtus, ſuo ipſe ſacro ore deprompſit, tanto ſanctiorem & perfectiorem, quantò qui eam ſanciebat longè omniũ perfectiſſimus eſt, & benigniſſimus; quippe qui non legem preſcribat modo, ſed etiã ad ipſam perficiẽdam vires, preſidiumq; mirificè conferat; ea eſt autem ſacra Lex, quæ homines non leui et humana coniectatione, aut viſionum inuolucris, ſed ſpiritu DEI planè & perſpicuè de DEI placitis & voluntate, de miſteriis diuinis, & in ipſa diuinitate reconditis inſtituit; quæ gratia cœleſti pectora imbuit, ſpiritum ſanctũ cõfert, qui & fidelibus ipſe ſingulis æternæ hæreditatis pignus inditur, eccleſiam vniuerſam, in omnem veritatem inducit, in eaque firmat, conſeruatque. Porrò primæ legis, quæ per naturam eſt, adminiculis pagani viuebant, & Philoſophi rerum abſtruſa indagabant; Literæ Lex, qua Iudæi gloriabantur ſynagogæ doctrinam peperit. Euangelica verò lex quæ Chriſtianorum eſt propria, lumen

fidei & doctrinā ſacroſanctæ Theologiæ diuinitus aperuit. Nec verò caret admiratione, quod de eccleſiæ gradibus, & amplificatione per has legum ætates ſacris literis proditum eſt, fuiſſe nimirum Naturæ ſæculis, tam arctos eccleſiæ limites, prçſertim poſt idololatriam à diluuio introductam, vt non amplius quam vnam domum et familiā veri viuentisq; DEI cognitio illuſtraret, cęteris mortalibus errorum labyrinthis miſerè excæcatis & perditum euntibus; ſub lege Moſis deindè ad fidem cultumq; Dei aſſumptum eſſe populum integrum, in quem magni Abrahami ſoboles excreuerat, Iſraëliticum nempè, qui tamen nè ſic diu totus ſtetit in veri DEI agnitione, dilapſa maiore eius parte ad idolomaniam, tandem placata Dei ira per mediatorem Dei, & hominum Chriſtum, Apoſtolos, vt Euangelium omni creaturæ prædicarent, emiſſos eſſe, tumq; ſpirante aura cœleſtis gratiæ nauigium Eccleſiæ plenis velis cœpiſſe orbem vniuerſum permeare, vt Iudæos, Latinos, Græcos, Barbaros, atque gentes omninò omnes fidei, ſalutisq; finibus exciperet, qua ratione repleta tum demum eſt terra ſcientia Domini, vt Iſaias prædixerat.

CAP. IV. *De ætatibus mundi ſeptem.*

INterea non idem hominum, rerumq; ſtatus ſemper fuit, interuenerunt enim viciſſitudines permagnæ, & memorabiles, quæ omnem temporum conuerſionem in ſuccinctas diſpeſcunt ætates, quarum ſeptem ferè celebriores obſeruatæ ſunt; Prima creationis eſt Adami prothoplaſtis à condito mundo, quæ dum eſſent omnia viuaciſſima, nec corruptus adhuc naturalis rerum vigor aut debilitatus, homines annoſiſſimos produxit, quanquā non niſi terrę frugibus victitarent. Secunda fœderis, ætas Noah eſt, qua poſt diluuium Deus nouo ſibi fœdere homines deuinxit, quibus poſthac ad firmandas naturæ vires carnium & animalium eſum, viniq; potum conceſſit; Tertia promiſſionis, cum Abrahami peregrinatione cœpit; tū enim promiſſus eſt adfuturus ex Abrahami ſtirpe ſaluator, qui hominē etiam interiorem renouaret, ac inſtitutū eſt fidei inter credentes ſignaculum circumciſio. Quarta Legis latæ cum Moſe incœpit. Quintam Dauid rex inchoauit, cum arcam Dei intulit in montem Sion, quæ à templo paulò poſt exſtructo nomen ſortita eſt, & per Regū ſe extendit

dit ætatem. Sexta inclinationis eſt ſub Babylonico exilio, & [illegible] gæ ſtatu; ex eo enim tempore res antiqui populi ſenſim coll[illegible] eſt. Septima reparatæ ſalutis, requiei, & ſpiritalis Sabbathi benefic[illegible] Filio Dei incarnato complectitur; à quo hominum genus, reconci-liato æterno Deo, ad capeſſendas res diuinas perfectè inſtauratum, in ipſius vnius Chriſti Domini & Saluatoris noſtri gratia, præceptis, & promiſſis fidenter acquieſcit, & oblectatur. His octaua demum ſuccedet illa ſempiternæ beatitudinis ætas, cum in futuro ſæculo ſancti, & iuſti, immortalitatis gloriam adepti, ſummi boni, deificæ viſionis pleno contuitu in omne æuum potientur.

CAP. V. *Sanctorum veterum ordines.*

VT non eadem temporum, rerumq; , ita nec ſimilis ſemper ſanctorum hominum ratio, dignitasq; fuit; nam qua eſt plenitudine gratiarum Deus multiplex, & inexhauſtus, ordines ſanctorũ, qui Eccleſiæ ſunt lumina illuſtria, variè attẽperauit pro ætatũ ratione. Primus & quidẽ antiquiſſimus Patriarcharum eſt ordo, tantò vitę integritate & ſanctimonia perfectior, quãto ab integritate prima minus aberat; ac fuêre Patriarchæ fidei non ſolum propagatores, verũ etiam baſes quædam, & columnæ, quibus & poſteritas omnis innixa eſſet, & quorum nomine etiam Prophetæ Deum interpellare cõſueuerant. Secundo Iudices à Deo excitati ſunt, tanta præſtantes laude, vt incertũ ſit, corporis nè an ſpiritus magis excelluerint viribus. Succeſſit tertius ordo Prophetarum, mirabilis ille & ſpiritu Dei imbutus tam vbertim, vt futura vel lõgiſſimis temporum diſſita interuallis, multò antè præſentirent, ac vaticinarentur. Patriarchæ ferè meditationum quiete oblectabantur, & cœleſtium contemplatione: Iudices excellentiam heroicis prodiderunt factis: Prophetæ ſermonis præſtantia, & doctrinæ ſpiritu maximè claruerunt. Meſſiæ ſaluatoris promiſſionem à Deo acceperunt Patriarchæ, aduentum prædixerunt Prophetæ.

CAP. VI. Noui teſtamenti ætates.

REgnum Chriſti, nouum Teſtamentum nuncupatur, quod eſt ſancta Eccleſia Catholica: etſi enim quoad eſſentiã, vetus quoq; Dei populus eo nomine cenſeatur, quod vt nos in Chriſtum qui iam venit, ita in eundem ille venturum credidit, tamen quoad ſtatũ, Iudæis Synagogæ tribuitur nomen, Chriſtianis autem Eccleſiæ propriè, ob excellentem diuinæ vocationis gratiam. Ea verò quatuor potiſſimum differentias ætatum ſubiit, ac principio quidem à Chriſti ſaluatoris natali dum in humanis agere coram viſus eſt, ſimul fides in ipſum, & lex Moſis ad ſalutem adipiſcendam valuerunt: Tum enim baptiſmus Ioannis, & Chriſti Domini doctrina, Apoſtolorumq; baptiſmata priora cum legis pleniſſima obſeruatione citra alterutrius diſpendium ſuo fuerunt in vigore. Deinde poſtquam Spiritus ſanctus vberrima è cœlo doctrinæ Chriſtianæ flumina & firmamenta demiſit, quibus fulti Apoſtolica vox in mundum vniuerſum exereret ſeſe, tùm verò lex Moſaica lætis Euangelij præconiis ceſſit, tametſi non repentè tota, nè qui ad fidei gratiam adducebantur Iudæi grauius offenderentur, paulatim tamen in deſuetudinẽ tota abiit. Ergo vigente ſolo Euangelio hac altera ætate, Eccleſia cũ ex Iudæis, tum maximè ex gentibus longè, lateq; propagata eſt, ac fuit, ſi ſpectemus Sathanæ contabeſcentis, ſatellitumq; ipſius immanitatem, vna omnium triſtiſſima, quòd exſcindendam eam crudeliſſimis perſecutionibus ille decreuiſſet; ſin fidelium communitatem atq; innocentiam animaduertámus, meritò beatiſſimam prædicemus, propter ſanctitatis ſtudium, quo incredibili amore flagrabant Chriſtiani, quod recentia Chriſti Domini facta, dictaq; animo identidem obuerſabantur, & quod elegantiſſimè dixit S. Hieronymus, tũ Domini calebat cruor, & feruebat fides, nulla namq; ætas ad Angelicam puritatem propius acceſſit, nunquam cultus diuinus eſt ſacratior peractus, nunquam ſacramenta maiori veneratione concelebrata ſunt: ac licet ea ob tyrannorum ſæuitiem in occulto, & criptis plerumq; tractarentur, tamen verbum vitæ, & regni cœlorum prædicatio prouincias quaſuis penetrabat, viuebatur inter paganos promiſcuè, ſanctis mutuò modeſtia ſolùm notis, ait Tertullianus,

ſcelera

ſcelera cane peius & angue exoſa erant: rariſſimus in mortale prolabebatur peccatum;ſtudium illis vnum erat virtutum ornamentis operam nauare,imaginem Dei in homine olim vitiatam, nunc autem reſtitutam porrò excolere ac perpolire, ſat laudis præſtantiæq; ſe eſſe adeptos exiſtimare,ſi gratiam & gloriam meruiſſent apud Deum, & charitatis officia proximo cuiuis impendiſſent, qui quidem primæ Eccleſiæ ſtatus,& primorum Chriſtianorum vita fuit: Succeſſit ætas tertia,cum ſublata perſecutionum atrocitate pax Eccleſijs conceſſa eſt,& libertas religionis Chriſtianæ non ſolum immunitate donata, verumetiam laudibus & præmiis propoſitis ad ſummũ florem prouehi cœpit per Imperatorem laudatiſſimum Conſtantinum Magnũ, ex eo enim tempore Chriſti fideles fidem palàm profiteri, proceres ſacri liberè conuentus cogere,reſpublica Chriſtiana,legibus omnia accuratius decernere cœpit, & quamquam libertas hæc repreſſis infidelium terroribus,laxaſſe nonnihil fræna,& de intento innocentię ſtudio atque ardore aliquantum remiſiſſe videretur, tamen ſanctitatis ſplendor mirificus adhuc apud quoſque perſtitit,etſi qui vulgi leuitatem non ferebant,in vaſtas ſe ſolitudines ad vacandum Deo, frequentiſſimis agminibus abdiderũt; tametſi nè ſic libera euaſerat Eccleſia,quod perſecutionum procellas excepiſſent hæreſum concertationes & furiæ,quibus miſerè illa cõcuſſa eſt,& lacerata, fides verò Apoſtolica intereà non minus illuſtrata, quam conſeruata integrè & vindicata egregiè ad ſinceritatem. Quem in modum emenſis aliquot ſæculis,quarta ætas ſecuta eſt,quæ in fidei conſtantia eadem perſeuerat,& Chriſti Domini religionem plenã illa quidem amplectitur, verumtamen vt ſunt res hominũ conſtitutæ,labente paulatim feruore, nec ſanctorum amplius tot cœtus producit, & multis deinceps ſæculis maiorem in modum deſidia torpet, atque vt primam afflixère acriter Iudæi;ſecundam Tyranni pagani; tertiam hæretici; ita geminum malum iſtam poſteriorem fœdat,conficitq;, Orientem Mahometana perfidia,Occidentem ipſa Catholicorum turpitudo,& ſcandala inteſtina;dum ſanctitatis ſtudium apud raros viget, improborũ copia longè bonos ſuperat, friget charitas, exulat virtus, faſtiditur imitatio Chriſti,iacet zelus gloriæ Dei,vitiorum colluuie omnia cõ-

plentur. Quanquam vt Dei beneficentia inexhauſta eſt, ita in Eccleſia ſua nullis non temporibus tales excitat, qui quod arctiſſimè ei per amorem iungantur, magnos in perfectione Chriſtiana progreſſus faciant, vitam ſancta conuerſatione excolant, vitiorum contagionem fugiant, ſectentur iuſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem, certentq́; bonum certamen fidei, vt apprehendant vitam æternã, quod ex Chriſti ore beatus Apoſtolus monet, vt quantumuis peruerſitate ſumma mundus ferueat, tamen nunquam deſint, qui Chriſti Domini iuſſa exprimere & perficere ſingulari ſtudio & cura cupiant, quinetiam his vltimis temporibus Dei ſummo beneficio cernamus in nouo orbe nouas fidei, virtutisq́; ſedes incredibili innocentiæ candore, & ardore pietatis efflorеſcere, & Eccleſiæ incrementa redintegrari. Nec etiam putandũ eſt, ſapientiſſimũ, optimumq́; patremfamilias tantùm ſummo mane, hora tertia, ſextaq́; ad conducẽdos operarios exire: ſed prodit ille etiam nona, atq́; vndecima: quando iam adueſperaſcit, cum calor charitatis minuitur, & lux fidei plerisq́; occidit: ſic enim videmus poſterioribus ſæculis perſpicua vocatione, atque miſſione diuina, diuerſis temporibus excitatos eſſe celebres eccleſiaſtici inſtituti viros, & ordines, qui ſingulari induſtria in vineam Domini ſe conferrent, cœptumq́; à maioribus opus, non euerterent, vt ſolent hæretici, ſed continuarent, perficerentq́;.

CAP. VII. Sanctorum Chriſtianorum ordines.

HAbet verò, & in Eccleſia ſua Chriſtus redemptor per temporum viciſſitudinem diſpoſitos ſanctorum diuerſos ordines, quibus illa non ſolum veluti luminibus latè ſplendentibus toto orbe colluceat, ſed etiam optimè fulciatur & aduerſus hoſtium inſultus tuta conſiſtat, quorum tres ſunt maximè omnium illuſtres: Apoſtolorum, qui, vt olim Patriarchæ, in fidei fundamenta locati ſunt, Martyrum, fortiſſimorum fidei athletarum, & Confeſſorum fidei, virtutum & doctrinæ laude præſtantium, qui etſi eodem ſæpè tempore ſimul plures, mixtiq́; fuêre, tamen habuerunt ſuas quiq́; ætates, quibus præcipuè claruerunt. Prima ergò ętate ſanctiſſimorum Apoſtolorũ ordo per annos centũ excelluit, id enim ſpatij à Chriſto nato beatus Ioannes Euangeliſta emẽſus eſt, quæ ætas vt tempore, ita charisma-

riſmatum ſpiritus vbertate, vi, plenitudine omnium ſuperior fuit: oſtentabat ea Apoſtolos illos ſummi ſenatus Filij Dei duodecim viros admirandos, recuperatæ humanæ ſalutis oculatos teſtes, diuinorum myſteriorum, & commercij quod eſt Patri cœleſti, & Spiritui ſancto cum Chriſto Domino inſpectores, ciuitatis cœleſtis per ſanguinem Agni exædificandæ fundamenta, regni Dei primarios principes: Nec verò iſtos ſolum ſed etiam reipublicæ cœleſtis archigrammatæos Euangeliſtas, quadrigam Domini myſticam, adhæc ſeptuaginta duos diſcipulos à Chriſto ipſo lectos, patricios, viros primarios, & dictorū, factorū, conſiliorū æterni regis conſcios, vt prętereà cæteros cū Apoſtolicos viros plurimos, maximos: tum illorū primos ſucceſſores, qui fidei fundamēta vbiq; gentiū ſolidiſſima poſuêre, & matrices Eccleſias Apoſtolicas præ cæteris hîc, illic, condidêre, inſignes. Hunc alter excepit diuorum Martyrum ordo, ducentorum annorū, quando magnitudine animi, & ſpiritus robore milites inuictiſſimi tā ſacerdotalis dignitatis, quàm politicæ, tàm virilis, quàm muliebris ſexus fidem Chriſtianam à magnis Apoſtolis acceptam, ſanguinis & vitæ perfuſione teſtatam omnibus fecerunt, furentibus tum atroci ferocia Imperatoribus & prouinciarum præfectis paganis, vt eccleſiā impietati illorum ſuccreſcentem extirparent, Chriſtiq; fideles omnes indemnatos trucidarent, rem planè ſtupendam, tempeſtatem illam, & furorem tot myriades abſumpſiſſe hominū ſanctiſſimorum, quibus ex beatæ vitæ deſiderio ſingulis vita hæc vanitas erat, pietas deliciæ, tormenta ludus, cœlum corona, omnibus hic vnus ſcopus, extrema quæq; pati, ſæpiſſimè excruciari, mille mortis genera ſubire potius quàm acceptam Chriſti Domini fidem, amoremq; minis vilis carnificum prodere, ac licet ſuperioribus Apoſtolicis annis, vt & ſuccedentibus fuerint plurimi pro Chriſti nomine obtruncati, tamen hæc vna fuit præcipuè ætas, qua hoſtilis maximè rabies in Chriſtianos deſæuiit. Tertius deindè ordo venit, Cōfeſſorū fidei illuſtriū, qui per trecentos annos partim cœleſtium virtutum laude, partim ſimul doctrinæ admirabilis gloria excelluerunt, in quod maximè tempus Doctores Eccleſiæ ſanctiſſimi veniunt, quorum in aſſerenda, vindicanda, teſtificandaq; ſincera religione, multa ſemper & ſalu-

taris fuit in Eccleſia autoritas, his propugnatoribus tam hæreſium technæ extinctæ ſunt,quàm dogmatum Catholica veritas patefacta, confirmata,atque illuſtrata,vndè ſimul tertium emerſit beneficium, quod dum pro defendendis fidei capitibus,qualia à maioribus acceperant collaborarunt,pariter primæuę Eccleſiæ faciem, fidem, conſenſum ſcriptis ad poſteros tranſmiſerunt. Porrò ſancti Confeſſores etſi principiò ſoli dicebantur martyrio ſuperſtites, videlicet, qui poſt ſuperatos conſtanter cruciatuum,& carceris dolores dimiſſi eſſent,ſic tamen poſterior ætas promiſcuè nuncupauit etiam illos,quicunq; ex vita ſanctè acta nobilem in Eccleſia famam cõſecuti eſſent. Horum igitur ſanctorum Apoſtolorum,Martyrum,Confeſſorũ omnium vna credendi doctrina fuit,idem per omnia fidei pulcherrimus conſenſus, eademq; & conſtans perpetuò religionis ſalutaris traditio,cuius eorum libri teſtes hodieq; locupletiſſimi extant,quos propterea ingentis profectò beneficij loco donauit Eccleſiæ Chriſtus Dux noſter, vt poſteriorum temporum fideles in hac ſtabili patrum beatorum traditione,& fidei concordia perſiſtendum ſibi, acquieſcendumq; tutò nouiſſent,ea enim eſt Catholicorum in Chriſto gloria,fidem didiciſſe & accepiſſe nõ ab hæreſiarcha quopiam, qui ipſe, à quo eam acceperit,neſciat,ſed à parentibus Catholicis, hos à maioribus, maiores ab Eccleſiæ doctoribus, hoſce à diuis Martyribus, Martyres ab ipſis magnis Apoſtolis, cuius illi authorem habuerunt Ieſum Chriſtum,cuius de doctrina æternus Pater ita cœlitus eſt conteſtatus,hic eſt Filius meus dilectus in quo benè mihi complacui, ipſum audite. Hæc illa eſt Chriſtianæ gentis aurea cathena, ſpiritu ſancto artifice concinnata, & quàm arctiſſimè conſerta, hæc hæredum regni cœlorum indubitata poſſeſſio,de qua regius Propheta collætatur,dicens; Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum,ideò exultatio cordis mei ſunt. Quapropter quoties de fide Catholica ſermo eſt,Catholicis cum Chalcedonenſi ſacra Synodo acclamare ſummo Põtifici licet; Hæc eſt Patrum fides,hæc Apoſtolorum fides, ita omnes credimus,anathema,qui non ita credit. Hæc eadem ratio, & via eſt qua per maiorum in fide ſucceſſionem Chriſtus autor, rectorq; noſter Eccleſiæ perpetuò adeſt, ac ducem ſe ſalutis exhibet Chri-

Chriſtianis poſtremis æquè ac primis, vt ipſe ait; Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.

CAP. VIII. Rerum variarum ætates, & viciſsitudo.

EST verò Deus vt magnus in magnis & in mundi totius temporum permutatione, ita in minimis & ſingulis quibuſq; admirabilis, proindè non modo mundo quodammodo adoleſcendi, conſiſtendi, & inclinandi ſuas conſignauit metas, verumetiam ſingulis populis, familiis, hominibus, atque adeò rebus humanis omnibus, quibus ita vſu venit, vt ad ſpectatiſſimum florem virium, opum, dignitatum è minimis perueniant, ac paulò poſt marceſcant iterum, dum pariter alij ex obſcuris, & terræ filiis euadunt florentiſſimi, ad priſtinam fortunam itidem redituri, planè vt tempora, ſic nos mutemur in illis, qua tamen in mutatione quoſdam quaſi ætatis gradus cernere liceat, inprimis regnorum & rerumpublicarum, cuius erunt exemplo res Troianorum, Athenienſium, Macedonum, & Lacædæmonum; Romani profectò populi imperiiq; tam ſunt euidentes & perſpicui, vt etiam annorum paribus ſpatiis profecerint, eius namq; infantia intra cunas ſe continens, vicinos tantum populos laceſſiuit ducentis quinquaginta annis, quibus ſub regibus fuit, quorũ deinde excuſſa tutela, adeptus populus libertatem, per conſules adoleſcentiæ concitatis motibus, totidem annis Italiam ſubegit, tum confirmatis viribus iuuentæ, orbem terrarum agreſſus, eius imperium ſub Auguſti finem, decurſis totidem annis ampliſſimum conſecutus eſt, quo in ſtatu imperium velut in perfecta ætate virili perſtitit temporis pari duratione, ac deinceps à Decij tyranni principatu confectum ſenio inclinare manifeſtè cœpit.

Ita vices natura ſubit, variataq; curſus-
ordinat, ait Lucanus, quod idem aliis regnis euenire palàm eſt, quorum præter famam nihil aliud ſuperat, vt prouerbio ceſſerit apud Propertium.

Quod Thebæ ſteterant, altaq; Troia fuit:

Habuit Luſitaniæ regnum incrementa pulcherrima, floremq; ad mi-

raculum celebrem: pari ratione norunt Heluetij ſua rudimenta, virtutum candorem, fortitudinis progreſſus, gloriæ bellicæ faſtigium, cætera benè vertat Deus. Turcos gentem agreſtem ipſorum annales perhibent miti primum ingenio & humanos fuiſſe ſummaq; integritate præditos, armorum tantum laudis appetentes, qui exiguis ſe limitibus continebant, mox fortiſſimos, potentiſſimos, nunc cum ſummo ſtupendoq; principatu vitioſiſſimos, & immaniſſimos experimur, quæ ſunt etiam aliarum ſub cœlo nationum viciſſitudines, in quibus poſteriora ferè magis ſcatent vitiis, quanquàm virtutes ſemper nonnullæ, apud quosq; ſunt viſæ, vt nec vlla vnquam ætas vitiorum expers fuit. Sed huius inconſtantiæ qua propemodum res humanæ in deterius abeunt, ſingularem ſpeciem dabit quatuor monarchiarum conſideratio, quod de Romana paucis eſt demonſtratum. In ſacris quoque, vt in Pontificum maximorum ſucceſſione, inſignes ætates diſcerni poſſunt, ex iis enim Apoſtolus Petrus ſucceſſores habuit martyres longo ordine complures, ab anno trecenteſimo circiter ſucceſſerunt Confeſſores, ab anno ſexcenteſimo (quouſque ſanctiſſimi omnes & ſinguli fuêre) ſuffectos habemus viros ſapientes, induſtrios, graues, ab anno nongenteſimo deinceps permixtos probis vitioſos, quibus tamen ac ſi omnes mali eſſent, penitus iniqui ſunt ætatis noſtræ nouatores, qui excæcati odio, veras illorum virtutes, & ſacras animi dotes, nec cernunt ipſi, nec cernere alios ſinunt. Idem iudicium eſto de ſcientiarum apud varias nationes ortu, incremento, flore, atque interitu, & vt cætera prætereamus de linguarum barbarie, elegantia & perfectione, qualem videmus non ſolum Latinæ, Græcæ, aut Hebraicæ, ſed etiam cuiuſque nationis vernacularum, quibus is nunc acceſſit ornatus, & ſplendor, quem ſi reuiuiſcerent maiores noſtri, vix ipſi intelligerent.

CAP. IX. *Temporum ſummaria ſupputatio.*

VT breuiter annorum à condito mundo perſpecta ratio habeatur, ſummaria ætatum capita ſunt animaduertenda, ſtetit lex Naturæ bis mille quadringentos ferè annos, lex Moſis ſupra mille quin-

quingentos:ſacroſanctum Euangelium mille ſexcentos circiter, ſed accuratius ita dinumerari poſſunt.

Adami & poſterorum ætas ad diluuium vſquè continet annos 1686.

Noah ætas,& gentium diuiſio continet annos. 368.

Abrahami & Iſraëlitici populi peregrinatio. 430.

Moſis,& Iudicum principatus. 397.

Dauidis,& Succeſſorum regnum. 506.

Babylonicum exilium continet annos. 70.

Synagogæ reſpublica ſtetit ad Chriſtum natum annos. 535.

Ieſus Chriſtus natus anno mundano. 3992.

Romanum imperium claruit ſub Romanis Principibus annos aliquot antè Chriſtum natum,& porrò circiter annos. 300.

Apud Græcos deindè, 500

Apud Germanos ferè. 800.

Viuitur nunc circiter annum Chriſti. 1600.

Mundi autem. 5592.

CHRONICORVM LIBER II.

A CONDITO MVNDO DE PATRIARCHIS.

CAPVT I. De Mundi ortu.

DEVS vnus verus antè rerum,& naturæ huius exortum, antè tempora omnia ab æterno exſtabat, ipſe per ſe eſſentia perfectiſſima, & ſimpliciſſima, intelligentia ipſe ſui ſapientiſſima, amor ipſe ſui beatiſſimus, immenſitatis, luciſq; ſuæ domicilium ſibi ipſe, infinitis intellectibus maius, auguſtiuſq;. Hic cum non egeat vllius, verùm pro ſua exuberantiſſima bonitate, ſummaq; ſapientia ita decerneret, creauit vniuerſa ex nihilo; natura, & temporibus initium dedit, inuiſibiles cœlos, cœleſteſq; ſpiritus ſubalternis nouẽ ordinibus diſcretos, & mundum hunc aſpectabilem, cum omnibus quæ eo comprehenduntur optimè condidit, diſpoſuitq;, nempè cœlum, ſolem, lunam, aſtrorũ ſparſos globos, terram, aquarum abyſſus & ſcaturigines, aërem, plantarum, animantiumq; genera quæcunq;: quæ quidem pro omnipotentis ſuæ clementiæ placitis in genere ſuo ſingula præclara, pulchra & perfecta formauit, ediditq;. Horum, adeoq; omnium quæ vniuerſi ambitu continentur, eſt ipſe prima origo, fons, eſſentia, vita, nec ſolum conditor, ſed ſeruator etiam, & gubernator ſummus, atque perpetuus. Series verò creationis rerum ferè eiuſmodi fuit: creauit Deus primùm omnium cœlos, ſubſtantiæ non inchoatæ, ſed abſolutæ; & elementa terram, aquas, aëriſq; abyſſum: ſupra extimum quoq; cœlum,

lum,loci vaſtitatem immenſam, amœniſſimamq́;, quæ cœlum Empyreum nuncupatur; in cœlis condidit ſpiritus cœleſtes, Angelos, corporis omnis expertes,qui naturæ felicitate tātiſper defuncti ſunt, quoad ſuperbiente,damnataq́; magna eorum parte,pars quæ ſincera perſtitit, in beatitudinem ſupernaturalem aſſumpta, in eaq́; confirmata eſt. Vt verò in creatione naturæ Deus ſuam maximè omnipotentiam exeruit,producendo omnia cùm ex nihilo tùm vno,eodē q́; breuiſſimo momento,ita exornanda ea,& complenda, naturæ eiuſdem poſtmodum ordinem,temporis lapſum ac ſucceſſum obſeruauit; totumq́; vniuerſi opus perfecit ſex diebus, quorum terni corporum cœleſtium,& elementarium diſtinctioni,terni ipſorum complemento,& partium productioni fuerunt deſtinati. Primo itaq; die cœlum luce,ſecundo firmamentum ſeu aër puritate, cum prius nebuloſa, humidaq́; abyſſus eſſet, tertio terra ſiccitate, & germinibus exornata ſunt:deditq́; lux diei ac nocti,firmamentum aquis elementaribus, atque nebuloſis, ariditas terræ & mari,fluminibuſq́; diſtinctionem. Quibus ita conſtitutis,repetito eodem ordine, quarto die cœlum ſole, luna & aſtris, quinto aqua & aër piſcibus, ac volucribus,ſexto terra quadrupedibus,reptilibus,ac hominis prçſidis dignitate completa ſunt. Quo etiam poſtremo fabricæ die exiſtimatur factus tartarus, ac vaſtiſſima intra terræ viſcera vorago, qua tum lapſi è cœlo dæmones exciperentur,igneq́; perpetuo excruciarentur.

CAP. II. De Adam, & Eua.

Rerum quæ ſub aſpectum cadunt, caput & princeps eſt homo, extremus in agro Damaſceno à Deo creatus,corpus è rudi globa formatum eſt,& animus ad imaginem Dei perſimilem effictus ei inditus;vndè illi decor omnis,dignitaſq́; acceſſit: quem ad hūc modum exornatum, imperioq; in animantes omnes dotatum conſtituit in paradyſum, tanquàm ſedem quæ ipſum deceret ampliſſimā, & amœniſſimam, illic coniugem ei è coſta ex ipſius latere deprompta imaginauit,coniunxitq́;,vt ex ambobus prothoplaſtis hominum omnis ſtatus propagaretur De nomine originis dictus vir eſt Adam; nam Hæbreis Adama ſubrufam rerram ſignificat vel humum, vndè

ſumptus eſt, vt homo Latinis quoque ab humo ſit dictus. Mulier notata eſt nomine vita, Eua ſeu Hauah, quod homines progigneret viuos, & viuentium omnium eſſet mater. Atque hi ſunt hominũ quorumlibet primores parentes, ſeu ſceptra quis, ſeu ligonem tractet. tam enim ex humo ducit originem ſplendidiſſimus quiſque, quam qui eſt vel maximè ruſticus, ac mendicus quicunq;, & abiectiſſimus æquè mentem ad imaginem Dei formatam ſortitus eſt, atque reges, & qui honorum, opumq; affluentia excellunt. Vitam duxiſſe Adam putatur, poſtquàm è paradyſo pulſus eſt, in terra ſancta, quæ poſt diluuium Abrahami poſteris diuina promiſſione ceſſit, id quod eius ſepulturæ locus non obſcurè ſignificat: ſepultus enim eſt in Hebron quæ & Cariatharbe dicitur, à quatuor ſummis viris ibi conditis: vel ad montem Caluariæ, vt complures è ſanctis patribus tradunt.

CAP. III. De Eccleſiæ origine.

HOmini Deus ex re vili dedit corpus, vt indignum ſciret, cuius cultui & curæ multùm indulgeret, contra animum ſublimem, dignitate clariſſimum, ortu formaq; diuinum, vt eò impenſius originem ſuam cœleſtē cogitationibus & deſideriis repeteret, Deum quadam agnatione cognoſceret, atque in hoc pulcherrimo mundi theatro diuini opificij contemplator, & admirator poſitus, ex rerum cōditarum eximia concinnitate, elegantia & magnificentia, creatoris admirabilem ſapientium honorificè prædicaret, ipſumq; Deum vt ſummum bonum vnicè diligeret, & vt Dominum vniuerſorũ ſummè reuereretur. Eius itaq; fidem, ſtudiumq; vt experiretur Deus, interdixit ei pomi, medio in paradyſo conſiti, eſu; nam cum conſilia & voluntates eæ, quæ ſunt liberrimæ, longè iis præſtent, quæ externa vi, ac ſeruili impulſione ducuntur, fecit Deus hominem, vt omnium rerum nobiliſſimum, ita arbitrio mentis quàm liberrimum, & planè ſui iuris, ſiuè ad bonum, ſeu malum ferri vellet; hîc cum dignitatem tantam homo non agnoſceret, & verſipellis inſtaret dæmon ſerpentis ſpecie, qui de cœlo iam deturbatus, hominem in eandem calamitatem impellere per inuidiam conabatur, ſuadebatq; pomum citra piaculum edi poſſe; ineſcatus homo rei corpo-

corporeæ illecebris, liberæ mentis lancem deflexit à virtute ad voluptatem, atque antepoſuit bona caduca & breuia immortalibus, terrea cœleſtibus, falſa veris, maioris fecit ſathanæ ſuggeſtiones præcepto Dei, qua ex re in grauiſſimam Dei offenſionem repentè incurrit, & prolapſus eſt in peccatum, quòd è veſtigio ſubſecutum eſt ſtipendium peccati mors, virium naturæ deprauatio, & imbecillitas, morborum, & miſeriarum infinitum agmen, vitæ abruptio, ſeruitus dæmonis, & damnatio ſempiterna, verum enimverò nolens hac hominis offenſa Deus clementiam ſuperari ſuam, ac miſeratus eius imbecillitatem, promiſit ſaluatorem ſe demiſſurum, qui è mulieris ſemine prodiens, oppetensq́; mortem, conteret caput ſerpentis, dæmonisq́; imperium exſcinderet. Huic deinceps promiſſioni Patres adhæſerunt omnes, qui, ſimulq́; ipſorum familiæ in fide & cognitione Dei, cultuq́; diuino conſentientes, Eccleſiæ cætus, nomenq́; conſtituerūt, quæ porrò per poſteros Seth & Enos perpetuò propagata eſt, ac dictus propterea Chriſtus in Apocalypſi Agnus occiſus ab origine mundi, quòd quæ ſimul cum condito mundo cœpiſſet Eccleſia, Chriſti vnius morte redemptionem, ſalutem, & gloriam acceptura eſſet; vndè factum eſt, vt Adam cum poſteris, tametſi è paradyſi colonia in perpetuum exilium truſus, vitam laboribus, & moleſtiis ærumnoſam duceret, tamen ex fide in Meſſiam promiſſum, acciperet ſingularem conſolationem, qua eadem ſe ſuſtentarunt iuſti omnes, eaq́; impulſi innocentiæ ſtuduerunt, & ſanctimonię, ſinè qua, inquit Apoſtolus, nemo videbit Deum.

CAP. IV. *De lege Naturæ.*

NEc verò eſt hominis adeò per peccatum vitiata conditio, vt quid bonum, malumnè ſit, non ipſe poſtmodum peruideat, aut non oſtendat opus legis ſcriptum in corde ſuo, teſtimonium ei reddente conſcientia ſua, permanſerunt enim in homine virtutum velut ſemina, cognitionis ſcintillæ, & criteria à Deo menti principio inſita, quæ quoniam à natura inſunt, hominemquè ad bonum expetendum, & malum fugiendum inducunt, Naturæ lex ap-

pellantur, quam eandem quoq; ſermone tradidiſſe, & explicaſſe poſteris Adamum perhibent, docentem, Deum cœli, terræq; adorandum, affuturum Meſſiam ſaluatorem, animum eſſe immortalē, proximum quemq; diligendum, parentes honorandos, fœdera nuptiarum nunquàm dirimenda, fidem datam præſtandam, ius publicum minimè violandum, neminem ad ſanguinem vulnerandum, animali viuo membrum nullum ſecandum, rem alienam non tollendam, & ſi quæ ſunt ſimilia naturali, mutuoq; amori conſentanea, quorum omnium fore vindicem Deum noſſe oporteret. Atque hæc naturæ impreſſa lex ſimplicitatem, bonitatem, integritatem in pluribus, & maximis nationibus ingenerauit tantam, vt multis ſæculis poſteriores philoſophi, cùm iam verum Deum venerari apud gentes deſitum eſſet, vnius naturæ beneficio, virtutum, ac rerum ſcientiam indagarent feliciter, ac præciperent, normam bene, & rectè viuēdi à natura eſſe petendam, rationem præeſſe, appetitum obtemperare oportere, virtutem quaſi perfectionem naturæ eſſe, quæ hominem iungeret Deo, voluptate nihil homine videri indignius, ſceleſtos numen diuinum horrere, ac putare animi cruciatus à Diis ſupplicij cauſa immitti, & alia pleraq; quæ apud illos paſſim leguntur.

CAP. V. De iure Gentium.

CONdidit Deus homines eiuſmodi, vt cum nemo vnus ſibi ſufficeret, mutuaq; omnes ope indigerent, ſocietatem inter ſe, & vitæ communitatem inirent, qua in coniunctione legem primariam ſeruarent, ne cuiquam quiſquam iniuriam faceret, ſin minus, alteram ſcirent, ſarciendum damnum illatum: omnino verò, quod quis ſibi fieri nollet, nec alteri faceret: qua ratione legem naturæ, multiplicatis per orbem diuerſis familiis: Ius gentiū mox excepit, auxit, & quaſi perfecit, principio enim cum vna omnium communis libertas, communisq; poſſeſſio eſſet, hoc velut ſecundarium naturæ ius, mutua gentium conſpiratioue introductum eſt, quo ſunt inſtituti principatus, dominia, ſeruitia: & ſimul rerum diſtinctio, proprietas opum, occupatio ſedium, ædificatio, ciuitates, hominum diſcretæ familiæ, populorum ſocietates, & cum exteris fœdera, commercia, bella, paces, legato-

legatorum non violandorum religio, quæ omnia Deus rata habuit, & voluit vt iuris iſtius cum lege naturæ autoritas par, conſtansq; obſeruatio eſſet, vt ex lege ſcripta facilè liquet.

C A P. VI. *De hominis principatu.*

HOminis gratia cùm perfeciſſet Deus vniuerſa, ipſum quoq; ei præfecit ſummo cum imperio vniuerſis, quæ vel in aquarum receſſibus, vel terræ, aërisq; regionibus, verſarentur, ac licet illa in homine autoritas plurimum ſit per peccatum imminuta, tamen nulla tam ferox, & immanis bellua eſt, quæ eius conſpectum non etiamnũ formidet, & hoc imperium in viris ſanctis, in quibus imago Dei minimè eſt peccatis vitiata, non integrum agnoſcat, dum aut dicto illorum paret, aut vim inferre illis abhorret, aut irrito conatu in eos fertur. Inter homines verò principatũ idem qui primus legis lator fuit, primus tenuit Adam, plura ſæcula; ac gentibus, nepotibus ſuis iura dedit, quod paulatim imperium creſcentibus populis in plura per ciuitates, & familias abiit, inter quas ſanior quisq; & moderatior cæteris præerat. Fuiſſe autem iàm tum à principibus viris non ſolum tutatos, honoratosq; præmiis bonos, ſed caſtigatos peruerſos etiam ſumptis ſuppliciis, terrores Cain & Lamech ſatis ſignificãt, qui quod homicidæ eſſent, ſupplicia metuebant. Ex principum & rerum publicarum ſingulis imperiis, natum poſtmodum eſt ius priuatum, ciuile, & leges quæ dicuntur ſcriptæ, tum conſuetudines ſuis ſingulæ.

C A P. VII. *De artium inuentione.*

QVanta in homine primitus fuerit, quamq; incomparabilis ſapientia, & notitia Dei, ſuique; quanta etiam perſpicacitas & ſcientia, qua rerum naturas maximè reconditas peruidebat, vel ex eo liquet, quod Adam animantibus vniuerſis nomina impoſuit, tam ſignificantia & propria, vt cuiusq; naturam, & proprietates ea planè exprimerent. Quæ diuina notitia poſtquam per lapſum obſcurata eſt, & propè deleta, artes ipſe non niſi longo temporis vſu, & difficili obſeruatione depræhendi potuerunt: vndè factum eſt, vt non omnia omnes amplius callerent, ſed excogitarent aut addiſcerent alij alia,

BIBL. NAZ. ROMA

perindè vt cuiuſq; rei ſtudio,&admiratione quiſq; capiebatur: Porrò illud quod eſſe reliqui poterat mortalibus, voluit Adam ſingulari beneficio Dei certius extare, ipſumq; nempe de religione, aſtrorum curſu, & Mathematicis aliis, duabus tabulis, ſeu columnis ærea altera, altera lateritia inſculpſit, qua in re opera filij Seth, cuius inuentum ſunt literarum characteres,& ſiderũ diſtinctio, denominatioq;, adiutus fuit. Paſcendi pecoris ſtudio primùm captus eſt Abel: Cain cæpit agriculturã exercere, ciuitates inſtruere, imperia agitare. Enos verò diuini cultus rationem, ſtatoſq; ritus tradidit. Tentoria quibus ſub dio vterentur ij qui ruri agunt, excogitauit Iabel. Muſicam, cytharæ, organiq; harmonias Iubal concinnauit. Tubalcain malleos, & fabrorum officinas inſtituit, Noëma colum & textrinum inuenit, & ſuccedente tempore alia alij, quoad venêre ad ſummũ omnia. Sed inter omnes ſcientiarum illa Princeps eſt, quæ cognitio ſuiipſius nuncupatur, quæ vt vna omnibus eſt neceſſaria, viamq; ad veram ſapientiam egregiè communit; ita animos hominum vehementer exercet, nec niſi longa obſeruatione, ſummoq; cum labore addiſcitur, vt proindè aut rari ſint eius inſignes artifices, aut non pauci, qui tùm maximè ſibi imponant, cum in ea ſe aliquid profeciſſe arbitrantur, qui licet ſeipſos probè nouerint, nondum tamen ſe regere, artiſquè præcepta in vſum deducere queant.

CAP. VIII. De vita hominum primorum.

QVod primæui illi patres tot in annos vitam produxerunt, non id breuioribus eſt tribuendum annis, qui ijdem perpetuò è ſacra hiſtoria perhibentur, ſed puriori & robuſtiori corporum conſtitutioni, & alimento ſimplici illi, vt nondum vitiato, ita viribus & efficacia ad vegetandum corpus integerrimo, erant autem eſui fruges, fructuſq; terræ fœtus, potui aqua, nam carnes & vinum poſt diluuiũ demum indulſit Deus, plurimum verò vitæ diuturnitas illa ad obſeruandas multò tempore naturas rerum, atq; ad tradendas diſciplinas profuit. Sed hæc generatim fuêre præmittenda, nunc ad humani generis propagationem, & ſucceſſionem hiſtoriarũ veniendum eſt.

CAP. IX. De progenie ADAMI *Anno mundi primo.*

I
Adam.

Adam ſimul cum mũdo factus, primus in genealogia Chriſti mediatoris, & redemptoris patriarcha, filios maximè inſignes ex Heua tres ſuſcepit, Cain, Abel, Seth, prætereà liberos alios complures, quorum nepotes vidit vſque ad Lamech patrem Noah, ſub quo extremum diem clauſit, natus annos nongentos triginta.

Cain primus in mundum infelix partus, ex parente peccatore peccator etiam ipſe, & primus diaboli diſcipulus prodiit, hic cum laboribus & curis mundanis deditus nomen inter ſuos celebre nactus eſſet, ac ſtirpem numeroſam edidiſſet, nullo ſalutis teſtimonio extante, ad extremum periit, & proles in eluuione tota extincta eſt.

Abel iuſtus, piorum ſpeculum, paſtoris munus amplexus, quod minore negotio ſimul viam ad meditandum, & ad religionis exercitia concederet, vt iam tum teſtatum fieret, inuidiam virtutis antagoniſtã eſſe, & eos qui piè vellent viuere in hoc ſæculo perſecutionem pati oportere, à fratre maiore de medio ſublatus eſt.

2
Seth.

Seth Adami tertius filius, ſecundus in genealogia Chriſti patriarcha, naſcitur anno mundano centeſimo trigeſimo, curſum vitæ perficit nongentis duodecim annis.

3
Enos.

Enos filius Seth naſcitur anno mũdano 235. tertius in ſtemmate Chriſti patriarcha, vir diuinus, & qui rebus diuinis ſpeculandis, cultuiq; Dei concelebrando, & ſolennibus ritibus inſtituendis ſingularem in ſacra hiſtoria eſt conſecutus laudem: vixit annos nongentos quinq;, huius temporibus à vero Dei cultu deſciuiſſe prolem Cain autumant, ob idq; motum Enos, Eccleſiæ ſacra certis & perſpicuis ſanctionibus muniuiſſe.

4 Cainan.

Cainan vel Kenan filius Enos natus anno mundano 325. quartus Patriarcha, obiit anno ætatis nongenteſimo decimo.

5 Mahalalehel.

Mahalalehel filius Cainan, quintus patriarcha, natus anno 395. vitæ ſpatium peregit longum annos octingentos nonaginta quinque.

6 Iared.

Iared filius Mahalalehel natus ano 460. ſextus patriarcha, Adami vitæ annos ſuperauit annis triginta duobus.

7 Enoch.

Enoch filius Iared natus anno 622. ſtirpis Chriſti ſeptimus patriarcha, ſpretis humanis rebus, mente & cogitationibus cum Deo verſabatur, vnde charus ei, verum etiam futurarum notitia donatus, de venturo in terras Chriſto primus prophetauit & ſcripſit; de eo Apoſtoli Paulus ad Hebræos, & Iudas præclarè teſtificantur; ſtatuit nõnulla de ſacrificiis, ceremoniis, aliisq; ad Dei gloriam facientibus, de cœli & ſyderum motu quoque, emenſus deniq; cum annorum numerum, qui totidem diebus annum vertentem conficit, nempè trecentorum ſexaginta quinque, quaſi ipſe ſibi ſuperſtes, idea quædam cùm perpetui temporis recurſus, tùm immortalitatis hominũ, vita, corpore, animoq; integer à Deo in paradyſum translatus eſt, ſaluus illic & incolumis, vſque ad extremam mundi metam ſeruandus.

8 Mathuſalem.

Mathuſalem filius Enoch natus anno 687. octauus in ſacra genealogia, vitam omnium mortalium mortalium longiſſimam emenſus eſt, annorum mille minus vno & triginta, ipſo diluuij anno finitam.

Lamech

9
Lamech·

Lamech filius Mathuſalem, natus anno 874. nonus patriarcha, in viuis fuit annos ſeptingentos ſeptem, huius anno quinquageſimo ſexto primus ille parens grãdeuus Adam, poſtquam cum hiſce nepotibus ſuis diu multumq; de Deo rebusq; diuinis in Eccleſia gerendis diſſeruiſſet, vita exceſſit, ſepultus in Hebron, vel vt alij coniiciunt ad collem Caluarię poſteà dictum, quaſi eodem loco, quo primus homo vitam poſuerat per ſecundum Adamum, & cœleſtem redimendum mortis debitum fuerit, vt præter Hebræos, ſanctus Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, & ex recentioribus Canus cenſent: quinquageſimo ſeptimo anno poſt, ſublatus eſt Enoch in paradyſum.

Enos ergo adhuc Eccleſiæ præerat, ad ducenteſimum propè annum Noah.

CAP. X. *De* NOE *iuſto. Anno mundano* 1056.

10
Noë.

NOAH filius Lamech, natus anno 1056. decimus ſtirpis Chriſti patriarcha, iuſtitiæ laude, eius quæ virtututes in ſe ſe continet omnes, florentiſſimus, cùm iam homines vnà omnes in ſcelera effuſiſſimi ruerent, nec inſolentiam tantam, peccandiq; libidinem ferendum vltra iudicaret Deus, is vnus gratiam apud Deum promeritus, eluuionis vniuerſalis ſupplicium in mortalium omne genus immiſſum, cum ſuis euaſit, euidenti documento, quemlibet quouis tempore timentem Deum, & facientem iuſtitiam, acceptum Deo eſſe.

11
Sem.

SEM filius Noe natus anno 1556. vndecimus patriarcha eſt in ſtirpe Meſſiæ, eum autem natu maximũ fratrum fuiſſe, præter alia etiam ſummus ipſius pontificatus oſtẽdit, qui ad primogenitos ſpectabat, medius fratrum Cham fuit; minor natu Iaphet, de quibus poſt plura.

Gigantes Enakim appellati, enormi vaſtaq; proceritate, & animi impietate inſignes hac ætate plurimi per orbem erant.

CAP. XI. De diluuio Anno 1656.

Diluuium fuit anno ætatis Noë ſexcenteſimo, quo tempore vt oſtenderet Deus nec peccati autorem ſe, neque fautorem eſſe, tanta eius in ſcelera eſt ira demonſtrata, vt humanum genus omne, & cum ipſo quicquid ſpirabat aquarum eluuione extinxerit, pluit diebus quadraginta, ac ſuperauerunt aquarum fluctus montium cacumina quindecim cubitis. Noah ipſe cum vxore, & filiis, nuribuſq; ternis arca ad præſcriptum Dei fabrefacta incluſus, ſolus ſeruatus eſt, animantiumq; cum eo mundorum ſeptena, immundorũ bina. Arca longa erat cubitos trecentos, lata quinquaginta, alta triginta; orbis adopertus vndis fuit anno toto, nempè vt accuratè ſacræ ſcripturæ notant, menſes duodecim lunares, & dies decem intercalares, qui ad lunarem computum vt ſolari quadret, addi ſolent.

Egreſſus Noë arcam, extructo altari, ſacrificium fecit holocauſti, gratum Deo adeò, vt miſertus humanæ imbecillitatis fœdus cum homine icerit, & patriarcham Noah iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæredem fecerit. Porrò naturæ leges Deus confirmauit denuò, & ſimul ius magiſtratus, iuſſitq; expreſsè ſanguinis humani effuſionem plecti ſanguine oportere.

Noë deindè reuerſus eſt ad maiorum ſuorum ſedem Damaſcenem; poſtmodum peragratis, quantum ex nonnullis colligi poteſt, terræ maximis prouinciis, in quas ſeſe poſteri eius diuiſerant, quibus tùm imperio, tùm doctrina de rerum diuinarum, & humanarum ſcientia, monarcha vniuerſis præerat, obijt anno poſt diluuium treceenteſimo quinquageſimo, agente iam Abrahamo ſeptimum ſupra quinquageſimum.

CAP. XII. De ciuitate Dei Ieruſalem.

SEm, filiorum Noë primogenitus, Eccleſiæ ad ſe traductæ ſummus pontifex, ad annum Iacob quinquageſimum præfuit; Salem vrbem celeberrimam, quæ poſteà Iebus, & tandem Ieruſalem eſt dicta non admodum longè à parentis ſede in Paleſtina condidit, vbi typo Chriſtum præfigurans, rex ſimul & ſacerdos Dei altiſſimi fuit, ille idem Melchiſedech, vt poſt Hebręos D. Hieronymus teſtatur, qui Abrahamo patriarchæ obuius, panem vinumq; in ſacrificium, & ſacroſancti corporis, ſanguiniſq; Chriſti figuram obtulit, ac manſit Hierarchiæ ius, & primatus Eccleſiæ inter poſteros Noë ſemper primogenitis, vſque ad alterum ſacerdotium Aaronis, quemadmodum etiam typus Eccleſiæ Dei perpetuus ciuitati Hieroſolymorum, quòd in ea fides in Deum cœli præcipuè floruerit. Vidit verò Sem nepotes ac poſteros ſuos ad duodecimam vſque generationem, obiitq; ætatis anno ſexcenteſimo.

12 Arphaxat.

ARPHAXAT filius Sem, natus anno 1658. biennio poſt diluuium, duodecimus patriarcha, vixit annos trecentos triginta octo.

13 Sale.

SALAH Arphaxatis filius, natus anno mundano 1694. vixit annos quadringentos triginta tres.

14 Cainan.

CAINAN hic interponitur in Chriſti genealogia à B. Luca, imitante ſeptuaginta interpretes, natus vt perhibent, anno 1724. quæ res facit, vt plerique probati autores, qui alioquin communem calculum ſequuntur, à cæteris in ſupputatione diſcrepent triginta anno, qui Cainan vſque ad natum Heber tribuuntur.

15 Heber.

HEBER filius ſale vel Cainan nominatiſſimus, natus anno 1754. à quo deinceps Hebræi ſunt denominati; per ętatẽ venit ad annos quadringẽtos ſexaginta quatuor, incidit in tempora Babylonici operis à quo abhorrens, & ſubducens ſeſe, cum cæterorum quiſque in nouum loquẽdi genus repentè inductus eſſet, auitam ipſe & primigenam linguam retinuit, quæ cùm hactenus ſola & communis, nomine caruiſſet, nunc ad cæterarum differentiam ab ipſo Hebręæ nomen accepit.

16 Phaleg.

PHALEG vel Peleg, Hebri filius natus anno 1788. ſextus decimus ſtirpis Meſſiæ patriarcha, ætatis annos duxit ducentos triginta nouem: nomen vel omine, vel ab euentu ſortitus eſt, quod latinis ſonat diuiſionem vel ſeparationem: quòd illius temporibus linguarum, gentiumq; diuiſio, per orbem cœperit.

De Babylone idololatriæ origine.

CHain degener filius Noah ſecundæ præuaricationis, & apoſtaſiæ à Deo cauſa fuit, nam maledictioni & diris deuotus, quòd in nudatum patrem petulans turpiter fuiſſet, animo obtenebrato, & gratia numinis deſtituto, Dei gloriam neglexit, ac fortunæ cõmoda conſectatus, in teterrimos errores cum poſteris eſt prolapſus. Huius mali initia lenta primùm fuêre, incuria paternæ religionis, fiducia in Deum nulla, maleuolentia in fraternam ſobolem benedictam, rara aut nulla de Deo inter ſuos colloquia, eiuſq; paulatim obliuio, tùm verò ſuperſtitiones, prauus cultus, ac demum idololatria expreſſa. Creuit peſtis hæc, ſerpſitq; eò liberius, quò per Babylonicam confuſionem poſteri Cham à cæteris fuêre magis diſcreti; cum enim inſtitueret humani cordis temeritas, ſtultitiaq; arcem in cœlum vſque extruere, ſcilicet qua diuina peruideret adyta, eius opifices Deus immiſſis cuique aliis atque aliis nouis, & inauditis linguis, ita diſturbauit, vt intermiſſo opere, in alias quique partes concedere, ſedes idiomati ſuo proprias quærere, orbemq; vniuerſum inter ſe diuidere compulſi fuerint.

Linguas

Linguas haſce,ſecundum Hebraicam, primarias numerant Rabbini ſeptuaginta duas,nam plures quę reperiuntur ſunt idiomata potius cuiuſque linguæ varia, quæ ad primas à quibus emanarunt linguas facilè referantur.

Nimrod filius Chus,nepos Cham , auitum principatum, qui ſenioris in populares erat, ambitionis flamma ſuccenſus ſpreuit primus,ac conſtituta Babylone regia,vi,ferroq; imperium in vniuerſam Chaldæorum gentem proferendum putauit, quod impiæ proli cùm ſatis non eſſet,ad ſummam dementiam porrò progreſſa, hoc ipſo in regno ignis idololatriam, quæ omnium prima fuit, temerè excogitauit.Proh nefas,tantam fuiſſe in mente humana originis ſuæ tam citò ignorantiam,vt cœleſtis oblita lucis,lucem materiatam, vix obſcuri fulgoris nomine dignam,Deum ſibi comminiſceretur.Tanta autem ſeueritate à cæcis apoſtatis in commenti iſtius contemptores ſæuitũ eſt,vt qui ignem non adoraſſet, in ardentem truderetur fornacem, cui igni propterea cedere Abraham adoleſcentem ex Chaldæa in Haran oportuiſſe,refert ex Hebræorum traditione S. Hieronymus.

B E L V S Nimrodis filius,aliis etiam dictus Arbelus, mortuo patri in regno ſucceſſit,& idolis latè fores aperuit,ac fortaſſe hic eſt, quem ſapiens narrat filio mortuo primam ſtatuam poſuiſſe, cuius exemplo ſimulachra poſtmodum alia efficta ſunt,quibus breui temporis progreſſu ob impenſam venerationem numen ineſſe arbitrati ſunt miſeri mortales,ab ipſo enim Bel &Baal denominata ſunt paſſim idola, vt ex ſacra hiſtoria liquet, quod nomen cum ſcelere ipſo vſurpatum eſt ſtatim à quibuſuis gẽtibus,vt iam tempore Iſaac patriarchæ apud Laban theraphim ſeu ſtatuæ deprahenſæ fuerint , & poſtmodum ad Germanos etiam deuenerit,quibus idolum ſuum Bel erat Tibel nomine,quaſi der Teutſch Bel/ vt de Noricis Tertullianus in apologetico prodidit,quem alij, Græcarum literarum ſono Tifel proferebãt, quod nomen deinde ad errorum deteſtationem inter Chriſtianos Germanos,Sathanæ tributum eſt, & fortaſſis eodem ſenſu Beliman dicebant,quod ſpectris nunc,& terriculamentis nomen manſit. Excreuerunt autem initia hæc idololatriæ in immenſum ſuccedente tempore,poſtquam ex AEgypto incrementa ſuſceperunt,non ſolum

per numeroſam copiam,ſed etiam inſana varietate, quibus cœlum, terras,& æquora deorum commentitijs portentis farciebant gentes vbique omnes, vt rectè Prudentius aduerſus ſymmachum dixerit;

Quicquid humus,pelagus, cœlum mirabile gignit
Id duxère deos,colles,freta,flumina,flammas.

Hæc humani generis fuit ruina omnium grauiſſima, & horrendiſſima, qua præſente, ſpretoquè Dei præcone Noah grandæuo patre, ſciens, prudensq; in vaniſſimas cogitationes ſeſe, & cæcam caliginem abiecit;cùm tamē Deus æternus,& ſolus viuens,qua eſt ſumma benignitate,teſtimonium ſui, & de prouidentia ſua neutiquàm ſubtraheret,benè faciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda hominum, vt eſt in Actis Apoſtolorum; vt fuerint pagani quicunque inexcuſabiles, quòd cùm cognouiſſent Deum,non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, vt eſt apud Apoſtolum: Atque hæ ſunt ciuitatis Dei, mox etiam Sathanæ,poſt eluuionem primæ origines, & Sathanæ quidem peiores quàm ante diluuium,quando nulla adhuc idola excogitata erant, vt notauit S. Cyrillus Alexandrinus tertiodecimo aduerſus Iulianum.

De gentium variarum origine.

IAphet minimus natu filius Noah, præcipuam in orbis terrarum diuiſione ſortem per patris benedictionem conſecutus eſt, nam conſidente poſt eluuionem Arca in Armeniæ montibus Ararad, cùm inde homines in Chaldeæ campeſtria ſennaar ſeu ſinear receppiſſent ſe,vbi linguarum multitudinem produxit Deus, è nepotibus Noah ſeptuaginta duæ nationes prognatę,in orbem vniuerſum emigrarunt,anno poſt diluuium centeſimo primo, ſeu, vt Hebræis placet trecenteſimo quadrageſimo; tum enim homines in varias regiones diſperſi,vicos, vrbesq; excitarunt, & locus quiſq; per orbem factus eſt occupantis.

Ex poſteris Iaphet ergo emerſerunt populi maioris & ſuperioris Aſiæ,Græci ex Iaccan, ſcytha ex Magog, tum etiam Europæi Itali ex

Gomer

Gomer, Hiſpani ex Tubal, Galli ex Samotes, Germani ex Aicenel, cognomine Tuyſcon, & porrò aliæ Europæ, Aſiæ, & inſularum mediterranei maris gentes.

Chami progenies populi ſunt Phœnices, Arabes, Chananæi, AEgyptij, AEthyopes, Chaldæi, Philiſtæi, & nonnulli Africæ populi.

Sem originem dedit genti Iſraëliticæ, Aſſyrijs, Perſis, Indis, Lydijs, Syris.

Ianus eſt Ethnicis Noah bifrons propterea fictus, quòd vtramque hominum ætatem, & quæ diluuium anteceſſit, & quæ ſecuta eſt, peruiderit. Cætera quæ antè diluuium fuêre, ignota illis ſunt, ſuasq; hiſtorias demum poſteriore ætate ſuſpicantur. è filijs Noah nominatiſſimum celebrant Iaphet ſiue Iapetum, obſcurior illis eſt Cham, nuncupatus Cameſes, incognitus planè Sem, penes quem Dei veri cognitio manſerat, cuius propterea famam obliteratam volebat Sathan.

De quatuor Monarchijs.

QVamquam principes per ſe conquirere videntur regna, tamen ea illis ſubdi à Deo, & prophetæ ſæpè loquuntur, & diuina ipſa ſapientia aſſerit, per me, inquiens, reges regnant; vt etiam neget Apoſtolus poteſtatem vllam niſi à Deo eſſe, inter cætera verò regna, quæ plurima temporibus ſequentibus fuêre, quatuor in veteri teſtamento monarchias Deus æternus longè cæteris eminentiores excitauit, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, quarũ ſtatus, ratioq; impar & varia obſeruata eſt, nam prima è Babylone ſtatim Niniuen Aſſyriorum, à poſteris Cham ad nepotes Sem trãslata, nec ibi perſtitit, poſtremisq; temporibus ſedem inſtabilem nunc apud Chaldæos Babylonem, nunc Niniuen in Aſſyria habuit. Altera apud Perſas continua perſtitit, tertia ſolos duodecim annos ſub monarcha cùm fuiſſet, per ſeceſſionem in plura regna Macedonum, Syrorum, AEgyptiorum & Parthorum eſt dirempta; quarta aliquot ſæcula ſub Romanorum republica antè viguerat, quàm id nominis per

per imperatorem vnum conſequeretur, quæ poſteà Chriſtianis temporibus migrauit ex Italia Conſtantinopolim, inde ad Germanos, diuiſa interim ſępius, vt hodieq; viſitur, ſub regibus, & principibus plurimis, qui tamen imperatorem veluti primarium omnes ſuſcipiunt. Summa hæc imperia Deus, vt ab ipſo inſtituta eſſe clarius conſtaret, per ſanctum prophetam Danielem miris animalium inuolucris & ideis depinxit: primum leænæ alatæ ſpecie, alterum vrſi, tertium pardi quadricipitis, quartum trucis, ignotæq; formæ ob mutatam ſæpe Romanis reipublicæ, & regnandi formam. Hiſce acceſſit altera idea, quæ ſtatuæ ingentis imagine expreſſit imperium primum capite aureo, ſecundum thorace brachiiſq; argenteis, tertium ventre ac fœmoribus æreis, quartum tibiis pedibuſq; ferreis, cùm nonnulla parte fictili, quæ quidem viſiones inſignes, varia cogitanda nobis ſignificarunt, ad Deum nempe rerum humanarum procurationem pertinere, regna non principum eſſe, ſed regis regum Dei præpotentis, à quo illa accepiſſent, proinde quoque principum imperia à Deo inſtituta, à ſubditis non eſſe aut contemnenda, aut excutienda, adhæc exacta potiore, & meliore ætate, ſuccedere ſubinde deteriorē, quod generis hominum calamitatem non leuem demonſtrat, quādo quæ optima homini contingunt, vix dum agnita elabuntur, ac licet ſummis naturæ præſidiis fulta videantur, etiam in maximis imperiis, flacceſcunt tamen, & indies in peius ruunt, vt de naturæ bonitate, & felicitate ſuperiorum ętatum plus pereat, quàm perueniat ad poſteros, quamuis ij ſe multum virtutis nactos eſſe arbitrentur. Quid enim aureum caput, quàm prima ætate humanæ mentis puritatem, præſtantiamq; cogitationum, & conſiliorum admirabilem tranquillitatem, perſpicacitatem & ſapientiam demonſtrat? quid argenteum pectus, quam iſta iam imminuta, illuſtrem tamen quæ ſequenti tempore viguit, heroicam vim, virtutem, & rerum gerendarum dexteritatem? quid cætera, quàm quæ poſtremum ſequuntur, robur inane, conſiliorum machinātiones intricatas magis, leueſq;, quàm conſtantes, motus animorum ferores, improbitatem, & ſæculorum ſuperiorum in imo ſubſidentes fæces? Fuêre hac noſtra ætate naſuti, qui admirabilē hanc Dei de quatuor ſummis imperiis diſpoſitionem, ætatumq;

aureæ

& ſequentium diſcretionem eleuarent,ſed leuiora ſunt,nè dicam friuola,quæ adferunt,quàm vt quemquam mouere debeant.

CAP. XIII. De Eccleſiæ progreſſu.

ECcleſia porrò ſecundum traducem patriarcharum manſit partim in Chaldæa, apud Hebri nepotes, partim in Paleſtinæ vrbe Salem, apud ſummum ſacerdotem Melchiſedech; quibus cum priſcus ille hominum reparator Noah adhuc agebat,à quo genus deducunt deinceps etiam,qui in linea Chriſti ſequuntur.

17 Reu.

REV ſiue Regu filius Phaleg,natus anno 1818. ſeptimus decimus genealogiæ ſacræ patriarcha,vitam duxit in annos ducentos triginta nouem.

18 Sarug.

SARVG filius Rehu, natus anno mundano 1850. obiit vitæ anno ducenteſimo trigeſimo.

19 Nachor.

NACHOR filius Sarug,natus anno 1580.vixit centum quadraginta octo annos.

20 Thare.

THARE filius Nachor,natus anno 1909. pater eſt Abrahami, vixit annos ducentos quinq;. Hæc de Eccleſiæ ſerie,nunc ad politica eiuſdem temporis.

Aſſyriorum Monarchia prima.

ASſyriorum imperium cum natalibus patriarchæ Reu, centum ſexaginta duobus annis poſt diluuium apud Chaldæos Baby-

lone cœpit, per Nimrodem principem, cuius in ſacra hiſtoria fit mentio. Porrò non idem cum Nimrode eſt Amraphel rex Sennaar, qui tempore Abraham imperabat, ſed ipſa etiam Semiramide poſterior.

Baal, vel Belus, Iupiter Babylonius Nimrodis filius in imperio ſecundus fuit, tametſi doctores ſacri Nimrodem, & Belum vnum eundemq; fuiſſe putent, cuius filium Ninum dicunt.

Aſſur filius Sem, Arphaxatis frater, in fide degener tertius imperauit, ſedemq; imperij, Babylone expugnata, tranſtulit in vrbem Niniuen à ſe apud Aſſyrios conditam, vnde Ninus à poſteris eſt appellatus. Eum ferunt longè, lateq;, per totam Aſiam imperaſſe, quam igitur regnandi potentiam excitauerat proles Cham, eam ad poſteros Sem, quibus illa ex Sancti aui benedictione ſubiugata erat, breui Deus traduxit ac diutiſſimè ſtabiliuit.

De regnis vetuſtioribus.

EXorta ſunt vnà quoque regna alia paſſim, & reſpublicæ complures, homo enim cùm ſit animal politicum, ſocietatem maximè, & vitæ quaſi communitatem expetiuit, in qua eos qui plurimum ingenio valebant conſenſus communis præfecit cæteris, quanquam hominum non pauci videntur aut remotos agros, ac ſolitudinē delegiſſe, aut incertis ſedibus palantes erraſſe, ſunt autem regna quæ perhibent iſta fere antiquiſſima.

Perſiæ regnum poſt Chaldaicum in ſcripturis antiquiſſimum memoratur, excitatum ab Helam filio Sem; à quo Perſæ Elamitæ dicti ſunt; eius ſucceſſor fuit Chodorlahomor, cui, vt & aliis, Abraham prædam eripuit: eius potentia ſe in Paleſtinam vſque extendebat, habebatq; ciuitates ad Iordanem ſitas tributarias.

AEgyptus & propior Babyloni, & ſitu ab ea parte, cùm diſcreta, tùm munita, primum regem habuit Meſraim filium Cham, ethnicis Oceanum dictum, cui ſucceſſit rex Oſiris, & Iſis regina, quos ob beneficiorum inſignem conſecutam laudem ſimplex poſteritas Deorum loco, habuit, ex quo ingens illa Deorum turba & colluuies AEgyptiorum ſcaturiit, eoq; progreſſa eſt, vt quicquid vi aliqua inſigni præſta-

præſtaret, numen ipſum crederent, ac crocodylos, feles, glires, cæpas, allium, Apim, bouem, canem Anubim, Iſin & alia portenta venerarentur. Horum ſucceſſores populum Iſraëlem in AEgypto captiuum poſteà detinuerunt.

Scythiam primus incoluit Magog, Iapheti filius, cuius deindè filius Danaus proclamatus rex eſt, à quo Turcæ nunc originem numerãt, duo hæc regna AEgypti & Scythiæ vetuſtiſſima paganis habẽtur.

Pontus regem habuit Arioch tempore Abrahami, quem præceſſit Moſoch, à quo denominata eſt vrbs Cappadociæ Mazaca, quæ poſteà dicta eſt Cæſarea.

Lybiam & Africam rexit Triton, frater Meſraim, Phul alio nomine, quem propter nauticam peritiam deum maris edixerunt, ſecutus eum Hammon filius, diuinos item honores, & templum illa in regione obtinuit.

Arcadiam primus tenuit Arcas, incertus cuius ille familiæ fuerit, niſi Gether eum dixerimus, quem beatus Hieronymus ex Hebræorum traditione in Acarnaniam veniſſe ſcribit, vnde in Arcadiam illi facilè fuerit tranſitus, inde exortum eſt Sycioniorum per Peloponeſum regnum. Græcorum cæteri originem ducunt à Iauan, Iapheti filio, quorum Iones ſunt vetuſtiores.

Hiſpania populi antiquiſſimi primum regem habuerunt Tubal filium Iaphet, Tobel aliis dictum, cuius filius Iberus genti nomen dedit, quod Celtiberis manſit poſteà.

Italiæ primis populis, qui Aborigines ſunt, præfuit Gomer Iapheti filius primogenitus, ad quem auus Noah, qui Latinis Ianus eſt, putatur appuliſſe, itemq; Sabath ſiuè Saturnus ex Armenia, vbi filio principatum reliquerat, profugus, quo eodem tempore Veſta illic, ritu ab Chaldæis mutuato Ignem pro numine fouebat, qui à poſteris illi deinde conſecratus eſt.


Sumpsêre initium his temporibus, & alia regna, ſed obſcuriora, & quorum de ſucceſſione minus cõſtat, inter cætera Germaniæ tum primum ducem præfuiſſe Aſcenel alio nomine Tuyſconem, memoriæ proditum eſt.

Gigantes Emim & Zonzomim magnitudine ſtupenda celebres

erant,quinetiam vulgo noſtris hominibus,vt longævitate,ita corporum proceritate longè præſtabant.

Aurea ætas hæc erat, quam tantopere commendabat hominum bonitas,ſapientia,candor, naturæ viuacitas, victûs & partu facilitas, & ſumptu moderatio; fundebat tellus incorrupta fruges, fructusq́; lætos,vel leuiter culta,hominum non tam metuebantur fallaciæ aut proteruia,quàm exercebātur beneficia & amicitiæ Hæc illa ſunt Saturnia regna, quibus viuebatur ſub regibus, ſumma libertate, vitæ trāquillitate,fructibus pacis,metu propemodum nullo, iniuria rara, etſi enim nulla non ætas ſua vitia & mala habuerit, tamen iſthæc leuiora ea experta eſt,& felicitate potiebatur pleniore.

CAP. XIV. De ABRAHAM *magno Patriarcha.*
Anno 1922. *obiit Noë.*



ABRAHAM filius Thare, ſummus Patriarcha, in Chaldæa natus anno 1979. adoleſcentiæ annis ignis idololatriam, ad quam vi agebatur,fugiens,vnà cum patre Charras ſeu Haran in Meſopotamiam conceſſit, potuitq́; doctrina & colloquiis parentis Noah frui annos complures, quippe qui annos quinquaginta ſeptem natus eſſet,cùm ille è viuis exceſſit,ita illuſtres viros alterum ab altero in Eccleſia excipi voluit Deus.

Peregrinationis porrò Abraham initium,quando eum relicta paterna domo ex Meſopotamia in terram Chananæam, quam promiſſionis vocant,proficiſci Deus iuſſit,in annum mundanum,2054.ætatis verò ipſius ſeptuageſimum quintum incidit, à quo tempore centum adhuc annos vixit, magnus profectò ſi vnquam quiſquam magnus fuit,animoq́; ſublimi non tam audendis quidem rebus, quàm iuſſis diuinis obeundis, vt qui mente penitus ex Dei arbitrio penderet.Colloquiis eum Deus per viſiones ſæpius dignatus eſt,patrem fidei gentium plurimarum eum dedit,ei liberatorem mundi Meſſiam ex ipſius ſtirpe pollicitus eſt; inter tanta tamen ipſe in Chanaan terra,

licet

licet promiſſa, ſub tentoriis, & mapalibus, non aliter atque inquilinus terræ, agebat, animo iam cœleſtem patriam proſpectante. Fide fuit ſummè viuida, & ſolida, nec minore ſpe, charitateq;, nam quinquageſimo circiter peregrinationis anno, filium vnicũ Iſaac, & quidem qui longè adoleuiſſet, immolari à Deo iuſſus, nihil nec ingenitum amorem liberorum, neq; ex hac vna ſtirpe promiſſionem Meſſiæ moratus, contra ſpem in ſpem credendo, victimam Deo offerebat, & obtuliſſet quidem, niſi libratum enſem angelus reuocaſſet. Eadem planè in homines cùm propinquos, tum exteros cernere in eo erant charitatis ſtudia & officia, excipiebat hoſpitio aduenas, liberalitate in quoſuis vnicè propenſus, paciſq; cum primis ſtudioſus, & quia luce veræ ſapientiæ illuſtrabatur, non ſolum ab omni concitatione animi, & perturbatione ſemper vacabat, verùm etiam in ipſo εὐθυμία quædam, & tranquillitas animi placidiſſima reſidens, admirabilem puritatem mentis, æqualitatemq; efficiebat: in quam ſe quaſi in receptaculum, numen cœlitus per gratiam demittebat, eiuſq; ſocietatem vel Angeli, quorum apud ipſum ſimulato hominum habitu tres diuerterunt, expetere videbantur. Cæterùm rei familiaris, ampliſſimæ licet, cura ſobria ita erat, vt inde non opum aceruus, ſed beneficiorum in quemque officia inſtituerentur, quæ eadem fere vitæ totius ratio Loth quoq;, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & iuſtorum aliorum erat, qui omnes cur tanti, tamq; perfecti euaderent, id vnũ fuit, quod fide, ſpe, & dilectione ſumma & plena excellerent.

MELCHISEDECH rex iuſtitiæ, & ſacerdos Dei altiſſimi, cathedram Eccleſiaſticam in vrbe Salem, conſtituerat eius parentum, liberorumq; ob muneris typici ſanctitatem, & excellentiam ſacra hiſtoria ne verbo meminit, filius cæteroqui erat Noah primogenitus, Sem proprio nomine, de quo ſuperius, ſenex iam Abrahamo tamen ſuperſtes, cum Abraham, Iſaac, & Iacob ſæpe, multumq; de Deo æterno, de redemptore futuro, cæteriſq; quæ ad æternam felicitatem faciunt, agere ſingulari cum illorum conſolatione potuit. Hæc lumina Eccleſiæ, hæc proborum, & iuſtorum exempla erant ſplendidiſſima, & per vtrumque teſtamentum ſempiterna.

Circumciſio à Deo præcipitur, anno 2046. ſignaculum & teſſera

fœderis Dei,& iuſtificationis,qua fideles inter, & fide extorres differentia manifeſta extaret.

Loth Abrahami ex fratre Aram nepos, & peregrinationis indiuiduus comes ſingulari pietate commendatur.

Res gentium ætate Abrahami.

SEmiramis regina,Nini Aſſyrij vxor,animi magnitudine, prudentia,induſtria, & rerum geſtarum gloria longè celeberrima, defunɛ̃to vita marito, quadraginta duos annos imperio præfuit, bella confecit,vrbes & ſplendida ædificia extruxit, ſui admirationem poſteris, & ipſi etiam Alexandro magno reliquit, regnare cœpit anno ætatis Abraham decimo.

Sodoma,Gomorrha,vnaq; tres aliæ ciuitates Paleſtinæ ad Iordanem, ob flagitiorum enormem turpitudinem, cœlitus igne & ſulphure delentur.

Iſmaël Abrahæ filius ex Agar,auerſus à patre montes ſeir occupat, cuius de genere AEdomitæ ſunt orti, ex quibus tandem prodierunt ſaraceni,mutato nomine,quod Agareni ex ancilla dici nolint.

Troglodytæ, AEthiopes, Arabes Felices,& Indi aliquot à cæteris Abrahæ ex Cethura liberis ducunt genus.

Africæ regio & populi plerique nomen originemq; habent ex Opher filio Madian, Abrahæ ex Cethura nepote.

Moabitæ,& Ammonitæ ex Loth & filiabus eius progignuntur.

Primi Sapient. s.

CHaldæi ſapientes,retenta ea rerum diuinarum, & humanarum ſcientia,quæ apud Babylonios ex ſanɛ̃torum patrum traditione remanſerat,cuius illorum ſacerdotes præ cæteris ſtudioſi erant,in magna apud quoſque exiſtimatione habebantur, tametſi labente tempore, cùm à Dei æterni, tùm à rerum vera cognitione multum degenerarẽt,erant verò Chaldæi ſapientes in Babylone, cultui Deorum deputati, in omni vita philoſophantes, incantationibus mala abigere ab hominibus,& bona afferre exiſtimabantur,auguria,ſomnia, & prodigia interpretabantur, aſtrologiæ erant peritiſſimi ſupra cæteros mortales,genethliacam maximè exercebant, & ſimilia, qua in philo-

in philoſophandi ratione floruerunt longiſſimis temporibus, vt eorum etiam Danielis prophetia meminerit, & in ſecundo de diuinatione prodiderit Cicero vulgò ferre ſolitos,ſe quadringenta ſeptuaginta millia annorũ in periclitandis, & experiundis hominibus natis poſuiſſe, quod tamen nec origini ipſorum, nec veritati eſt conſentaneum.

Mercurius Triſmegiſtus, Hermes Græcis, AEgyptiis Theuth,aut Thoyt nuncupatus, Theologus antiquiſſimus, ab Aſſur rege ducens genus,ignis latriam pertæſus in AEgyptum ſub Oſiride rege venit,vbi de iis,quæ à venerandis maioribus Noë,& Sem acceperat, de Deo ſummo,atque aliis magna cum laude diſſeruit, a quo reconditos illos ſapientia theſauros,vnaq; literarum inuentum AEgyptii acceperunt. Quæ cauſa ſequentibus ætatibus philoſophos,& principes viros ſapientiæ, aſtronomiæ, legumq; fontes cognoſcendi ſtudio illuc pertraxit. Verùm,vt fit,potioribus neglectis leuiora AEgyptij retinuerunt,vt mirum non fuerit ſi pro diuinis ſincerè acceptis, & poſteà deprauatis,erronea ſuccreuerint cumulatiora. Alij hunc Mercurium AEgyptiorum moderatorē in Moyſis tempora reijciunt, parum aduertentes, Moyſe cum longè antiquiorem fuiſſe, vel ex eo conſtare,quòd philoſophia iſta in ſummo flore etiam antè ipſum Ioſeph fuerit,& quòd Moyſen ipſum ab incunabilis in omni diſciplina, & ſapientia AEgyptiorum eruditum fuiſſe, Acta Apoſtolorũ teſtentur, nec tum quoque quenquam amplius apud externos extitiſſe, a quo tanta,& tam indubitata myſteria Mercurius didiciſſet.Illud potius dubium fuerit, ſitnè idem Mercurius, & qui primùm AEgyptios docuit,& qui, quos reliquos habemus, ipſius libros ſcripſit? Conſtat quidem literarum characteres AEgyptiis eum tradidiſſe, obſcuris arborum, animaliumq; & rerum aliarum ſignis, quæ Hieroglyphica vocant, quorum antiquiſſima monumenta impreſſa ſaxis reperiebantur;vix tamen veriſimile eſt, extare libros ſacris vetuſtiores, vt non malè illi ſentiant, qui plures fuiſſe Mercurios narrant, quorum poſterior, quæ prior ſubinuolucris memoriæ conſignauerat, politiore quidem charactere,ſed fortaſſe ſenſu non amplius tam perſpicuo, deſcripſerit. Quanquam ſcripta illa, & primarum religionis

nis originum vim, naturamq; egregiè retineant, & vel Theologorum conſenſu,eo etiam nomine plurimum commendentur.

Phœnices ſiderum rationem, aliaq; præclara ex Abraham permulta diſcunt,nam ex Meſopotamia aduentantem ferunt magnam ſui,& diuturnam apud Damaſcenos,Phœnicum,& Syrorum primates feciſſe memoriam,villamq; ibi,Abrahæ domum nuncupatam,oſtendi,vt viues in octauum decimum librum ciuitatis Dei, ex priſcis autoribus oſtendit,quibus ſacra hiſtoria non reclamat.

AEgyptiorum rex,& ſacerdotes ex Abraham,ob famem in AEgyptum profecto,multa de rerum cognitione, de aſtris, de pietate, & vitæ integritate docentur, quem illic annos egiſſe perhibent complures,vt viues refert. Quid ſi Abrahā dicamus Triſmegiſtum fuiſſe, aut Triſmegiſtum ex Abrahamī ſociis quempiam, apud AEgyptios Theuth quaſi peregrinantem dictum, quod Thou Hebrais errantem ſignificet,aut à Thau ſignum quaſi vocatum, quod literarum characteres,& ſigna illis tradiderit?

Sibylla ſambetha prima in gentibus vates futura canit,Erythręam quoq; nonnulli hic locant,rectius tamen Euſebius ſub Ezechia rege

Druidæ tempore Iacob originem habuêre,Gallorū magi,querna fronde in ſacris redimiti.

CAP. XV. De Patriarcha ISAAC.

Anno 2154. obiit Abraham.

22
Iſaac.

ISaac promiſſa Abrahæ proles, ex qua prodiret benedictum ſemen Chriſtus, anno mundano 2154. quo ſanctus parens obiit, ſeptuaginta quinque annos erat natus,indè in viuis adhuc fuit quinque ſupra centum, quibus cùm filios, tùm nepotes de diuina ſapientia edocuit: ad ſacrificium à patre eductus eſt, colligandumq; ſe, & imolandum ſumma cum obedientia exhibuit ætatis anno,vigeſimo quinto,vt Ioſephus refert, vel etiam vt alij autumāt trigeſimo,robuſtus iam,& qui ferenda lignorum ſarcina, qua concremandus erat, ipſe vnus ſufficeret. Quarto anno poſt obitum

Abrahæ, obiit quoque ſacerdos magnus Melchiſedech.

Iacob pius, improbi Eſau fratris iras declinans, in Meſopotamiam ſe ad auunculum Laban recipit; vbi paſcendo pecori deditus, in ſolitudine, & ſilentio egregiè philoſophandi, & ſanctis meditationibus proficiendi opportunitate viginti ſeptem annis vſus eſt: quatuordecim pro vxoribus, ſeptem gratuito, ſex pro gregibus: natus erat annos 69. cum in Haran proficiſceretur, nonaginta verò cum Ioſeph ei naſceretur: vixit cum Iſaac patre poſtquam rediiſſet, annos viginti quatuor: fuitque Iſaac cæcus ſupra quinquaginta annos.

Res gentium tempore Iſaac.

AEdomitæ populi è duodecim principibus ab Eſau prognatis originem ducunt.

Tria totius æui, Ethnicis comperti, tempora ponuntur: primum antè diluuium Ogygis, incertum, vt exiſtimant, quantum fuerit, alterum ab eo diluuio, mille viginti annorum, quod ob rerum geſtarum incertitudinem, & quod plurimas habeat permixtas fabellas, mythicon, & fabuloſum vocant; tertium poſt inſtitutas Olympiades hiſtoricum, quod conſignata omnia diligenter tradat. Habent itaque externi, & Ethnici ab hoc tempore, quo Attica ſub Ogyge principe maris inundatione vaſtata perhibetur, ſuas hiſtorias; ſed commentis, & fabulis permixtas, vel certè ad fabularum fucum, poëtarum licentia, traductas.

Ogyges itaque in Attica hoc tempore celebris eſt, quo principe, diluuium illud fuit memorabile, anno poſt mortem Abrahæ quadrageſimo quinto, anno mundi 2199.

Argiuorum regnum initium ſumit per Inachum & Nioben, anno 2138. regni caput Argos in Achaia erat, Inacho ſuccedit Phoroneus.

Phaëton in Italiam venit, quo tempore incendio conflagrarunt multa.

Pallas Tritonia, vel Minerua Afros bella docet, Athenas in Attica nobiliſſimam Græciæ ciuitatem condit, Dea ſapientiæ à Græcis exiſtimata.

Prometheus, & Attlas fratres, cœtus palantiam hominum cogūt,

quos bonis moribus,& deſiderum curſu inſtituunt,atq; vt rationem ducem potius,quàm agreſtium ferarum ritum ſequantur monent.

CAP. XVI. De Patriarcha IACOB.

Anno 2259. *obiit Iſaac.*

23
Iacob.

IACOB patriarcha filius Iſaac cognomine à Deo Iſraël dictus,duodecim patriarcharum, adeoq; totius Iſraëlitici populi parens, anno mundano 2259. quo obiit Iſaac,viginti ſupra centum annos habebat; vixit porrò viginti ſeptem annos.

Iſraël, quo nomine cenſetur Iacob cum liberorum, & nepotum ſeptuaginta quinque familia; anno 2268. nempè nono poſt mortem patris Iſaac, ob famem ſeptennem in AEgyptum demigrat, anno famis ſecundo.

Duodecim patriarchæ(ſic enim in actis Apoſtolorum quoque appellantur)Iſraëlis filij, ſunt Ruben primogenitus, Simeon, Leui, Iudas,Dan,Neptalim,Gad,Aſer, Iſachar, Zabulon, Ioſeph, & Benjamin,ſex annis Ioſepho minor:Leuim Deus ex numero quaſi decimas ſibi exemptum,rebus ſacris,& cultui diuino, cum eius progenie poſteà mancipauit: vt autem conſtaret duodenarius numerus, pro vno Ioſeph duos eius filios Ephraim & Manaſſen ſuffecit, translato iure primogeniti Ruben, ob eius flagitium, partim in Leui quoad ſacerdotium;partim in Ioſeph quoad geminam inter fratres hæreditatem capiendam;ex his igitur numeroſiſſimus ille Iſraëliticus populus, per tribus duodecim diſtributus, originem duxit.

IOB vnum integritatis, & toletantiæ ſpecimen, inter ethnicos, gentilis ipſe,in Idumæa,quæ Arabiæ vicina eſt,his temporibus floret, & prophetis cæteris antiquior, primus poſt Enoch de Chriſto prophetat,ſcribitq;. Eum pleriq; pronepotem Eſau fuiſſe tradunt, patre Zara,auo Raguele,proavo Eſau,quanquàm Hebræi, & diuus Hieronymus deſcendiſſe eum putent ab Achor Abrahæ fratre, cuius primogenitus erat Hus,à quo Huſſitim regionem denominant. Vixiſſe eum ducentos ſeptemdecim annos ad natum vſque Moyſen, acutè ex eius duplicata felicitate colligebat Pererius vir peritiſſimus, dum

cum

eum in prælectionibus Romæ audirem: eius hiſtoriam deſcripſit Moyſes.

Res gentium tempore Iacob.

HErcules Lybicus nominatiſſimus monſtrorum domitor; laboribus ſtupendis maximas alijs commoditates, ſibi nihil peperit, præter famam æternam, & plurimum inuidiæ, per quam etiam fatis conceſſit.

Sparta Lacedæmonum in Græcia, & Meſſana in Sicilia Regiæ vrbes conduntur.

Druidæ Gallorum magi ad Diuitiacum, & Auguſtodunum, ſuperioris nunc Burgundiæ, philoſophiam de naturæ ratione profitentur; & partim auguriis, partim coniecturis quæ eſſent futura prædiuinant.

CAP. XVII. De IOSEPH.

Anno 2285. obijt Iacob.

IOſeph filius Iacob, ſingulare caſtitatis, & virtutum variarum ornamentum, interpres diuinarum viſionum, cœleſtis ſapientiæ lumen, in vitæ purioris decurſu eò gratior alijs effectus, quò maturius in juvenili ætate virtutum ſpecimen edidit, naſcitur anno mundano 2229. anno ſextodecimo ætatis in AEgyptum venditur; vigeſimo octauo in carcerem conijcitur: trigeſimo regni AEgyptij gubernacula ſuſcipit: ab anno mundi 2285. vita functo patri ſuperſtes fuit quatuor & quinquaginta annos: vixit omnino annos centum decem.

24 Iudas.

IVDAS filius Iacob, vigeſimus quartus patriarcha in Chriſti genere, benedictione moribundi patris, primatum inter fratrum familias conſecutus eſt, qui non ante intercideret, quàm aduentus Meſſiæ pro foribus eſſet; quapropter duodecim tribuū, tribus Iuda princeps, & Iudæis origo cognominis fuit.

Res gentium tempore Ioſeph.

AEgyptiis regibus cognomen commune erat Pharaoni; cæterum qui famis tempore præerat, Amaſis fuit, quem ſecutus eſt Chebron, ſecundùm alios Cenchres.

Baleus iunior apud Aſſyrios longè imperitabat, bello notus etiam Indis, cui eidem ſe dediderunt.

Cres in Creta regnum nouum, & gentem Curetum excitat. Typhon, Buſiris, Anteus immani crudelitate & robore Tyranni infames habentur.

CAP. XVIII. De ſeruitute AEgyptia. Anno 2340. obiit Ioſeph.

Solet iuſtorum & maximè electorum promiſſa Deus plerumq; differre, vt fidem ipſorum, conſtantiamq; exerceat, cum è contrario improbis affluere commoda facilè patiatur: eam ob cauſam Iſmaële, & Eſau iam pridem in regiones deſtinatas intromiſſis, ſanctorum patriarcharum, & Iſraëlitarum animos diſtineri, & grauiſſimè affligi antè permiſit, quàm in felicem terræ promiſſæ poſſeſſionem venirent, expertiq; ij ſunt in AEgypto, quo per diſpoſitionem diuinam deſcenderant, ſeruile iugum acerbiſſimum, poſt Ioſephi mortem.

25 Phares.

PHARES filius Iudæ, mortuo Ioſepho anno 2340. viceſimus quintus eſt in Meſſiæ ſtirpe Patriarcha, quo tempore gens Iſraëlitica in immenſum creuit, quæ cauſa prima fuit, cur AEgyptios haberet infenſos.

26 Eſron.

ESRON filius Phares anno 2380. ſucceſſit, tum verò poſtquã Leui, & Seniores quiq; vita exceſſiſſent, pſeudoprophetæ, & ſectarij ſe miſcuerunt populo Dei, ſed patrum fides per Leuiticam familiam intemerata eſt ſeruata, & propugnata. His vnà cœpit Tyrannica oppreſſio per reges, quadraginta circiter poſt defunctũ vita Ioſephum annos, quæ perſeuerauit per annos plus minus centum; nam quod longè antè natum Moyſen cœperit, facilè ex libri Exodi liquet exordio.

Moyſes in ſeruitute AEgyptia ex tribu Leuitica naſcitur anno 2403. fratre Aarone triennio minor.

27
Aram.

A R A M filius Eſron, anno 2420. genealogiæ Chriſti catenam continuat.

28
Amina-
dab.

A M I N A D A B filius Aram anno 2450. viceſimus ſeptimus patriarcha de tribu Iuda.

Anno triceſimo tertio Aminadabi, nempè 2483. Iſraêl ex ſeruitute exit: effluxerunt itaq; ab Iſraêlis deſcenſu in AEgyptum ad exitũ eius anni ducenti quindecim, à prima verò terræ promiſſione Abrahamo facta ad hunc exitum quadringenti triginta, quanquã alij aliter hos annos ſupputent: ſed probabilior ratio, & minus intricata à diſceſſu Abrahæ ex Haran incipit, vt præcisè quadringentorum triginta iſtorum annorum dimidium peregrinationi in Chananæa, altera pars peregrinis in AEgypto tribuatur, quæ quidem ſentẽtia ſacræ hiſtoriæ fundamentis, ſecundum ſeptuaginta interpretes, nititur, apud quos ex Græco ita legitur; Habitatio autem filiorum Iſraêl, qua habitauerunt in AEgypto, & in terra Chanaan; ipſi, & patres eorum, ſunt anni 430. Exodi cap. 12.

Res gentium tempore ſeruitutis AEgyptiæ.

AMenophis ſecundus AEgypti rex is eſt, qui Iſraêlem opprimi iuſſit: qui verò Moyſi, & diuinis monitionibus obſtitit, variè nominatur, aliis Cenchres, aliis Tethmoſis, aliis Bachoris.

Cecrops Athenienſium regnum inchoat, anno mundi 2438.

Diluuium in Theſſalia circa triceſimum annum Cecropis fuit, cuius apud prophanos autores crebra fit mentio: propterea fortaſſis, quod quæ à maioribus de vniuerſali illo audiuerant cum iſto confundebant.

CHRONICORVM LIBER III.

De Iudicibus Iſraêlitis.

CAP. I. De Iudicum ſtatu in Iſraël.

HActenus teſtamenti veteris pars effluxit maior, annorum amplius bis mille quadringentorum octoginta, ac ſecuta eſt in Eccleſia mutatio inſignis; ventum enim eſt à lege naturali ad ſcriptam, à Patriarchis ad iudices: ipſa verò Eccleſia ex vna familia in populum ingentem excreuit, ac ſacerdotium Aaronicum cum cruentis ſacrificiis ſucceſſit ſacerdotio Melchiſedechico iterum poſtea reſtituendo per Chriſtum. Populo quoque præter ſeniores per quaſque familias, & tribus, vnus toto dux à Deo eſt præfectus, quem Iudicis nomine ſacræ literæ deſignant.

CAP. II. De MOYSE *magno legislatore.*

MOYSES magnus Dei interpres, natus in AEgypto, aquis expoſitus, & diuinitus ereptus, in regio palatio educatur inter ſapientes, & principes, ac inſtituitur AEgyptiorum diſciplinis omnibus: quadraginta annos natus in Madianitica deſerta perfugit, vbi dū paſcendo pecori dat operam, totidem annos animo in diuinis meditationibus ponit, & humanæ ſapientiæ diuinam adiungit; vt ſimul Philoſophia, & Theologia inſtructus, moderando populo Dei idoneus fieret, vt ſentit Beatus Baſilius, cuius populi ductor poſteà alios qua-

quadraginta annos fuit. Porrò è deſerto Arabiæ, vbi vitam ſolitarius agebat, per igneū oſtentum excitatus, à Deo in AEgyptum ad regem delegatur; à quo dimittendi populi Dei impetret facultatem. Primus ipſe Iſraëlitarum fuit Iudex, thaumaturgus tantus, vt nemo vnquàm mortalium tanta, nedum maiora portenta, & ſupra naturam miracula ediderit. AEgyptios omnes attonitos fecit, reluctantes afflixit, ac propemodum deleuit, maria præ ſe diſcidit, ſicco veſtigio cum omni populo permeauit, poſt ſe mare reduxit, exercitus hoſtiles alios vndarum mole ſubmerſit, alios precibus ad Deum fuſis proſtrauit, animo ſemper invicto ipſe, & generoſo, non tantum contra hoſtes, ſed etiam inter ciues aduerſarios, & ingratos: vt iniuria licet ſæpè laceſſitus, mitiſſimum tamen ſe interponeret ſequeſtrum inter continuas populi obſtinatiſſimi turbas, murmura, ac rebelliones, & Deumq́ ſuccenſentem, vt miratus animi fortitudinem Deus, fidiſſimū eum ſeruum prædicaret; voluntatem ſuam, & leges per eum apperiret, & coràm de facie ad faciem ſermones cum ipſo miſceret, quod quidem nemini patrum prætereà contigit. Tantus cum eſſet princeps, ſacerdos, propheta, legislator, Deiq; contemplator, cum de diuinæ potentiæ diſpoſitione apud aquas contradictionis dubitaſſet, indignus à Deo eſt iudicatus, qui Iſraëliticum populum in terram felicem introduceret: obiitq; è regione terræ promiſſæ, poſtquā oculis eam contemplatus eſſet: ſepultus angelorum manibus in valle Phogor, anno ætatis centeſimo vigeſimo.

CAP. III. De exitu Iſraëlis.

Anno mundano 2483.

ISraëlem Deus per Moyſen è ſeruitute AEgyptia, multis, & ſtupendis ſignis eduxit; ac perduxiſſet in promiſſam ſanctam regionem è veſtigio, niſi populi obſtitiſſet peruicacia, & infidelitas: erant Iſraëlitarum tùm ad bellū idoneorū, ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta, præter mulieres, liberorumq; & decrepitorū imbellē turbā, eorū, qui infrà viceſimū, aut ſupra ſexageſimū annū eſſent. Errarūt itaq; per Arabiā deſertā quadraginta annos, tanta tamē cum Dei procuratione, vt ne calceos primū indutos detriuerint vnquā, & nutriti

ſuc-

fuerint identidem Manna, quod genus panis erat de cœlo ſtata hora quotidie demiſſum.

29 Naaſſon.

NAASSON filius Aminadab in Chriſti ſtemmate, erat dux tribus Iuda: nam cuiq; tribui in exitu ex AEgypto ducem attribui, ſub ſummo Iudice Moyſe, viſum fuerat.

De lege ſcripta.

SVmma religionis adhuc omnis pendebat ex patrum traditione, & viſionibus, non enim ſcripturis, ſed vni tradito, & quaſi per manus verbo Dei accepto inſiſtebatur, verumenimvero, cum & imbecillitati rationis ſuccurrēdum, & lex naturalis extincta ferè, inſtauranda eſſet; data eſt, quinquageſimo poſt exitum ex AEgypto die, à perpetuo mortalium fautore Deo lex ſcripta, tanquàm ſecundaria, qua homines ad mentem poſtliminio redirent, & quo pædagogo quid virtus expetendumq;, quid peccatum, fugiendumvè eſſet, certius cognoſcerent. Ad eam legem ferendam euocatus eſt Moyſes è populo Iſraële circumſtante, in montem Synai altiſſimum: quam à Deo acceptam diligenter, ſummaq; fide deſcriptam, quinque libris complexus eſt, Geneſeos, Exodi, Leuitici, Numeri, & Deuteronomij, qui ſacrarum literarum, adeoq; totius diuinæ ſcripturæ initia fuêre. Moyſes quoque, præter Pentateuchum hunc, hiſtoriam ſancti Iob carminibus expreſſit, vt poëtarum etiam princeps, & autor fuerit. Tria per legem maximè proſecutus eſt, ethica, quæ piè formandis moribus vſui eſſent, quorum compendium ſacro Decalogo continetur: myſtica quæ ad ſacrum Dei cultum, ceremonias, ſacrificia, & ſacerdotium pertinerent; politica de rebus forenſibus, de iudiciis, de reipublicæ forma, & ſalute. Quæ lex tamen apud vnos Iſraëlitas viguit, quod ethnici populi deteſtandis erroribus à Deo averſi, indignos ſe tam pia doctrina redderent, qui propterea adhuc in vna naturæ lege acquieſcebant, donec Euangelij tandem tuba, ad Dei amicitiam, reuocarentur.

Res

Res gentium, Moyſis tempore.

TRoianum regnum in Aſia inſtituitur duce Dardano, triginta tres poſt exitum Iſraëlis annos, anno mundi 2516.

Orcus Moloſſorum rex Proſerpinæ raptu in famis fit.

Og Baſanorum rex vaſtus erat, ita, vt cubile eius ferreum nouem cubitos eſſet longum, latum quatuor.

Balaam vates paganus, raptus in extaſin à Deo, præcinit aduentum Chriſti, gentium ad ſalutem ducis, tanquam ſtellam ex Iacob orituri: cuius prophetiam Magi orientales deinceps perpetuò obſeruarunt, quoad ſtellam in ortu Domini ſplendentem inuſitato fulgore depræhenderunt.

CAP. IV. De IOSVE

Anno 2523.

IOSVE inclitus heros, princeps Deo amiciſſimus, Chriſti ſaluatoris typum referens electum populum, primo principatus anno in optatam terræ promiſſæ poſſeſſionem introducit, animo ipſe ita in Deum erecto, & fide pleno; vt medio è prælio ſolem iam occidentem ſimulq; Lunam, immotos conſiſtere iuſſerit, donec debellaret; continuato, & in duplum producto die. Reges Chananæos triginta ad internecionem deleuit; vrbes trecentas octoginta cœpit; Palæſtinam regionem antè quadringentos ſeptuaginta annos Abrahæ, & ipſius ſemini promiſſam, ſubiugauit, eamq; magna cum dexteritate in tribus duodecim, & ſingulas illarum familias, populo Iſraëlitico ſorte diſtribuit; præfuit rebus annos triginta duos.

30 Salmon.

SALMON filius Naaſſon, tum tribus Iudæ dux, in ſtemmate Meſſiæ erat, quando populus Iſraëliticus in terram promiſſionis venit.

Res gentium ſub Ioſue.

LIterarum characteres per Phœniciam, & Græciam inuentos à Phœnice, & Cadmo, ex AEgypto venientibus; atq; ad Hebræo-

rum, & AEgyptiorum exemplum Syriace & Græcè ſcribi cœptum, ferunt: quanquam Syriaca ea alia fuerit, quàm quæ poſtea inter Iudæos in vſu fuit.

Faunus, cum coniuge Fauna, fatidicus in Latio Italiæ regnat, vt Liber Pater Bacchus in India.

CAP. V. De Iſraëlis vario lapſu.

POſt obitum Ioſue & maiorum è vita, graues afflictiones Iſraëlē, & ſeruitutes inuaſerunt; nam introductis per nouatores, & curioſos nouis diis, & religione mutata, ſæpè populi non modica pars à Dei æterni cultu abducta eſt, cuius cauſa iratus Deus, in Iſraëlem diuerſos hoſtes immiſit; reſipiſcenti verò, deprecantiq; iterum ignouit, & qui eum in priſtinam libertatem aſſereret, liberatorem ſuo ſpiritu excitauit. Idea prorſus Chriſtianæ Eccleſiæ, hæreticorum nouationibus ſæpius temeratæ, quos Deus ſcelerum multitudine prouocatus in Eccleſiam graſſari permittit, deindè eos ad preces piorum & in patrum fide conſtantium, excitatis per ſpiritum ſuum doctiſſimis, & grauiſſimis viris, percellit, expugnatq;, ac veritatem Apoſtolicæ religionis puram, ſanctamq; porrò conſeruat. Quapropter hęretici, quã tumuis in ſummo doctrinæ flore verſari videantur; fugiendi ſunt, & explodendi ab iis qui decipi nolunt; non enim ideò immittuntur, vt veritatem doceant, ſed vt conſtantia tentetur orthodoxorum; non ſecus atque de paganis Iſraëlitarum inquilinis ſcriptum eſt; Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis, & experiretur Iſraëlem, vtrum audirent mandata Domini quæ præceperat patribus eorum, Iudicum cap. 3.

OTHONIEL ſeu Athniel anno mundano 2555. tertius iudex, & dux Iſraëli præeſt annos octo, egregiè ſpiritu Dei inſtructus.

AOD, ſeu Ehud ambidexter, anno 2563. quartus iudex poſt quadraginta annorum magiſtratus ſolitudinem, & octodecim annorum ſeruitutem Iſraëlis, regnat viginti duos annos, qui ſimul conficiunt octoginta.

SAMGAR, quintus iudex fuit, cuius anni ſub Aod compræhenduntur.

DEBO-

DEBORA prophetiſſa, anno 2643. in ordine iudicum ſexta, oppreſſum iterum per viginti annos Iſraëlem in libertatem vindicat, regnat totidem annos, hoſtemq; fide orationis ſimul, & armorum apparatu deuincit.

31 Booz.

BOOZ filius Salmon trigeſimus primus genealogiæ Chriſti patriarcha, ex Rahab matre Chananæa fuit, quæ exploratores duos Hierichunte hoſpitio exceperat. Booz deindè alter huius filius fuit; itemq; tertius ſuperioris nepos: tres enim ordine fuiſſe in ſtirpe Meſſiæ perhibentur, quos vt vnius nominis beatus Euangeliſta Matthæus ſub vno, & eodem comprehendit.

Res gentium tempore Iudicum.

MInos in Creta, Rhadamantus in Lycia reges ſumma æquitate, exacta legum obſeruatione, & incorruptiſſimo iudicio commendantur.

Pan, Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, Neptunus, Vulcanus, Pluto, Cybele, Iuno, Ceres, Venus, Diana, Apollo cæteraq; gentilium Deorum turba emergunt: quos cæci mortales in cœlis, & vniuerſo mundo regnare putarunt, cum ne ſeipſos ſaluare poſſint.

CAP. VI. De GEDEONE.

Anno 2683.

GEDEON magnanimus heros, ardens Domini zelotes, hoſtis, & euerſor prauæ religionis perpetuus, poſt ſeptennem Iſraëlis oppreſſionem per Madianitas factam, ſeptimus Iudex per Angelum dictus, clam, palàm, perſecutus eſt cùm peruerſam religionem, tùm illius cultores; vno prælio trecentis viris ſtipatus, inſtructus autem egregiè Dei conſilio, & præſidio, centum triginta quinque millia Madianitarum, & Orientalium diſiecit, proſtrauitq;. præfuit, computato vnâ oppreſſionis tempore, annos quadraginta.

ABIMELECH tyrannus, anno 2723. octauus iudex præeſt annos tres.

THOLA nonus Iudex anno 2726. præeſt annos viginti tres.

IAIR decimus iudex anno 2749. præeſt viginti duos annos; tum magiſtratus ſolitudo iterum annos octodecim Iſraëlem tenuit:

quo de ſtatu ſacra hiſtoria ait, In diebus illis non erat rex, ſed vnuſquiſq; quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat, Iudic.12.

IEPHTE, vndecimus iudex, anno 2789 bellator acerrimus, præeſt annos ſex; iugo Iſraëlem liberat, & filiam ex voto, pro conſecuta victoria, Deo immolat.

Hiſtoria Ruth externæ Moabitidis hoc tempore contigit.

ABESSAN, ſeu Ibzan Bethlehemites, anno 2795. duodecimus iudex præeſt ſeptem annos: eundem hunc eſſe cum Booz qui exteram Ruth ſibi matrimonio iunxit, Hebræi tradunt.

32
Obed.

OBED, filius Booz iunioris ex Ruth natus, hoc tempore in genealogia Chriſti eſt.

Res gentium tempore Iudicum.

SIbyllæ hac ætate fuêre plures, futuræ ſalutis inter paganos prænunciæ: Ita in mediis errorum tenebris Deus voluit igniculos veritatis emicare, quibus miſeras gentes ad ſalutem præpararet; non quidem per viros, ne philoſophiæ operā dediſſe exiſtimarentur: ſed per virgines ſcholarum expertes, è quibus, tanquam è caſto, puroq́; domicilio Spiritus Dei ſalutis futuræ myſteria maiore cum admiratione præſignificaret. Cecinerunt verò diuerſis locis ordine Sibyllæ Delphica, Cumæa, Tiburtia, Colophonia &c.

Poëtæ primi, poſt Moyſen ſacrum, ſunt Tireſias vates, Phemonoe fœmina; Linus, tum eius auditor, Orpheus, & Muſæus.

Muſices inſtrumenta, vocumq́; harmonia excoluntur, quorum autores ſunt Amphion, Orpheus, & Silenus, claretq́; vnà Dædalus artifex.

Regnat Erichtheus apud Athenienſes: Argus, & poſt eum Protheus apud Argiuos; Tantalus, & poſt eum Midas apud Phryges; Mars apud Italos, Pelops in Peloponneſo, Perſeus bello infeſtat Perſas, Euander ex Arcadia migrat in Italiam ad Faunum.

Hercules Amphitrionis filius, Theſeus rex Athenarum, heroës fortiſ

fortiſſimi, Atreus & Thyeſtes Pelopis filij inhumaniſſimi tyranni inſignes habentur.

Argonautica expeditio ſuſcipitur ex Theſſalia in Colchidem, ad rapiendum vellus aureum. Autor & dux Iaſon fuit, qui Medeam rapuit, nauis Argo prima apud Græcos facta eſt à Minerua: ea vecti ſunt heroës lectiſſimi ſupra quinquaginta, Caſtor, Pollux, Hercules, Theſeus, Orpheus, Telamon, Nauplius, Mopſus, Melampus, Amphiaraus, Teſtor, Erydamas, Coronus, Iphidamus, cæteriq́; nauta fuit Tiphys.

Amazones bellicoſæ fœminæ in Scythia Aſiæ regnum, & bella ordiuntur ætate Iephte, anno 2790. claruerunt inde vltrà Babylonicam captiuitatem.

CAP. VII. De Samſone.

Anno 2802.

ELON tredecimus iudex; anno 2802. præeſt annos decem in Iſraël.

ABDON quartus decimus iudex, anno 2812. præeſt annos octo.

SAMSON heroum, atque adeò omnium quotquot fuerũt mortalium robuſtiſſimus, quintusdecimus Iſraëli iudex anno 2820. præficitur, ac rebus præfuit annos viginti, irruentem fortè in ſe in itinere furentem leonem inermis ipſe in fruſta diſcerpſit; obuios mille armatos Philiſtæos mandibula aſini, quam vnam ad manum habebat, proſtrauit, vitam egit ſolitariam, & abſtemiam; verùm Dalilæ amore captus, etiam ab hoſte captus eſt; hoſtem porrò quoque moriens oppreſſit.

HELI ſacerdos, ſextusdecimus index, anno 2840. præeſt annos quadraginta, eius tempore infeliciter bellatum eſt, & Archa Dei in manus hoſtium venit, magno tamen ipſorum incommodo, vt coacti fuerint eam vltrò remittere.

33
Ieſſee.

Ie s s e, aliâs Iſai dictus, filius Obeth, Dauide rege filio in ſacris celebris, radix generis Meſſiæ illuſtris, ex Bethlehem, quæ poſteà quoque ciuitas Dauid dicta eſt, patriarcha eſt triceſimus tertius in genealogia Chriſti.

Res gentium tempore Iudicum.

HEroum ætas hæc feraciſſima eſt, qua cùm primis toto orbe celeberrimi fuerunt, cuius ob id ei nomē antiquitus datum fuit, vt etiam à Cicerone, cum de diuinatione ſcribit.

Bellum Troianum à Græcis in Aſiaticos ſuſceptum, & decimo demum anno confectum, in ipſos annos Iudicis Elon præcisè incidit; centum amplius annos antè regnum Dauidis. Troianorum primi heroës virtute præſtabant Priamus Rex, Hector filius, AEneas gener; Græcorum verò Achilles, Neſtor, Vlyſſes, Agamemnon, Aiax, Menelaus. Errores Vlyſſis & AEneæ à primo anno Abdonis numerantur, quo capta eſt Troia, anno mundi 2812.

Latinus in Italia rex celebris eſt, cuius ætate Carmenta nympha fatidica, carmina edebat; eademq; literas, & rationem tradidit ſcribendi linguam, à rege illo Latinam denominatam: quanquam Cornelius Tacitus vndecimo annalium, ab Euandro Arcade acceptas literas Latinas referat: quibus formæ eædem eſſent, quæ veterrimis Græcorum; quarum tamen ſedecim, nec plures fuerint; addidit enim Saluſtius ludimagiſter Kappa, K. Spurius Caruilius Gamma, G. ætas Auguſti literam X. Claudius imperatur digamma F. vt ibi notat Lipſius; fortaſſis literis ab Euandro traditis prima vſa eſt Carmenta, quibus cum regis accederet autoritas, ab ipſo Latinæ ſunt dictæ.

Latinorum regnum ab AEnea cum Troianis profugis vel continuatur, vel nouum inſtituitur, cui ſuccedit Aſcanius filius. Mycenarum rex eſt Oreſtes.

CAP.

CAP. XIII. De Samuele.

Anno 2880.

SAMVEL propheta, princeps, & ſacerdos fidelis, qui iuxta cor, & animam Dei ritè omnia adminiſtrabat, ſeptimus decimus Iſraëlis, & poſtremus iudex eſt, & prophetici ordinis primus: primum regem, mutato magiſtratu inaugurauit; præfuit annos triginta octo, nam duo eius extremi anni tribuuntur Saul regi.

Liber iudicum, qui hiſtoriam ſacram Ioſue, & ſucceſſorum complectitur, à Samuele propheta ſcribitur.

Res gentium.

LAcedæmon, & Corinthus illuſtres Græciæ vrbes ſingula regna, eodem ferè tempore, quo Iſraël inchoant; quo tempore Sicyoniorum & Myccnarum regna deficiebant.

CHRONICORVM LIBER IV.

DE REGIBVS ISRAELIS, & Prophetis.

CAP. I. De Prophetarum ordine. Anno 2918.

VEntum eſt ad tertium Reipublicæ Iſraëliticæ ordinem, à patriarchis, & Iudicibus ad reges ſimul, & prophetas: nam Prophetarum, etſi antè quoque nonnulli fuerint, propria hæc erit ætas. Reges profectò populus, vt par aliis per gyrum eſſet, à Domino, indignè id ferente, efflagitauit; quorum propterea ſtatus, nec vnitate, neque felicitate diuturnus fuit. His Deus, quod fortaſſis in conſectando externo ſplendore nimij eſſent, ſpirituq; Dei nō æquè vt iudices communiti, Prophetas adiunxit: fuit enim Iudicum dominatus tam ab omni faſtu, pompaq; alienus, vt pro foribus, aut ruri ſub patulæ arboris fronde ius dicere ſoliti eſſent. Ergo regibus populi gubernatione, & ſacerdotibus templi cura permiſſa, prophetarum deinceps munus fuit, vt numinis afflatu incitati, tanquàm Dei internuncij, & interpretes Verbo Dei in populo perſonarent, voluntatis diuinæ placita apperirent, vitia corriperent, & præcipuè futurorum bonorum de Chriſti aduentu, & liberatione, gentiumq; in partem gaudiorum vocatione pios conſolarentur: quem ad finem ſæpè quoque alios à pueris inſtituebant, filios prophetarum in ſacris nuncupatos.

CAP.

CAP. II. De rege Saul.
Anno 2918.

SAVL morum probitate, & corporis proceritate inter Iſraëlem præſtantior, primus rex Iſraëlitarum ſorte renunciatur è tribu Benjamin: inuncto ei à Samuele immutauit Deus cor aliud, mutatuſq; in virum alium eſt, nempe ſpiritu, ſapientia, fortitudine optime imbutum. Verùm ſacerdoti poſteà, Deoq; inmorigerus, de Dei gratia excidit. Regnauit, ait ſcriptura, 1. Reg. 13. annos duos, & quod D. Paulus Actorum cap. 13. quadraginta numerat, intelligi volunt de Samuelis, & Saulis principatu, vnà computato: conſtat tamen ex rerum geſtarum & plurium bellorum ſerie, itemq; ex lõga perſecutione Dauidis, eiusq; apud regem Achis exilio, Saulem longiore tempore regnaſſe, licet quantum illud ſit, nondum conſtet: quamuis non videatur abſonum, duos illos annos intelligi de tempore quo in gratia & ductu Dei regnauit: annos verò quadraginta de tota regni periodo. Satius tamen viſum eſt aliorum iudicio acquieſcere; & communem ſequi calculum, cùm Samuel ad extrema vſque Saulis tempora vixerit, & proinde vtriuſque principatus pro eodem computari poſſit.

Regum liber primus à Samuele propheta deſcribitur, ſecundus, vt & finis primi, à Nathan propheta, ſeu vt aliis placet, à Dauide: Tertius, & quartus regum porrò ab Ieremia, vel Eſra.

CAP. III. De Dauid ſancto rege & propheta.
Anno 2920.

DEcebat equidem regem regum Chriſtum per humanitatem quoq; genus regio de ſanguine ducere, vt quemadmodum Deo ipſi omnis honor, & gloria debetur, ita illius ſuperbenedictæ humanitati regia maieſtas non deeſſet: quare ita regnum Iuda ab ipſo inſtitutum eſt, vt præter vnum omnes illius à Dauide reges, in ipſius ſtirpe, pro inſigni ornamento, conſtituti eſſent.

24
Dauid.

D A V I D,filius Ieſſe, rex inuictiſſimus, propheta ſanctiſſimus,pſaltes diuinus, vir iuxta cor Domini,in quem ſpiritus Domini directus erat; vultu, ſpecie,& decore auguſtus,in rebus gerendis prudentiſſimus, viribus fortiſſimus, artis militaris peritiſſimus,ac velut Hercules ſacratus,belluarũ, hominumq́; immanium domitor clariſſimus: paſtor ouium adoleſcens vrſo, iterumq́; leoni,quantumuis ferocibus prædam eripuit,ac domitis gulam fregit;gigantem Goliath viribus, armiſq́; fidentem inermis duello obtruncauit; regnum iniit triceſimo ætatis anno, ſeptennio vni Iudæ tribui præfuit in Hebrõ, Iſraëli deindè vniuerſo tribus, & triginta annis, regnauit omninò quadraginta: regni ſedẽ Ieruſalẽ legit; montẽ Sion eius vrbis partem ad auſtrum editiorem, de ſuo nomine ciuitatem Dauid dixit, vexilli bellici inſigne leonem, myſtici leonis de tribu Iuda figuram habuit; bello fuit victoriis feliciſſimus, pace in iuredicundo iuſtus, & integerrimus; religione ad Dei gloriam, cultumq́; propenſiſſimus, vt etiam regias functiones ordiri ab eiuſmodi voluerit, quæ ad nomen Dei illuſtrandum ſpectarent. Tres illius virtutes ſacri autores præcipuas commemorant, ſapientiam admirabilem, qua in ſolio regio conſpicuus erat, humilitatem cum ad ferẽdas iniurias, tum ad faciles aditus priuatorum, vt tanta dignitate cum excelleret,manſuetudine,& facilitate par infimis,& vnus è multis eſſe videretur:& fortitudinem bellicam,qua in hoſtes fidei cùm magno impetu,tùm incredibili virtute, ac felicitate valebat: qua imperatoria autoritate ita ſuorum animos incenderat,confirmaueratq́;, vt nemo non præclarum quid præſtare auderet; eſſentq́; in illius comitatu heroes triginta ſeptem, quorum quiq; ingentem militum manum ſuſtinere,vel etiam fundere,nonnulli etiam hoſtilem exercitum perrumpere ſinguli poſſent. Crimine aliquando notatus, tam non id excuſauit,vt quam potuit maximo animi dolore,extremaq́; demiſſione pœnitentiæ acrimoniam ſubiret. Adiecerat animum extruendo Dei templo; ſed à propheta Nathan prohibitus, negotium ad filij tempus diſtulit, apparatu interim ad eam rem ampliſ-

ampliſſimo relicto : ei deniq; ingens ex poſteritate gloria acceſſit, triplicem conſecuto promiſſionem; primam quòd filius ei in regno eſſet ſucceſſurus; alteram quòd nè ipſius quidem nepotes de regio ſolio,dum rectè viuerent,eſſent dimouendi; tertiam nobiliſſimam,& planè diuinam, qua acceperat Meſſiam ſalutis humanæ reparatorem, de fructu ventris ſui proditurum, qui idem patrem Deum haberet, & filius Dauid nuncuparetur: quapropter eius ipſius ſpiritu plenus, pſalterio eum ſeu lyra ſpirituali præcinuit,& celebrauit, ediditq; quos in Eccleſia habemus pſalmos myſteriorum futurorum,ſimulq; ſuauium animæ precum vberrimos.

Res gentium,ætate Dauidis.

HOmerus poëtarum Græcorum ſummus, & poſteriorum fōs quidam inexhauſtus, Dauidis, & Salomonis ſacrorum poëtarum ætate floret.

Athenienſium regnum cum vltimo rege Codro finitum, ad principes Archontes deuolutum eſt, ſecundo anno Dauidis; qui Archontes perpetui fuerunt ad Alcmæonem vſque : inde olympiade ſeptima,decennales creati ſunt, poſtmodum olympiade vigeſima quarta,inſtituta eſt Democratia,& Archontes annui fuerũt, quorum ex ordine ſunt Dracon, & Solon legiſlatores. Ex hac Athenienſium rerum per tempora denotatione,reliquæ Græcorum hiſtoriæ per ſynchroniſmos facilè diſcerni poſſunt.

CAP. IV. De rege Salomone.
Anno 2960.

35 Salomõ.

SALOMON, Dauidis filius ex Bethſabea, rex pacificus,typo Chriſtum Dominum præſeferens,hominum omnium ſapientiſſimus : cùm optione ſibi à Deo data,non longæuos annos, non opum potentiam,non de hoſte victoriam, ſed vnam ſapientiam expetiiſſet, diuinam eam, & pleniſſimam eſt conſecutus ; regnum ſuſcepit duodecim non amplius annos natus, iam tum obtriti, & ſuperſtitis infantium iudicio celebris.

Pacata fuêre illius ætate omnia, vt ædificando Dei templo, parandiſq; quæ ad cultum, & decorem domus Dei pertinebant, eò impenſius vacaret; qua eadem tranquillitate poſteà philoſophiæ diuinæ incubuit, atque de Dei prouidentia, & in homines miro amore, de ſui ipſius cognitione, de rerum omnium natura, & ratione plenos ſapientiæ theſauros deprompſit, & perſcripſit. Bonorum, fortunarum, atque adeò earum rerum, quæ in hac vita homo ad felicitatem deſiderare poteſt, omnium affluentia, delitiiſq; potitus eſt, & fortaſſe, ait ſanctus Hieronymus, ideò corruit. Immiſit ſeſe in exterarum mulierum conſuetudinem, quarum idololatriam ſecutus, ſenex ſe à Deo alienari paſſus eſt; incertum, ſaluatus ſit, nec nè; ſunt tamen qui reſipuiſſe eum, ac pœnitentiam egiſſe affirment, præſertim idem Hieronymus. Regnauit annos quadraginta.

Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum libri ſacri à Salomone rege ſcribuntur, cætera eius innumera ſcripta temporum iniuria interierunt.

De Templo Salomonis.

TEmplum Domini à Salomone extrui cœptum anno 2963. perfectum eſt annis ſeptem, menſibus ſex: anno eius regni vndecimo, quo eſt inducta Arca Dei, olim à Moyſe facta, & templum ipſum ſolenni dedicatione ſacratum: fuit illud auguſtiſſimũ, & toto orbe clariſſimum, in monte Moriah intra vrbem Ieruſalem eminente ſingulare vrbis ornamentum. In eo nec alibi ſacrificia Deo, cultumq; omnem diuinum perficere fas erat; ad perſpicuam noui teſtamenti figuram conſtituendam; quo inter tot ſectarum Chriſtum profitentium religiones, vna ea, & Deo grata, & ſincera eſt, quæ Catholicæ Eccleſiæ ambitu continetur; extra quam, quicquid demum de verbo Dei tam diſſecto, inter ſectas, iactetur, nihil ſalutare, nihil acceptum Deo eſſe poteſt. Illic locus vnus, templumq; vnum religioni, quæ ad ſalutem duceret, à Deo conſtitutum fuit, hîc Eccleſia, communioq; vna; illi loco vni alligati erant, nos ſoluti loco licet, ſpiritui vni in vinculo pacis deuincti ſumus: & quanquam vndequaq; iam ad cœlum aditus patet, & exaudiuntur de orbis

orbis vniuerſi oris,quicunq; cœleſtem patrem in ſpiritu,& veritate adorant;tamen ſpiritus ille , & veritas vnius ſunt Catholicæ Eccleſiæ, cuius ſanctorum communio vna eſt ; extra quam aditus ad ſalutem nullus eſt.

CAP. V. De Seceſſione Iſraëlis.

Anno 3000.

OFfenſi aſperitate regis Roboam Iſraëlitæ , ſeceſſione facta à familia Dauid,regem porrò alium Ieroboam creauere ; qui ne templi religio ſuos Ieroſolymam ſubinde pertraheret , ac forte regibus Iuda denuò deuinciret , continuo impiæ ſuperſtitionis fana duo poſuit,& pſeudoprophetas non paucos adornauit, qui decem tribus ſchiſmaticas in officio , & praua religione retinerent; tribu Iuda tantum, & Benjamin apud Roboam & ſequentes reges Iuda perſiſtente.Regnum Iuda itaque penes Dauidis poſteros mãſit , metropolim Ieruſalem habuit , religionem auitam , & legem Domini ſolum ſeruauit : regnũ verò Iſraël à maiore tribuum parte ita denominatum,ſciſſum permanſit,periitq;,legem adulterauit,& regiam vrbem paulò poſt condidit Samariam. Inſignis iterum Eccleſiæ Chriſtianæ figura ; vbi offenſi nonnullorum ſcandalis ſectarij , abduci ſe patiuntur de domo Dauidis , quæ eſt Eccleſia Dei, ac tum benè ſecum agi putant , ſi ad pſeudoprophetarum arbitrium, quos vnicè amplectuntur , nouari omnia , & vetera traduci vidẽt, cum tamen vera lex Dei , veritas Euangelica, fidesq; Apoſtolica apud vnam tribum Iudam , hoc eſt nunc apud Petri Apoſtoli cathedram,& poſteros Romanos per Dei gratiam perpetuò conſiſtat.

36. Roboã.

ROBOAM Salomonis filius patri in regno Iuda ſucceſſit anno 3000. à quo deindè per reges Iuda ſtemma Chriſti deducitur , regnat in Iuda & Benjamin annos ſeptendecim.

Ieroboam alter rex decem tribuum Iſraëlis,autor idololatriæ in Iſraël , primus ſecedentium rex eſt per annos viginti duos.

37 Abiam.

ABIAM filius Roboam anno 3017. rex Iuda eſt annos tres.

38 Aſa.

ASA filius Abiam anno 3020. rex Iuda eſt annos quadraginta vnum.

Nadab regnat in Iſraël annos duos.
Baaſam regnat in Iſraël annos viginti duos.
Ela regnat in Iſraël annos duos.
Zambri regnat in Iſraël annos ſeptem.
Amri regnat in Iſraêl annos duodecim; Samariam vrbem in monte Somer ædificat, anno 54. ſciſſionis regni.
Achab impius præ cæteris, regnat in Iſraël annos viginti duos.

Res gentium ſub Aſa.

AGeſilaus rex Lacedæmonum, prudentia, & iuſtitia ſingulari celebratur, ſententiis grauibus, & breuibus pollet, ætate Aſæ & Ioſaphat.

CAP. VI. De Elia, & Eliſæo.

Anno 3061.

ELias magnus propheta prodit poſt ter mille annos à condito mundo, quod tempus nõnulli medium ſœculorum autumãt, is ex vita per deſertum traducta hirſutus, zona pellicea renes cinctus, exuuio leonis inſtar pallij, vt Chryſoſtomus refert, vtebatur: à coruis quandoq; diuinitus cibum accipiebat, cœlo leges imbriũ, aut ſqualoris imperabat, acerrimè in pſeudoprophetas pugnabat, flammas vltrices è cœlo euocabat, reges liberè increpabat, abſtruſa, abſentia, futura vt oculis obiecta cernebat: exantlatis plurimis pro veri Dei cultu laboribus, & ærumnis, in cœleſtem regionem, & pa-

& paradyſum igneo curru ſubuectus, cum ſancto Enoch immortalem in corpore agit vitam, redut verò ſub aſpectum Apoſtolorũ, aſtans Chriſto Domino clarificato; rediturus poſtremò præcurſor apparitionis Chriſti iudiciis, ante diem extremum.

39
Ioſaphat.

IOSAPHAT filius Aſæ anno 3061. pius rex Iuda eſt annos viginti quinque.

ELISEVS propheta, Eliæ partim comes, & diſcipulus, partim ſucceſſor, & hæres, nempè duplicem illius ſpiritum aſſecutus, mirus cùm doctrina, tùm miraculis, etiam poſt mortem, claruit: nam mortuum alium illius ſacrarum reliquiarum attactus vitæ reſtituit.

ABDIAS propheta princeps aulæ regiæ Achab primùm, deindè ſectator Eliæ, prophetiam quæ extat perſcripſit, centum prophetas in ſpecubus ſubterraneis occultè aluit, quos ſcelerata regina Iezabel ad necem conquirebat: inuectus eſt ſermone in AEdomitas Iſraëlis æmulos, hoſteſq; Eccleſiæ.

Ochozias regnat in Iſraël annos duodecim.

Ioram regnat in Iſraël annos duodecim.

40
Ioram.

IORAM alius, filius Ioſaphat, anno 3085. rex Iuda eſt cum parente annos quatuor; illo mortuo adhuc quatuor.

41
Ocho-
zias.

OCHOZIAS filius Ioram anno 3089. rex Iuda eſt anno vno.

Athalia regina in Iuda anno 3090. regnat annos ſeptem per tyrannidem.

Iehu

Iehu ſtrenuus regnat in Iſraël annos viginti octo.

42 Ioas.

Ioas filius Ochoziæ anno 3096. rex eſt Iuda annos quadraginta, pius dum ei pædagogus adfuit Ioiada ſummus ſacerdos; mox impius ſacerdotem Zachariam filium Ioiadæ iſtius in templo iugulat.

Ioachaz in Iſraël regnat annos ſeptendecim.
Ioas in Iſraël regnat annos ſedecim.

43 Amaſias.

Amasias filius Ioas, anno 3136. rex Iuda eſt annos vnde triginta; qui impiæ poſtremo religioni ſe adiungit.

Ieroboam II. in Iſraël regnat annos quadraginta vnum.

Amos propheta verbum Domini prædicat, ſceleratis minimè gratus, grauiter quoſq; deterruit à vitiis, Iſraëli prædixit excidium, & mox captiuitatem Iudæ; auaritiam populi, luxumq; optimatum ſæpè perſtrinxit, quarè à rege Amaſia ſæpè, multumq; verberibus affectus, ab Ozia ſequente rege confoſſus, vitam pro veritatis doctrina poſuit.

Res gentium.

HEſiodus antiquiſſimus poëta, montis Heliconis hierophantes, poëmata gnomologica, & Deorum gentilium origines deſcribit, regi Ioſaphat & Eliæ prophetæ ſynchronus: eſt autem hæc philoſophia, quæ ſententiis breuibus rationem, & gnomas de formandis rectè moribus tradit, vetuſtiſſima, & omnium prima, quam intermiſſam poſteà Socrates iterum reuocauit.

Pygmalion rex Tyri floret, cuius ſoror Dido Carthaginem condit tempore Ioas regis.

CAP. VII. De Iona & Iſaia.

Anno 3165.

AZA-

44 Ozias.

AZARIAS, qui idem Ozias nuncupatur, Amaziæ filius, rex Iuda eſt annos quinquaginta duos: intruſit ſe aliquando in ſacerdotum officia, verùm lepra è veſtigio infectus, didicit non eſſe ea iuris, & poteſtatis regum: ac ſequeſtrata ſe domo cum contineret, regnum per filium Ioathan adminiſtrabat.

HOSEE propheta, cœleſti doctrina ſub rege Azaria & ſequentibus, ad Ezechiam vſque, clarus habetur, perſtringit ſacerdotum iniquitatem, Iſraëlem turpiter idolis immolantem, & Iuda illius ſcelera imitantem; eamq́; ob cauſam ait Iudæorum ſpretam à Deo eſſe religionem; ſimul verò reſipiſcentiam docet, & Eccleſiæ in Chriſto pacem.

IONAS propheta regnante Ieroboam in Iſraël docet, deinde etiam inter gentes, in regia vrbe Niniue, omnium ſcelerum, & voluptatum ſtudio laſciuiente, cuius cauſa rex Tonoſcon Colerus emendationem profeſſus, edicto cùm hominibus, tùm beſtiis publicè per triduum continenter ieiunio, exitium imminens hac vice auertit. Hanc prouinciam inter gentiles docendi fugiens propheta, in tempeſtatem maris incurrit, ac voratus à vaſtiſſimo piſce, triduo pòſt viuis in terra redditus eſt.

ISAIAS nobiliſſimus prophetarum, regio ſanguine, eloquentia, dignitate, & autoritate clariſſimus, ſententiis de futuris aperiendis tam perſpicuus, vt de Chriſto ſaluatore, & Eccleſia, non tanquã propheta ſub inuolucris ventura prædixiſſe, ſed rem geſtam narraſſe vt Euangeliſta videatur; produxit docendi munus vſque ad tempora Manaſſis regis, à quo ſerra eſt ad fontem Siloë medius diſſectus: hic enim honos, hæc corona iuſtorum eſt, & vita, & morte claros apud Deum eſſe.

Zacharias regnat in Iſraël menſes ſex.
Sellum regnat in Iſraël vno menſe.
Manahen regnat in Iſraël annos decem.
Phaceia regnat in Iſraël annos duos.

Res gentium ætate Oziæ.

MAcedoniæ regnum incipit per Caranum regem primum

circiter Azariæ annum viceſimum,anno mundi 3184 quod inde in annos ſexcentos quadraginta ſe extendit.

Aſſyriorum imperatori Tonoſconi Colero ſuccedit Phul Beloch,cui tributum pendit rex Iſraël Manahen.

Lycurgus rex, nobilis nomothetes Lacedæmonum, leges pulcherrimas & æquiſſimas condit,quibus corrupti ciuium mores ad frugem,& virtutem redierunt.

CAP. VIII. De Iſraëlis labe.

Anno 3216.

PHacee ſeu Pekach regnat in Iſraël annos viginti, quo tempore res Iſraëliticæ labi ad interitum cœpêre: capta ab Aſſyrio imperatore Teglat-Phul-Aſſar tota Galilæa cis Iordanem,& Galaaditide trans Iordanem.

45 Ioatham.

IOATHAM, Oziæ filius anno 3217. rex Iuda eſt annos ſedecim.

46 Achaz.

ACHAZ filius Ioatham anno 3233. rex Iuda eſt annos ſedecim,impiiſſimus Dei,& religionis contemptor, altare Dei euertit, legem irriſit, Ethnicorum ritus & ſacra nefanda introduxit.

Oſee in Iſraël poſtremus regnat per tyrannidem annos octo: confirmatus deinde annos inſuper nouem.

MICHEAS ſanctus propheta à regno Ioatham vſque ad Ezechiam verbo,& doctrina laborat; prædicit in peccata vltionem diuinam, tum verò aduentum Chriſti, & eius in Eccleſiam ſalutaria beneficia.

Olympiades.

Olympiades,quaternorum annorum ſpacia ſunt apud Græcos, vt Romanis luſtrum eſt quinque annorum; eorum primo quoque anno certamen gymnicum Græcorũ celebrabatur,à quo cuiusque olym-

olympiadis numerabatur annus primus,ſecundus,tertius,quartuſuè. Inſtitutum primò ab Hercule fuit in honorem Iouis Olympij,& Pelopis;quod deindè intermiſſum Iphiclus inſtaurauit. Ab eo itaque tempore & laudis auidiores Græci quique,& ad res geſtas cōſignandas euasêre attentiores;quæ cauſa poſtmodum illorum, cæterarumq; nationum hiſtorias,& certiores nobis,& pleniores ſuppeditat. Inceperunt autem olympiades anno primo Ioatham, mūdi ter milleſimo ducenteſimo decimo ſeptimo; ordiebantur annū à ſolſtitio æſtiuali. Hic igitur mythici ſæculi finis; hiſtorici initium eſto.

Roma condita.

Roma vrbs, orbis caput, condita eſt à Romulo, & Remo fratribus,quadringētis triginta duobus annis poſt euerſam Troiam, regnante in Iuda Achaz,anno primo ſeptimæ olympiadis,anno mūdi ſupra ter milleſimum ducenteſimum quadrageſimo ſecundo.

CAP. IX. De Iſraelitarum excidio.
Anno 3249.

47 Ezechias.

EZECHIAS filius Achaz,rex Iuda eſt annos viginti ſeptē ſolus;& antea cū patre duos: pius,& ad falſam religionem extirpandum ardens; iuſtitiæ laude inſignis; legem, & ceremonias Domini,à patre euerſas,inſtaurauit.

Iſraêlitarum in peruerſa religione obſtinationem non ferente vltra Deo, poſt prophetarum monita ſæpè eluſa, ſecuta eſt tandem eò grauior pœna,tarditatem ſupplicij grauitate compenſante Deo, totus vt Iſraëliticus populus in ſempiternum ſit damnatus exilium. Principio autem Aſſyrius imperator Teglat-Phul-Aſſar, populatus eſt Galilæam, & Galaaditidem, abductis ſecum incolis,paulo antequàm Achaz regnum Iuda iniret: ſecunda impreſſione Salmanaſſar Aſſyrius imperator, ſub Ezechiæ regni initium. Oſeæ regi Iſraëlis imperauit tributum; tertio demum negante

tributum conſuetum Oſea, Salmanaſſar rediit tempore Ezechiæ, decem tribus totas, ſimulq; Samariam metropolim, tertio obſidionis anno, mundi nempe 3253. expugnauit, & populum Iſraëliticum in Aſſyriam traductum, in ſeruitia diuenditum, per vrbes Aſſyriæ, & Medorum diſperſit. Quàm vilis autem eorum, & miſera cōditio illic fuerit, Tobiæ hiſtoria ex parte narrat, nempe fortunis omnibus exutos, etiam nudatos veſtibus, hinc inde pulſos eſſe, mēbra fame confecta, animum contumeliis oppletum, omnes omniū ludibrio expoſitos, plurimos paſſim per plateas verberibus, plagiſq; necatos, etiam ſepultura prohibitos fuiſſe. Extirpatis igitur decem tribubus, tribus Iuda tantùm iam reliqua eſt, cum Benjamitis, & Leuitarum ſacerdotalis generis illa parte, quæ Ieroſolymis, & circa habitabat, qui omnes vno nomine poſthac Iudęi dicuntur, & Iſraëlitarum in ſacra hiſtoriá perpetuum ferè ſilentium eſt. Eos verò extorres beatus Hieronymus paſſim ait, in montibus, & vrbibus Medorum, & Perſarum hodieq; ſeruire captiuos, aſſeritq; porrò, in commentariis in decimum Zachariæ, (vbi illis ex Aſſyriis in Galaaditin & Libanum redeundi ſub aduentum Chriſti ſecundum ſpes fit) narrare Hebræos de Iſraëlitis, eos non ſolum in Medos, & Perſas, ſed in Boſphorum quoque, & ſeptentrionalem plagam trāſlatos eſſe; cui etiam narrationi aſtipulatur liber quartus Eſræ, cuius capite tredecimo ita legitur; decem tribus tranſtulit Salmanaſſar in terram aliam; ipſi autem dederunt ſibi conſilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiſcerentur in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum, & vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerunt ſeruantes in regione ſua. Eam regionem Arſareth, vel Cathay, geographi vltra Tartariam, ſupra Indiam, & Schinam in Septentrionem locant. Iſraëlitæ ergo partim inter Medos, circaq; diſperſi manſerunt, partim agminibus factis ſeceſſerunt longinquius, amiſſoq; optimæ terræ ſolo, toto orbe extorres, in terræ angulo frigore, & niuibus perpetuò rigente hærent.

Samaritani qui poſthac regnum Iſraëlis incoluerunt, partim ex Chaldæis, Perſiſq;, partim ex Iſraëlitis promiſcuè in coloniam il-

luc

luc deductis, mixtam ex Ethnicis, & Moſaicis ritibus religionem inſtituerunt: in quos ob eam rem Iudæorum perpetua ſimultas, & odium plus quam vatinianum fuit, ſublatis inter ſe commerciis, & mutuo conuictu, vt vel ex hiſtoria Euangelica Samaritanæ liquet.

Tobias ſingulari innocentia, & pietate præſtans, diuino præſidio, quo probi præcipuè vbique gaudent, in media etiam calamitate felix, in captiuitatem cum tribulibus abreptus, opibus, gloria, principum fauore abundè munitus fuit; ac multò magis illuſtris paternæ legis intemerata obſeruatione, & in afflictos quoſq; benignitate ſingulari.

IOEL propheta diuinitùs inſtitutus, ſub Ezechia rege floret: ſunt tamen qui eum ad tempus Oziæ referant: deplorat calamitatem futuram, hortatur ad pœnitentiam, pollicetur conſolationem populo Dei ex ſpiritu ſancto, & perpetua fruitione donorum Dei in Eccleſia.

NAHVM propheta cœleſti doctrina perſonat ſub Ezechia: iudicium, & diuinam vltionem in Aſſyrios futuram prænunciat, afflictis verò conſolationem.

Res gentium ætate Ezechiæ.

MEdorum regnum anno 3271. ſub Ezechia cœpit, auulſa eorum prouincia ab Aſſyriis, cum Sardanapalo extincto, imperij ſedem Merodach Babylonē tranſtuliſſet. Regnum hoc, quod alij parum rectè centum annis anteuertunt, primus excitauit Medorum rex Deioces, ſtetit centum ſexaginta tres annos, ad Cyrum vſque, à quo eſt poſtremus rex Aſtyages deuictus.

Romulus regnat Romæ rex primus annos triginta ſeptem; inter regnum ſecutum eſt anno vno.

Sibylla Erythræa floret, atque inter idolorum cultores perſpicuè de Chriſto vaticinatur.

Simonides & Archilochus poëtæ celebrantur.

De Aſſyriorum regno annotatio.

MVtationem quæ Aſſyriorum regno in Chaldæos partim, partim in Medos diuulſo accidit, nonnulli ad tempus Oziæ referunt pulſo, aiunt, Tonoſcone, Quæ tamen ibi habere locum

non poteſt, quando regnum nulla ſui parte tum diminutum eſt; quanquam enim metropolis Niniue ſub Tonoſcone omnium flagitiorum infamia redundaret, præſensq; Dei iudicium incurriſſet, vt eſt apud ſanctum Ionam, tamen eodem teſte, qui tum ad eam increpandam deſtinatus fuit, cum iratum Deum rex, ciuitasq; peracri pœnitentia flexiſſent, veniam meruerunt. Nec verò minui res Aſſyriæ tum potuit, cum ſucceſſorum hiſtoria auctam potiùs, & ampliſſimè florentem afferat; multoq; minus Medorum regnum inſtitui, cum Salmanaſſar tertius poſt Tonoſconem in Medorum prouinciam vrbesq; imperium exercuerit; id quod ex quarto Regum 17. & Tobiæ primo ſatis liquet. Et ſanè quî conſtabit in Babylone Chaldæorum vrbe imperatores poſt Tonoſconem ſediſſe, cùm contrarium ſacra hiſtoria perſpicuè adferat, eoſque non Babylonios, ſed Aſſyrios dicat? non igitur Tonoſconem Colerum, ſed Aſſar-Addon-Phul, vulgò Sardanapalum ſchiſma illud ſubſecutum eſt, regnante Ezechia Ieroſolymis, quo tempore Nahum propheta in Niniuen Aſſyriorum regiam, ad vomitum reuerſam, inuectus eſt, exitiumq; Aſſyriis denunciauit; tum enim & Chaldęus princeps Merodach imperium vi occupatum Babylonem tranſtulit, & Medis, turbato imperio, libertatem meditantibus, regnum erigere facilius licuit.

Cæterùm quod Aſſyriorum, Chaldæorumq; imperium attinet, quantum ex diligenti autorum inſpectione conſtat, vnum illud idemq; fuit; ſed regiæ alternis temporibus duæ, Babylon in Chaldæa imperij principium, & Niniue in Aſſyria, ex qua imperij fines longè, lateq; ſunt propagati, donec cum principe Merodach iterum Babylonem migratum eſt; non deſtructo Aſſyriorum imperio, ſed mutata ſede tantum; nam filius Merodachi qui patri ſucceſſit, in Aſſyria iterato ſedit; poſterorumq; alij in vrbe Babylone, alij Niniuè in Aſſyria. Sed difficultatem quæ apparet, tabella imperatorum extremorum facilè diſcutiet, & ſimul ad ſacræ hiſtoriæ ſeriem perdiſcendam multum iuuabit.

Numerantur Aſſyriorum imperatores à Nimrode ad Aſcraſapem triginta ſeptem, cui ſucceſſerunt ordine ſequentes.

XXXVIII.

XXXVIII. Tonoſcon-Coleros apud Aſſyrios in metropoli Niniue imperat ab anno 3154. annos viginti: cum quòd in delitiis, & flagitiis viueret, quaſi vnicum voluptas amatorem habuiſſet, Sardanapalum falsò aſſerunt; fuit verò à propheta Iona correptus ſub Ozia rege Iuda. 4. Reg 14. Ionæ 3.

XXXIX. Belochus, Phul in ſacra hiſtoria nuncupatus, non in Babylone, ſed in Aſſyria ſedens ab anno 3174. imperat annos quadraginta octo; ei tributum pendit Manahen rex Iſraël. 4. Reg. 15.

XL. Teglat-Phal Aſſer, ſiue Phul-Aſſur cognomento Tiglat ab anno 3222. in Aſſyria imperat annos viginti tres. Galilæam & Galaaditidem vaſtat, 4. Reg. 15.

XLI. Salmanaſar, vel Salman Aſſur, aut Aſer, & Nabonaſſar, ab anno 3245 in Aſſyria imperat annos decem, tribus Iſraëlis decem in exilium abducit, Samariam, regnumq; illius exſcindit. 4. Reg. 17.

XLII. Sennacherib in Aſſyria vrbe Niniue imperat ſex annos, ab anno 3255. dum autem vrbi Ieroſolymæ, regnante Ezechia, exitium molitur, exercitus eius 185000. hominum per Angelum deletus eſt, & ipſe à filiis occiſus. 4. Reg. 19.

XLIII. Aſſar-Addon-Phul ſiue coniunctim, Sardanpal, & Sardanapalus, Senacheribi tertius filius, anno 3261. fugientibus parricidis duobus fratribus, imperium, cui cum patre iam præerat, occupauit annos decem: vnde propter mollitiem à Merodacho eſt pulſus. 4. Reg. 19. 1. Eſræ. 3.

XLIV. Merodach filius Baladani, Babylonius ſatrapes anno 3271. imperium inuaſit: eius metropolim Babylonem, cuius habebat ciues addictiores, conſtituit, ibiq; rerum ſummæ præfuit annos quadraginta. Atque hoc loci demum ſacra hiſtoria mutationē imperij eueniſſe ſignificat; nam ſub eodem Ezechia ſuperiores imperatores Aſſyrios fuiſſe narrat; & iſtum vocat Babylonium, qui ad Ezechiam cum muneribus legatos miſerit, rationem portenti de Sole decem gradus retrogrado percontaturos; vt translatum imperium ex Aſſyria Babylonem ſub Ezechia ſignificet; atque hinc dictum eſt imperium Babylonicum: tametſi non perſtiterit perpetuò in Babylone, quod idem tanquàm ab autore denomina-

nominatum diuinus vates Ieremias cap. 50. non Belochi, ſed Merodachi potentiam appellauit. 4.Reg.20. 2.Paral.32.

XLV. Ben-Merodach quod idem eſt, ac ſi dicas, filius Merodach. ab anno 3311. imperat annos viginti vnum, regem Ieroſolymæ Manaſſen captiuum diu detinet. Eum ſacra hiſtoria & Aſſyrium vocat, & in Babylonios poteſtatem habuiſſe aſſerit, vt vtriuſque regni imperium vnum intelligas. 2. Paralip. 33.

XLVI. Nabuchodonoſor, vel Nabogdonoſor, & Nebuchdenezar ab anno 3332. in vrbe Niniue Aſſyriorum imperat annos triginta quinque, ingentem exercitum cum duce Holoferne in Iudæã mittit: Arphaxatem Medorum regem, qui ſub Merodacho ab Aſſyriis defecerat, vrbis Ecbatanæ conditorem, ab Herodoto Deiocem dictum, prælio vincit. Iudith. 1. & 2.

XLVII. Nabuchodonoſor magnus, iterum Babylone ab anno 3367. ſedet quadraginta tres annos, imperium latè auget, Iudæos in Babylonicam captiuitatem traducit, cuius anno 19. ſeptuaginta anni captiuitatis incipiunt: ſeptem annos à Deo pulſus, cum feris in deſertis locis agit; tandemq́; poſita arrogantia Deum ſummum agnoſcit. 4. Reg. 24. Daniel. 4.

XLVIII. Euil-Merodach Babylone ab anno 3410. imperat annos triginta: regem Iuda Ioachim liberat carcere, 4. Reg. 25. Ier. 52.

XLIX. Balthaſar vltimus, ab anno 3440. Babylone ſedet annos quindecim; quanquam ſint, qui inter ipſum, & ſuperiorem, ponãt Regaſſar tres annos imperio potitum; deindè Larbaſardach ſex annos: ac demum Balthaſarem ſex reliquos annos, qui tamen omnes quindecim anni rectius vni Balthaſari tribuuntur; quibus finitis, dum conuiuio ſplendido, & vaſibus templi ſacris inſtructo indulget, oſtento manus cœleſtis ad parietem ſcribentis, ſententiam Dei accipit, finitum iam eſſe Chaldæorum imperium; quo eadem nocte à Cyro Perſa exuitur. Daniel 5. ſed hæc per digreſſionem: de ſingulis verò ſuo loco.

CAP. X. De regum Iuda idololatria.

Anno 3276.

MANAS-

73 Manaſſes

MANASSES Ezechiæ filius impiiſſimus, & in patrum fidem procaciſſimus, rex Iuda eſt annos quinquaginta quinque; ob impietatem deſtitutus à Deo in hoſtium poteſtatem venit; victus prælio Babylonem à Ben Merodach imperatore abductus, in carcerem coniectus eſt; vbi cum incuruatus eſſet multo vinculo ferri, nec eſſet ei reſpiratio, vt ipſe loquitur, flectens genua cordis ſui, bonitatem diuinam ſumma inſtantia interpellauit, ac gratiam conſecutus, regno reſtitutus eſt.

Eccleſia tum penes vnum Iudæ regnum exiſtebat, Iudæis licet non omnibus Deo cœli adhærentibus, pars enim non minima, vt fieri ſolet, apoſtatam principem imitata, deos paganorum venerata eſt; quod idem cum rege Achaz euenit, ſub quo regnum Iuda propterea vndequaq; direptum, & templum Domini ſpoliatum eſt, fruſtra auxilio ab externis petito; qua tamen clade nihil ille permotus templum inſuper obfirmato animo vndique obſepſit, vt eius aditu præcluſo, ad falſam & nefariam religionem eò magis plebem abduceret. Nec verò minor propè clades templum idem, regnāte Amaſia, inuaſit, qui ob idololatriam à propheta correptus, cum his verbis ablegauit; num conſiliarius regis es? quieſce nè interficiam te. Ita ſibi principes eiuſmodi licere ſibi quiduis perſuadent. Pepererunt iſta bonis, & patrios ritus retinentibus vehementiſſimos animi dolores; ferenda tamen erant, niſi quantum prophetæ ſumma dicendi contentione in eam impietatem inuehebātur, qui quos poterant à tanta cæcitate auocabant: occinentes illud, Si fornicaris tu Iſraël, non delinquat ſaltem Iuda. Has inter turbas piorum fides Deo cœli vero nihilominus adhærebat, vt foris licet ceremoniæ labefactatæ eſſe viderentur, numerus tamen orthodoxorum in fide auita conſtantium plurimus eſſet: id quod Eliæ de Iſraële lamentanti aliquando Deus reſpondit; ſeruare ipſum ſibi ſeptem millia virorum, quorum genua non eſſent curuata antè Baal; nam de Iuda cuius plebs non ita vitiata erat, conſentaneum eſt, fidelium copias ſemper multis partibus maiores in orthodoxia perſtitiſſe; quod errores ij ſingulorum duntaxat eſſent regum, qui

mox à ſucceſſoribus iterum expurgabantur.

HABACVC diuinus propheta tempore Manaſſis Babyloniorum imminere tyrannidem, & vaſtationem prædicit, quo eodem tempore adhuc docebant Iſaias, Iohel, & Nahum.

Res gentium, ætate Manaſſis.

MErodach imperij Aſſyriorum ſede Babylone lecta, adhuc regnat, & poſt ipſum Ben-Merodach, qui imperium inchoat anno 3311.

Numa Pompilius ſecundus Romanorum rex eſt annis quadraginta tribus, anno vrbis 39. Romanis bello ferocibus animum religione emollit, ritus ſacrorum condit, vnaq; pontificem, ſacrificia, & portentorum Ethnicorum ſimilia. Annum duodecim menſium inſtituit, additis ſuperioribus, quos Romulus omiſerat, Ianuario, & Februario. Huius religionis, quò animis ſuorum inſederet ſanctius, autorem ferebat AEgeriam nympham, cuius ſe commercio nocturnis colloquiis vti dicebat.

Gyges Lydorum rex; Mydas Phrygum; Pſammeticus AEgyptiorum regnant.

Zaleucus Locrenſium legislator, ea in præſcribendis legibus prudentia vtebatur, vt perſuadere aliquid, non omnia minis, & vi, cogere, legis quoque putaret; in obſeruandis autem iis adeò exactæ iuſtitiæ erat, vt cum filio in adulterio depreſenſo, ex lege vtrũque oculum eruere per ciuium preces non poſſet, ſaltem ei vnum oculum, ſibi verò alterum erui præceperit.

Hiſtoriæ paganorum quæ extant vetuſtiſſimæ in Herodoto perſcriptæ, initium ferè ſumunt, ſub finem regum Iuda, nempe à temporibus regis Gygis Lydij, cuius res geſtæ in Manaſſis ætatem incidunt; regnum autem iniuit anno mundi 3296.

CAP. XI. De Iudith illuſtri fœmina.
Anno 3331.

AMON,

49
Amon.

Amon, Manaſſis filius impius rex Iuda eſt annos duos.

50
Ioſias.

Iosias filius Amon anno 3333. piiſſimus rex Iuda eſt, vnum & triginta annos, collapſam legem, cultumq; Domini, ſumma induſtria & pietate reſtituit.

Sophonias propheta, doctrina diuina ſub Ioſia claret, vitia plebis, & impœnitentiam maximè inſectatur; cum eo vnà Ieremias cœpit.

Iudith nobilitate, excelſo animo, & ſanctitate illuſtris, fœminarum Iuda ſingulare decus, viro vita functo perpetua caſtitate mentem ad amplexus Dei formauit; feſtiuis diebus exceptis, quotidie ieiunauit, cilicij aſperitate carnem ſub veſte exercuit, precibus in oratorio, quod ſecretiore loco domi fecerat, aſſiduè vacauit, perſuaſum habens humilium, & manſuetorum ſemper Deo placere deprecationem; atque his munita præſidiis, diuino conſilio in caſtra venit Holofernis ferocientis eius ciuitatem obſidentis, vbi ipſum nulli non nationi formidabilem occidit, & terram Iuda omnem illius terrore liberauit.

Cum multos, etiā ex veteribus, non leuiter exercuerit dubitatio, quónam tempore res geſtæ Iudith contigerint, dum in Aſſyriorum tempora alij, eaq; varia, illā locant, alij in Perſarū Monarchiam reijciunt; erit paulò fuſius hîc de eius ſynchronyſmo agendum. Principio, non in Perſarum, ſed Aſſyriorum principatum eam hiſtoriam incidiſſe, conuincūt ipſa hiſtôriæ ſacræ verba, quæ Holofernē ducē ab Aſſyriæ Monarcha, cum exercitu mandata accepiſſe perhibent, & quidem à Nabuchodonoſore, quod nomen eſſe Aſſyriorum notū eſt; adhæc mouiſſe ex vrbe Niniue, nota Aſſyriæ regia, & quæ ſub

Perſarum imperio non tam florebat amplius, quam ruinis fœdata erat. Iam verò coniũgi eam oportere cum regno Ioſiæ regis, multa ſunt quæ fidem faciunt; primum enim ad ſequentium regum ætatem referri non poteſt, vt nec in tempus Babylonicæ captiuitatis, quod tum res Iudæorum amplius integræ non ſtarent, vt nec templum, quod hic incolume ſtetiſſe quartum caput hiſtoriæ tradit: deinde cum duo tantum perhibeantur fuiſſe Aſſyrij imperatores, Nabuchodonoſoris nomine; poſteriori verò feliciter omnia contra Iudæos ceſſerint, vrgente nimirum iudicio Dei; prior erit ſine dubio is qui infelici ſucceſſu Holofernem delegauit. Iniuit autem is regnum vno anno ante Ioſiam: imperauitq; annis quatuor diutius, vt ex temporum ſupputatione conſtat; ac primis quidem annis Arphaxatum Medum, quem Phraortem Herodotus vocat, cũ omnibus copiis fudit; qua ex victoria ad inſolentiam extimulatus, duce Holoferne in Iudæos mouit, Ioſia rege adhuc in pueritiæ annis agente; cum enim Amon rex Iuda à ſeruis iugulatus eſſet anno regni ſecũdo, quo viginti quatuor annos erat natus, filium Ioſiam regni hæredem reliquit admodum puerum, cui propterea rerum geſtarum nihil ſacra hiſtoria ante octauum regni annum aſcribit; ab octauo deinde per viginti tres annos ſingulari cum laude regnũ adminiſtrauit. Ac quadrat porrò huius Nabuchodoſoris ætas etiã cum morte Ioſiæ; conſtat enim, cum ex ſacra hiſtoria, tùm ex Herodoto, Nechonem AEgypti regem magno cum exercitu Aſſyrios petiuiſſe, atque ab eo euntem obuiam regem Ioſiam interfectum eſſe: ipſum verò Nechonem quarto belli anno ab Aſſyrio Nabuchodonoſore cæſum eſſe; quare ſi vterq; cùm Nabuchodonoſor, tum Ioſias Nechoni æqualis fuit; & ipſos quoq; ſynchronos fuiſſe, & hiſtoriam Iudith ſub primis annis Ioſiæ contigiſſe, conſentaneũ erit. Quòd autem nonnulli mirantur, nullius regis, nè tam pij quidem, & celebris in geſtis Iudith extare mentionem; omniaq; ſacerdotum auſpiciis geſta eſſe; coniecturam, vt exiſtimant, non leuem; non eam in regum tempora incidiſſe hiſtoriam, ſed in ſynagogæ, & Perſarum ætatem; id quidem nihil difficultatis habet: Ioſias enim regnum Iuda inijt puer octo, non amplius annorum, quo tempore

bello

bello ab Aſſyriis petitus per ætatem nihil agere potuit; ac dum ado leſceret, rerum ſumma fuit penes Eliachim ſummum ſacerdotem probatæ fidei, quem eadem ratione tutorem, ac pædagogum acceperat, qua antea Ioas rex ſeptennis Ioiadam ſacerdotem; vt propterea ſacerdotis potius, quam regis meminerit hiſtoria; nec fortè caruit myſterio, quòd quum debellandus per fœminam hoſtis eſſet, non ea regi vlli gloria aſcribenda fuerit. Cuius perſimilem rationem in Iudicum hiſtoria cernimus, cum duci Barach prædixit prophetiſſa Debora, in hæc verba, hac vice victoria non reputabitur tibi; quia in manu mulieris tradetur Siſara hoſtis. Nec repugnat rationi, alium fuiſſe ſacerdotem ſummum Ioſia puero, alium eo adoleſcente; etſi enim anno regni eius octauo decimo ſummum pontificem fuiſſe Helchiam narret hiſtoria; nihil tamen prohibet quo minus alius fuerit, nempè Eliachim, qui idē Ioachim vocatur, rege adhuc puero, cuius tutelam ipſe ſuſceperat. Quod deinde Achioris narrationem attinet, qua exponit Holoferni, Iudæos antè ſubiugatos fuiſſe, ac rediiſſe ex captiuitate, iterumq; poſſidere Ieruſalem, vbi ſint ſancta ſanctorum: quibus ſignificari putant, hanc hiſtoriam poſt reditum è Babylone, cum rerum ſumma penes Perſas erat, contigiſſe; nec ipſum magnoperè nos mouere debet; quòd nec templum Perſarum tempore inſtauratum, nec vrbes aduerſus tantam hoſtium vim munitæ Iudæis eſſent; & veriſimile ſit Achiorem, non tam exilium Babylonicum memoraſſe, quàm iugū quod ſæpè ſub AEgyptiis, Syris, Philiſtæis, Ammonitis, aliisq; hoſtibus Iudæi ſubierant. Poſtremum dubium quod reſtat, vnum, eundemq; regem Medorum fuiſſe, qui & vrbem Ecbatanam inclitam condidit, & à Nabuchodonoſore cœſus ſit, ſi hiſtoriæ ſacræ credamus, ſin Herodoto, duos fuiſſe, nempè Deiocem vrbis autorem, & Phraortem Deiocis filium deletum prælio; id quidem ex Herodoto tanti non eſt, vt morari nos queat; quanquam nihil repugnet, à Deioce cœptam eſſe, à Phraorte vero ampliſſimè auctam Ecbatanam vrbem. Quod denique attinet ad pacem illam diutinam, quæ victoriā Iudith eſt conſecuta, difficultas ſanè maior eſt, quàm vt facilè tolli queat, niſi mendum ſit in numeris, vt in annis quoq; Mathuſalem:

nam nec ad Manaſſis regis tempora quadrat hiſtoria, quod qui eius tempore ſummus imperator erat, non in Aſſyria, ſed in Babylone ſedem habuerit; nec infeliciter, ſed magno cum ſucceſſu in Iſraël bellauerit, adeo vt regem etiam Ieroſolymorum Manaſſen captiuũ abduxerit; nec Nabuchodonoſor qui à ſacra hiſtoria hic nominatur, ſed Ben Merodach ætate Manaſſis regnauerit: quare licet Ioſiæ ætas aptior huic hiſtoriæ videatur, tamen pacis ſecutæ ſupputationem peritioribus ſeruare eſt neceſſe.

Res gentium ætate Ioſiæ.

IMperator Nabuchodonoſor primus eius nominis imperat apud Aſſyrios, regnum init anno 3332.

Romanorum tertius rex anno vrbis 62. eſt Tullus Hoſtilius, duos & triginta annos, cuius ætate contigit pugna trigeminorum Romanorum, & Albanorum, inter Horatios, & Curiatios; tum etiam Sabini victi ſunt.

Phalaris tyrannus Siculus apud Agrigentum regnat; ac fuit Sicilia infamis, & infelix perſæpè tyrannorum immanitate.

Necho AEgyptij rex ditionem nõ ſolum extendere conatus eſt, ſed mira etiam alia eſt aggreſſus; curauit per homines Phœnices circumnauigari Aphricam, vt ambitum illius exploraret, qui è mari rubro in Auſtrum ſoluentes, tertio anno per columnas Herculeas & mare mediterraneum in AEgyptum remearunt. Idem ex Nilo foſſam in mare rubrum ducere cœperat, qua naues ex mediterraneo mari per ſinum Arabicum in Oceanum Indicum traijcerent; qua in re centum viginti milia hominum ferunt eſſe abſumpta, opere ſuſpenſo. Ariſtoteles verò ad finem primi Meteoron, & ſanctus Baſilius in Hexaëmero idem opus Seſoſtrim regem anteà aggreſſum eſſe affirmant; deindè idem tentaſſe Darium Perſam; deſtitiſſe autem eos propterea, quod AEgypti oram mari rubro humiliorem, magisq; depreſſam comperiſſent.

CAP. XII. De poſtremis regibus Iudæ.

Anno 3364.

IEREMIAS propheta diuinus, lamentis, & calamitati prædicandæ natus, futurã cladem, Babylonicumq; exilium aperire incipit, docet

docet annos cōplures;eum reges,ſacerdotes, plebesq; oppugnant, affligunt, diris proſequuntur, perſtat ille numinis præſentia certus, & munitus;abductis regibus,manet ipſe in Iudæa,docetq; inter reliquos Iſraëlitas. Poſtremùm in AEgyptum concedit,vbi lapidibus oppreſſus, ex miſeriis emigrat.

Ioachaz,Ioſiæ filius,rex Iuda eſt menſes tres,qui in AEgyptum à Nechone captiuus abducitur. Erat is extra lineam Chriſti, quæ per fratrem meabat.

51 Eliachim

ELIACHIM, vel etiam Ioachim, alter Ioſiæ filius, anno eodem 3364. rex Iuda creatus, regnat annos vndecim, impiæ ſuperſtitioni itidem deditus, cuius rei gratia à Chaldæis,Syris,Moabitis,& Ammonitis per indignationem diuinam vndiq; oppugnatus eſt.

Nabuchodonoſor eius nominis ſecundus, Babylonius imperator impreſſionem in Iudæam facit,regi tributum indicit, rebellantem in exilium abducit; quæ prima captiuitas dicitur.

52 Ioachim.

IECHONIAS,qui & Ioachim filius Eliachim anno 3375. octennis puer rex Iuda,cum tres menſes,& dies decem regnaſſet,in exilium, cum matre, & familia abiit.

Nabuchodonoſor iterum in Iudæam mouet, dedentem ſe regem cum principibus viris,robore belli, artificibus,theſauro ſacro, & regio in Chaldæā trāsfert,quo in comitatu Ezechiel quoq;, Daniel, Ananias, Mizael,& Azarias fuēre, quæ eſt ſecunda captiuitas;

Sedechias tertius Ioſiæ filius, anno eodem, nempè 3375. poſtremus regem Iuda,alio nomine Mathathias, regnat annos vndecim, cum quo regnum Ieroſolymorum penitus deſtructum eſt;ac captiuitas Babylonica tertia,& maxima abſolutè cepit,de qua mox.

EZECHIAS propheta ſublimis, cum eſſet in Chaldæa quinto anno ſecundæ captiuitatis, maieſtate Dei per viſionē patefacta,captiuos de ſceleribus agnoſcendis,& emendādis,pluribus,& grauiter docet,excidiū deinde barbarorum hoſtiū,& priſtinā libertatem recuperandam canit; occiditur à Iudæo quodam viro principe.

Res gentium ætate regum.

MOnarcha Aſſyriorum Nabuchodonoſor. I I. cognomine magnus, eſt anno 3367. qui præter Palæſtinam, etiam Arabiã, Syriam, & quicquid AEgyptij in Orientem tenuerant, ſubiugat.

Ancus Martius Romanorum rex quartus, anno vrbis 114. regnat annos viginti quatuor, bellum gerit cum Latinis, Fidenatibus, Sabinis, Volſcis.

Dodonæum oraculum in Epiro è templo Iouis oritur, quod Græci antiquiſſimum habent.

Thales Mileſius vetuſtiſſimus, & primus philoſophorum, Periander Corinthius, & Pittacus Mitylenius tres Græciæ ſapientes priores florent.

Sappho, Steſichorus, & Alcæus poêtæ florent.

CAP. XIII. De captiuitate Babylonica.
Anno 3368.

NAbuchodonoſor Magnus, impreſſione poſtrema vrbem regiam ſanctamq; Ieruſalem poſt biennij obſidionem funditus euertit, anno imperij 19. nam expugnata ea, regem, vnaq; Iudæorũ nationẽ vniuerſam, ſumma cum crudelitate, in Babylonios tranſtulit; deindè per Nabuzardam ducem templum Dei æterni, palatium regis, vrbemq; Ieruſalem, vi, machinis, igne vaſtauit, ſoloq; æquauit: quæ quidem captiuitas tertia, & maxima, adeoq; deſolatio templi, & vrbis vocatur, cuius à tempore ſeptuaginta anni Babylonici exilij numerantur. Hic finis regni fuit florentiſſimi, & ſanctiſſimi; cauſa verò tantæ vaſtitatis, regum impia religio, ſacerdotum peruerſitas, populi crimina longa obſtinatione velut callo obducta. Dei interim paterna admonitio ab omnibus ſpreta, donec ad vlciſcendum præter voluntatem irritaretur; id quod ſacræ literæ ſumma cum indignatione queruntur, mittebat enim Dominus Deus patrum ſuorum, inquiunt, ad illos per manum nunciorum ſuorum de nocte conſurgens, & quotidiè commonens; eò quod parceret populo, & habitaculo ſuo: at illi ſubſannabant nuncios Dei, & parui pendebant ſermones eius, illudebantq; prophetis, do-

nec

nec aſcenderet furor Domini in populum eius, & eſſet nulla curatio, 2. Paralip. vltimo. Numerantur verò captiuitatis Babylonicæ ſeptuaginta anni ab anno 19. Nabuchodonoſoris, qui in vniuerſum imperauit anno 43. deinde Euilmerodach annos 30. tum Balthaſar 15. ita vt ſeptuageſimus annus incidat in primum annum monarchiæ Cyri. ita quidem communiter. Alij verò aliter, inter quos Franciſcus Ribera in prophetam Zachariam ab eodem anno 19. Nabuchodonoſoris inchoando, tribuit ei 45. annos. Euilmerodacho annos 23. Balſaſſari 3. Cyro 7. Cābyſi 8. ac finitos ait Darij anno ſecundo; quæ tamen ſupputatio non caret difficultatibus.

53 Salathiel.

SALATHIEL regis Ioachimi ſeu Iechoniæ filius, tempore exilij Babylonici genealogiam Meſſiæ è ſtirpe Dauidis continuat.

DANIEL propheta diuinus, angelorum diſcipulus, vir deſideriorum, ſapientia cœleſti mirificè illuſtris, Babylonem venit anno ætatis quinto decimo; mente fuit perpetuò in Deum verſus; victu temperans, qui repudiatis delitiis regiis victitaret leguminibus, religionis auitæ tenaciſſimus, & apud monarchas ſummæ autoritatis, de rebus futuris, tàm politicis, quàm ſacris admiranda patefecit: ad Medos poſtremò deductus ſenex admodum adhuc prophetias deprompſit. Sunt autem ex veteribus, vt ſanctus Hieronymus meminit, qui duos Danieles faciant, alterum magnum iſtum, alterum ad quem Suſannæ & Draconis hiſtoriæ referri debeant.

Chaldæorum monarchia à Cyro Perſa paulò poſt deleta eſt; hoſtibus enim contra Eccleſiam Deus, ceu virgis, vtitur, quas poſtmodum igni tradat, tollatq; è medio. Quod idem hæreticis euenire ſolet. Ergo his ſeptuaginta annis Eccleſia fuit ſub iugo, inter infideles diſperſa, ſpiritu haud dubiè eò ardentior, puriorq; quò afflictio erat grauior.

Res gentium tempore captiuitatis.

IMperator Babylonius poſt Nabuchodonoſorem eſt Euil Mero-

dach, anno 3410. poſtremus Balthaſar anno 3440.

Lucius Tarquinius Priſcus Romanorum quintus rex, anno vrbis 138. annos triginta octo regnat, deinde ſextus Seruius Tullius, anno vrbis 176. annos quadraginta quatuor regnat.

Aſtyages rex Medorum, Crœſus Lydorum florent; & ſimul Milon Crotoniates athleta, ſummo robore, qui in olympio certamine taurum pugno proſtrauit, ſublatum in humeros per ſtadij ſpacium portauit, coctum eodem die totum comedit.

SOLON Græcorum ſeptem ſapientum ſummus, ſapientiam ex AEgypto in Græciam aduexit: Athenienſium reipublicæ leges ſanctiſſimas dedit, quantumuis æmulum eloquentia contra nitentem haberet Piſiſtratum. Indignum profectò, plus Lycurgum, & Solonem in reducendis ad frugem corruptiſſimis ciuitatibus potuiſſe, quàm epiſcopos, & paſtores hoc æuo, quo & præcepta vitæ à Chriſto, & præſidia diuinæ gratiæ, & exempla maiorum multò ſanctiſſima, & abſolutiſſima habentur.

Chilon Spartanus, Bias Prienæus, Cleobulus Rhodius ſeptem ſapientum Græciæ poſteriores celebrantur.

Pherecydes Syrus, Anaximenes, Xenophanes, Anaximander Philoſophi vetuſtiſſimi, & AEſopus Phryx mythologus clari ſunt.

AEgyptij, vt quidam exiſtimant, ex præſentia Ieremiæ prophetæ non parum ſapientiæ ſtudia redintegrarunt, quo eodem tempore cum Solon audire illic potuit, vt quidam autumant.

CHRONICORVM LIBER V.

DE SYNAGOGA.

CAP. I. De ſecunda Monarchia Perſarum & CYRO heroë.

Anno mundano 3455.

CYRVS Perſarum, ſecundæ monarchiæ, autor, quo non tulit apud exteros Aſia vllum, aut virtute præſtantiorem, aut gloria clariorem, aut humanitate politiorem; & de quo cum primis dici poſſit, neminem virum magnum ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuiſſe; quem gentilem licet, diuina prouidentia per Iſaiam ducentis ante annis, in hæc tempora deſtinatum prænominauit; & cuius de laudibus Xenophon grauiſſimus autor, ſcribendum quaſi virtutum regiarum exemplum duxit. Is ab auo Aſtyage Medorum rege infans expoſitus, ſerui ſorte educatus, militari virtute in ſummum euaſit imperatorem. Nam primo anno quinquageſimæ quintæ olympiadis, Perſarum ope, quorum in militia animos ſibi virtute deuinxerat, primùm de Medis victoriá potitus, regem illorum Aſtyagem auum immani crudelitate infamem regno mouit; ſubacta deinde Aſia cùm inferiore, tùm ſuperiore, Crœſum Lydorum regem opulentiſſimum, ob idq; ſe feliciſſimum dicentem, anno poſt debellatos Medos, duodecimo deuicit; poſt-

modum viceſimo primo Balthaſarum imperatorem Aſſyriorum, expugnata Babylone interſecit, atque imperium ad Perſas transtulit. Quem in modum ſtabilitis in oriente rebus, verſus ſeptentrionem Scythas aggreſſus eſt, vbi magnis illorum copiis iam cum filio reginæ deletis, ipſe in anguſtias imprudenter inductus, à regina Tomyri circumuentus, tantus vir cum ducentorum millium Perſarum exercitu per mulierem óccidit. Regnauit poſt imperium adeptum annos nouem; in vniuerſum triginta. Illud autem animaduertendum eſt, hiſtoriam ſacram, & Hebræos, non ab inchoato regno, ſed ab imperio occupato, Cyri annos recenſere; cœpit itaque Perſarum imperium anno mundi ter milleno quadringenteſimo quinquageſimo quinto: ſtetit inde ad Darium ab Alexandro magno deuictum, annos ducentos decem: demptis primis viginti annis Cyri. Prouincias ab India vſque ad AEthyopiam ſub ſe habuit, cum eſſet in ſummo flore, centum viginti ſeptem.

CAP. II. De reditu Iudæorum ab exilio.
Anno mundano 3456.

QVod de Eccleſia ſancto Dauidi Dominus dixit; ſi dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo in virga iniquitates eorum; verumtamen miſericordiam meam non diſpergam ab eis; id cum Iudæis tum profectò egit, quando finitis ſeptuaginta annis deſolationis, liberos eos de captiuitate Babylonica dimiſit, & quidem mirabili via, ac ratione; oppreſſis enim illorum hoſtibus Babylonicis, Cyrum victoriâ ouantem, quanquam ethnicum, perſpicuè per viſionem docuit, ſe dominum cœli eſſe, qui ipſi omnia regna terræ dediſſet, proinde præcipere ſe ei, ædem ſibi ædificet in Iudææ primaria vrbe Ieruſalem: quibus mandatis acceptis Cyrus imperator lege edixit, non ſolum liberum eſſe Iudæis redeundi ad patrios lares, ſed præcipere ſe etiam, irent rectâ, & templum Dei extruerent; nationes verò vicinæ illos opera iuuarent, ſumptibusq́;; redditis vnà è veſtigio ſacris vaſis aureis, argenteis, aliisq́; quinque millibus quadringentis, quæ ibi ex direptione reliqua repererat.

Zoro-

54 Zorobabel.

ZOROBABEL filius Salathiel in ſtemmate Chriſti patriarcha erat hoc in reditu; & princeps Iudaici populi, cui præfuit quinquaginta octo annos. Iudæorum qui tum in patriam remearunt, fuêre ad quinquaginta milia. Zorobabel dux ſtatim aggreſſus eſt vrbis reſtaurationem; atque anno ſecundo Cyri, interioris templi fundamenta iecit, altare poſuit; lentius autem ædificium proceſſit, ob impedimenta per Samaritanos perpetuò illata, vt anno ſecundo Darij priuilegium nouum impetrari oportuerit, quo tempore fundamenta templi exterioris & atrij iacta demum ſunt.

Iudæi etſi ab exilio reuerſi, libertatē, vrbem, templum, regnumq; iterum ſunt conſecuti, tamē multis priſtinis deſtituti poſthac fuêre Dei beneficiis; quorum ſeptem maxima numerabantur; veluti Arcâ teſtamenti à Moyſe facta, oraculis & reſponſis è propitiatorio dari ſolitis; fulgore gemmarum è rationali pontificis anteà futuros euētus præſignificante; igne cœlitus in holocauſta delabente; ſpiritus diuini ſpectabili ſigno ad regum, pontificumq; inaugurationem deſcendente; prophetarum præſentia; frugibus terræ ſexto quoque anno ob ſabbatharium ſeptimum ſequentem triplo auctis. E contra in fide, & profeſſione vnius Dei viuentis poſthac firmiores perſtiterunt, ablegata penitus prona illa ad idolatriam inclinatione.

De Synagogæ ortu.

SYnagoga magna, poſtquam regium imperium deletum, ſilentiumq; prophetarum inuectū̄m eſſet, ortum habuit, & prophetis ſucceſſione quadam ad natales Meſſiæ vſque eſt adiuncta. Conſtabat ea quaſi vno corpore & pluribus membris, pontifice, ſacerdotibus, principibusq; aliis viris, legisdoctoribus quoque, & ſcribis, cæterisq;, illuſtrata erat ſpiritu diuino illo metis quibuſdam commenſurato, qui vulgari proborum ſuperior eſſet, prophetico verò minor. Hoc itaque tempore toto, principes, præcipuè verò pontifices populo Iudeorum præfuerunt, quorum magiſtratus, ſynagoga magna nuncupata eſt; de qua Genebrardus elegēter plura, tametſi eo quoque nomine plerumq; totius veteris teſtamenti eccleſia appellari conſueuerit.

Ioſue filius Ioſedech ſummus ſacerdos, qui idem pontifex dicitur, cum principe Zorobabel, & populo fideli Babylone in Iudæā venit, vbi ſacra gubernacula tenuit quatuor ſupra ſexaginta annos; quanquàm trigeſimo ſeptimo ad Darium profectus, abſens Ioachimum filium per annos octo ſuffectum habuerit.

Syriaca lingua ea qua libri ſacri perſcripti quoque ſunt, & quæ in vſu erat quo tempore ſaluator in humanis egit, originem ducit ex Chaldæa & Hebræa: Hebræi enim, in Babyloniam abducti Chaldæam linguam coacti ſunt eloqui: redeuntes deinde Chaldæam hebraicis terminationibus inflexerunt. Chaldaica itaque hebraicè formata, poſteris Syriaca dicta eſt.

HAGGAEVS propheta adoleſcens è Babylone reuerſus, prophetiæ munere in Iudæa functus eſt, templi ædificationem hortando plurimum iuuit, inuectus ſæpè in ſocordiam popularium; affirmauitq; illuſtrius multò, diuiniusq; templum iſtud futurum priore à Salomone condito; non magnificentia ſtructuræ, quam multis partibus non æquabat, ſed præſentia optatiſſimi Meſſiæ, quem erat ſuſcepturum.

ZACHARIAS propheta eiuſdem cum Haggæo argumenti multa diſſeruit: tum verò aduentare Meſſiam ſaluatorem, & imminere Iudæis exitium extremum, ob illum violatum.

MALACHIAS idem qui Eſras, vt nonnullis placet, poſtremus omnium prophetarum perſpicuè ſignificauit, Iudæorum ſacrificia porro grata minimè futura; ac iam affore tempus, quo apud gentes non vno loco, ſed ab oriente in occidentem quaqua verſum puriſſimum, gratiſſimumq; ſacrificium altaris, quod eſt corporis Chriſti liturgia, Deo patri offeratur.

Prophetarum itaque ætas fuit à Samuele vſque ad Malachiam; finita eſt quadrageſimo circiter anno poſt reditum ab exilio; eo vſque enim doctrina præfuerunt poſteriores, dum videlicet firmius ſynagoga adoleſceret, & templum ferè perficeretur.

Scribæ, legis interpretum, & doctorum nouus ordo eccleſiæ excitatur; cuius licet inſtitutio expreſſis ſcripturæ verbis non exſtet, autoritatem tamen legitimam habuiſſe notum ex Chriſti Do-

mini verbis eſt, Ecce, dicentis, mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, Matth. 23.

ESRAS primus, ſummusq́; legis ſcriba, ſacros Bibliorum libros aptè iterum concinnat, & quod per exilij vaſtitionem corruptum erat, emendat, reſtituitq́; : nam quod veterem Moyſi & Prophetarum ſcripturam quidam penitus periiſſe, atque ab Eſra denuo totã dictatam fuiſſe putant, rationi conſentaneum minimè videtur : is porrò veteribus libris nouos addit: Chronica ſacra à condito mũdo, cum noua regum hiſtoria, quæ Paralipoména appellantur, perſcribit, vnáque libros ab ipſo Eſra denominatos.

Synodus magna à ſynagoga celebrata eſt pro inſtauratione rerum ſacrarum; cui prophetæ quoque interſuerunt; in ea Eſræ libri priores recepti ſunt, & editus canon Hæbræorum de ſcripturæ ſacræ libris tum authenticis; nam quod Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum libri in canonem illum relati non fuerint, cauſa eſt, quod nondum editi eſſent; quos poſtea editos, eccleſia poſtea cum aliis noui teſtamenti libris canonicos cenſuit.

ESTHER nobiliſſima virgo imperatori Aſſuero, qui Darîus nobis eſt, nubit; ac Iudæis apud Perſas hærẽtibus per Aman proditis, vitam, & ſalutem impetrat; cuius hiſtoriã ſcribit Ioachim pontifex Ioſuæ filius.

Res gentium.

CAmbyſes, Cyri filius Perſarum imperator ſecundus, anno 3464. præeſt octo annos; quem ſacra hiſtoria etiam Aſſuerum vocat, & Artaxerxem, 1. Eſræ 4. qui vrbis, & templi Ieroſolymorum inchoatam ſtructuram perfici vetuit; AEgyptum ſubiugatam imperio adiecit; fratrem Smerdin interficiendum curans, ſuo ipſe gladio, qui fortè exciderat, occubuit.

Smerdes magus, regiam ſtirpem ementitus, tertius Perſis imperat cum fratre, ſeptem menſes, anno 3471.

Darius Hiſtaſpes, quartus imperator è ſeptem regni proceribus, ſorte per hinnitum equi declarata, electus, anno 3472 imperauit annos triginta ſex; Babylonem quæ defecerat, Zopyri aſtu recepit; contra Athenienſes apud Marathonem infeliciter pugnauit; anno imperij ſecundo Iudæis per legem poteſtatem

tem fecit domum Domini Ieroſolymis perficiendi, quæ ſexto ipſius anno abſoluta eſt.1.Eſræ 4.& 6.

Conſules Romani.

ROmā rex ſeptimus Lucius Tarquinius ſuperbus, anno regni viceſimo quinto exactus eſt; cauſa præcipua fuit, Lucretia caſtiſſima ab ipſius filio Sexto Tarquinio per vim vitiata; quæ tantæ ignominiæ impatiens, ferro ſibi pectus traiecit, præſente marito,& patre. Liberata regibus vrbe,magiſtratus annui creati ſunt,conſules bini, anno vrbis 245. primi fuerunt L. Iunius Brutus,qui regem exturbauerat. & L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus. Regum nomen inde perpetuò Romanis inuiſum fuit. Clari virtute, factisq; fuerũt Romæ Horatius Cocles,Mutius Scæuola, & Clœlia virgo aduerſus Porſennam hoſtem.

Sibylla Cumana anus hoſpita, & incognita Tarquinio regi nouem libros oraculorum venum attulit; negante rege trecentos philippæos,quos pro eis poſtulabat, dandos, tres libros appoſito igne deuſſit, & ecquid reliquos ſex eodem pretio vellet,regem denuo rogauit;ridẽte illo anum, tres ipſa alios è veſtigio exuſſit;cumque placidè compellauit,reliquos ſaltem tres emeret,pretio nihilo minore; quos, mulieris miratus conſtantiam,ita comparauit. Qui libri Sibyllini dicti, in ſacrarium Romæ conditi ſunt, & Quindecimviri inſtituti; qui,quo tempore gliſcerent pericula publica,eos conſulerent. Quanquam verò Syllanis temporibus cum Capitolio conflagrauerint libri illi, tamen, quòd eos Attilius Duumvir ſecretùm deſcripſiſſet, & per legatos ab Erythris ad mille verſus repetiti eſſent,iactura leuior exiſtimata eſt. Celebris tum quoque erat Sibylla Helleſpontia.

De philoſophia Græcorum.

REctè cum Daniele profitemur, vnum Deum eſſe, qui ætates mutet,& ſapientiam conferat; is itaque quaſi Iudæorum ingratitudinem pertæſus, Græcis dehinc ſi non ſumma, tamen magna præſidia prudentiæ,ſapientiæ naturalis, & præſertim eloquentiæ,vt paulò poſt quoque Romanis, quaſi diuinæ ſapientiæ aduentantis præludia quædam impertiuit; nec enim caret admiratione,

tum

tum ſapientiæ ſtudium, apud illos qui naturæ tantum legibus nitebantur, potiſſimum cœpiſſe, cum exulabat Moyſi lex ſcripta; ac ſub ipſa captiuitate Babylonica ſeptem Græciæ ſapientes floruiſſe. Quibus etſi in Græcia vetuſtiores fuêre, multis antè ſeculis, vt quinta Tuſculana recenſet, Lycurgus, Homerus, etiam heroicis ætatibus Vlyſſes, & Neſtor, præterea Atlas, Prometheus, Cepheus, quorum inſignis cœleſtium cognitio nomen eorum ad errorem fabulę traduxit; tamen quoniam ſucceſſionem eorum diſciplinæ conſtantem nactæ non ſunt, & fructus ad paucos manauit, factum eſt, vt ante Solonis ætatem, ſcientiarum vix guſtum Græcia acciperet; vt propterea Soloni in AEgypto agenti, id quod in Timæo refert Plató, prouectæ ætatis ſacerdos AEgyptius diceret; vos Græci perpetuò pueri eſtis, in quibus nulla eſt cana ſcientia: nunc verò è veſtigio Solonem exceperunt philoſophi, ſic apud Græcos dicti, quod ſapientiæ ſtudioſi eſſent; qui quidem cum cernerent in vita longè omnibus ſtudiis contemplationem rerũ, cognitionemq; præſtare, populari gloria, deliciis, opibus, cæteriſq; omnibus pro nihilo habitis, totos ſe ad philoſophandum tranſtulerunt, eamq; vitam ſunt ſecuti, qua, propter tranquillitatem, & propter ipſius ſcientiæ ſuauitatem, nihil eſſe hominibus iucundius poteſt. Quæ itaque ab Hebræis, & Abraham olim deriuatæ ad Chaldæos, AEgyptios, & Phœnices ſcientiæ erant, eæ poſtmodum ad Græcos peruenerunt, a quibus, & multò maiore ſtudio excultæ ſunt, celebrat æq;, & ab eis quæcunq; habentur ad Latinos, demum autem ad nos quoque ſunt propagatæ. Eſt verò mirum, philoſophos vna ingenij dexteritate, ex leuibus principiis ad res tam reconditas, & remotiſſimas indagandas peruenire, tanto cum ſucceſſu potuiſſe; quid enim nõ attentarunt? quò non penetrarunt? quid non literarum ornamentis illuſtrarunt? Ergo vigor humani ingenij, & acumen, mentiſq; perſpicacitas huiuſce ætatis maximè propria fuit; & viſa eſt mens hominum, conſeneſcente ſenſim lege apud Iudæos ſcripta, naturæ vi velle è diutinis tenebris emergere, lumen naturale obfuſcatum perpurgare; cœli, ſyderumq; rationem, ac beatarum mentium ſedem perſcrutari, vt tandem quid deeſſet ſibi ad vitam perfectam

cognoſceret, vitæq; autorem, & naturæ corruptæ reparatorem tacitè è cœlo deuocaret; ſine illo enim nec iuſtitia vera, neque ſapientia noſci poterat: vt propterea ipſis ſumma licet animi contentione philoſophantibus, nihil ſolidum, certum, abſolutúmue fuerit productum, quod ipſe Cicero, referente etiam Lactantio in ſexto, candide fatetur; Nos verò iuris, inquiens, germanæq; iuſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus, vmbra, & imaginibus vtimur, easq; ipſas vtinam ſequeremur: ac mox: nec ij qui ſapiētes habiti, & nominati M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerunt, ne illi quidem ſeptem, ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemq; ſapientium. Atque hæc eadem cauſa fuit, cur obſcurius ſcriberent philoſophi, & Academici, qui à Platone deſcenderunt, dubitare in ſcientiis, quàm affirmare incerta mallent, vt Cicero ſecundo de finibus, & primo Academico declarat; Rerum obſcuritas, inquiens, non verborum facit, vt non intelligatur oratio; qualis eſt in Timæo Platonis, & in libris Platonis nihil affirmatur, & in vtramq; partem multa diſſerũtur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur: vt intelligas per philoſophiam Ethnicorum, quamuis mirabilis ea fuerit, nequaquam ad veræ ſapientiæ, & iuſtitiæ cognitionem peruentum eſſe, eamq; ingenij humani potius conatum fuiſſe quendam ad ſanctam, & abſolutam doctrinam eam capeſſendam, quæ mox ſequentibus ſæculis patefacta eſt per beatos Apoſtolos, & ſacros doctores, qui ſapientes Chriſtianorum cenſentur.

Philoſophiæ ergo ſtudium in Græcia ortum eſt primum per eos partim, qui in AEgyptum profecti, ſecum nonnulla retulerunt, partim per Pherecidem Syrum, qui quæ à Phœnicibus cognouerat, docere ipſe conſtituit: Synchronos habuit Thaletem, & Epimenidem Cretenſem: domicilium ſtudiorum paulò poſt delectæ ſunt Athenæ, doctrinarum illæ inuentrices.

Thales Mileſius, annoſiſſimam ſenectutem aſſecutus, Ioniam diſciplinam inſtituit, diſcipulum habuit imitatorem Anaximandrum.

Pythagoras Samius, auditor Pherecidis, primus ſe non ſapientem,

tem, vt ſuperiores dicebantur, ſed philoſophum, nempe ſtudioſum ſapientiæ vocauit, AEgyptum luſtrauit, Perſarum Magos adiit, tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria tranſmiſit, vt quando non extabant autores vlli de ſapientia ſcripti, cum iam Phœnicum diſciplinas per præceptorem cognoſceret, quid AEgyptij quoque, quid Chaldæi, & Magi reconditum haberent, æquê, & coràm perdiſceret: in Italiæ deinde eam oram, quæ magna Græcia nuncupabatur, cum regnante Tarquinio Superbo veniſſet, vt Thales Ionicam, ita Italicam ipſe diſciplinam propagauit, quæ ad decimam vſque ætatem inter inſignes ſectatores floruit.

Anaximenes, Heraclitus, Anaxagoras phyſicus florent, & vnà Theognis, & Phocilides poëtæ gnomologi ethici: qui quod de moribus tam ſapienter ſcripſerunt, ex Sibyllinis collectaneis hauſiſſe putantur, præcipuè poſterior.

Vna itaque, & eadem hominum ætâte, & ſynagoga Iudæorum, atque philoſophia Græcorum, & imperium Perſarum, ac Reſpublica Romanorum per conſules adminiſtrari cæpta, originem habuêre, atq; hæc tempore principis Zorobabel, & pontificis Ioſue

CAP. III. Septuaginta hebdomades.
Anno 3514.

RESA Menſullam, Zorobabelis filius in Iudæa princeps præeſt ſexaginta ſex annos.

Ioachim poſt Ioſue pontifex eſt annos viginti octo; Eliaſib deinde annos vnum & quadraginta.

55 Abiud.

ABIVD alter filius Zorobabel, genealogiam Chriſti continuat.

Nehemias, & Eſras perſtant in inſtitutione populi ad pietatem, & hortatione ad vrbis Ieroſolymæ ædificia perficienda.

Septuaginta hebdomades Danieli prophetę ab Angelo ſunt cõſi-

gnatæ, Daniel. 9. quarum ductu pateficeret tempus Meſſiæ; qui deleturus peccatum erat, & adducturus iuſtitiam ſempiternam; eæ nō diebus ſed annis ſeptenis, & quidem lunaribus, apud Iudæos vſitatis, cōſtant; quarum ſummam quadringentos ſeptuaginta quinque conficiunt; quarum caput deducitur à viceſimo anno Artaxerxis Longimanni Perſarum imperatoris, qui Iudæis ex Babylonico exilio adhuc illic reliquis eo anno poteſtatem fecit vrbem Ieruſalem inſtaurandi, & mœnibus, qua imperfecta eſſet, cingendi; quamobrem eò ab Artaxerxe ablegatus Nehemias princeps Iudæus, ipſius Pincerna, Iudæorum multis millibus impigrè operam nauantibus, vrbem intra vigeſimum diem perfecit, vt ſecundus Eſræ liber ordine narrat. Eſt verò viceſimus annus Artaxerxis, olympiadis octuageſimæ tertię poſtremus. Ergo Ieruſalem inſtaurari ſub Cyro cæpta, abſoluta demum eſt anno nonageſimo quatto: nempe viceſimo Artaxerxis Perſæ: à quo conſummato opere ad cōſummata legalia omnia, quæ Chriſti Domini morte compleri, & perfici debebant, Danieli fuit reuelatum, ſupereſſe hebdomades annorum ſeptuaginta. Porrò ab anno Artaxerxis viceſimo, qui mundanus eſt ter milleſimus quingenteſimus quadrageſimus annus, ad annum Chriſti trigeſimum ſecundum, qui mundanus eſt quatermilleſimus, vigeſimus quartus, elapſi ſunt anni ſolares quadringenti ſeptuaginta quinque; qui lunares illos quadringentos nonaginta, ad ſeptuaginta hebdomadum calculum perficiunt; quos proximo anno conſecuta eſt mors Chriſti, & impleta eſt, ait Daniel, viſio & prophetia; media autem vltima hebdomada fore dixerat, vt deficeret hoſtia, & ſacrificium; nempe anno Chriſti triceſimo, à quo cum baptiſmum inſtituerit, & Euangelium promulgare cœperit Dominus, ſimul legalibus ſacrificiis, & ceremoniis interitus eſt denunciatus, quod cedere ea gratiæ, & euāgelio oportere ſtatutum à Deo eſſet; ſed pleniſſimam huius rei diſcuſſionem, cum variis autorem ſententiis, à Pererio petere licet, è commentariis in ſacrum prophetam Danielem.

Res gentium, ætate Reſa.

XErxes quintus Perſarum imperator, anno 3508. rerum gubernacula

nacula tenuit annos viginti vnum: bellum à patre Dario aduerſus Græciam inchoatum, proſecutus eſt; quadraginta millia, aut ſecundum nonnullos, decies centum millia pugnatorum eduxit; mare nauibus, ac pontibus ſtrauit, flumina exhauſit; cœſus tamen eſt à Græcis ad Marathonem, & ad Thermopylas, ac tertiò nauali pugna: fugatusq; tandem. Leonides Spartanorum dux inanem illius potentiã, opesq; inflatas ſcito eluſit dicto; malle ſe, inquiens, ceruorum agmen duce leone, quàm agmen leonum duce ceruo; factoq; probauit, nam ſexcentis Spartanis quingentorum millium caſtra ipſe adortus, ingentem ſtragem edidit.

Artaxerxes Longimanus, ſextus Perſarum imperator anno 3529. regnat annis quadraginta quatuor; benignus in populum Iudæorum, qui & Ieruſalem munimentis firmari, perficiq; curauit. 2. Eſræ 2.

Græciæ bellum inteſtinum Peloponneſiacum, fugato extero hoſte exoritur, anno 3565. Athenienſes inter, & Lacedæmonas, ſeu Spartanos, varia victoriæ fortuna, cùm in Græcia, tùm in Sicilia geſtum per annos viginti ſeptem.

Duces bellici celeberrimi fuêre ordine Miltiades, Themiſtocles, Cimon, Ariſtides iuſtus, Pericles, Alcibiades Athenienſium; Lacedæmonum verò Leonides, Pauſanias, Lyſander.

Romani contra Latinos, Veientes, Volſcos, bellum concitant, ducibus celebribus Poſthumio dictatore, Martio Coriolano, L. Quintio Cincinnato, qui dictator ab aratro vocatus, parta victoria rurſus ad boues, relictumq; ruri opus intra quindecim dies feſtinauit, cæſiq; ſunt à Veientibus trecenti ſex, vnius gentis, Fabij.

Leges duodecim tabularum Romæ eduntur, miſſi enim ſunt à ſenatu tres legati Athenas, qui inclitas leges Solonis deſcriberent, & aliarum Græciæ ciuitatum inſtituta, mores, iuraq; pernoſcerent: ex quibus ad patriam aptatis, per Decemviros, primum decem tabulæ perlatæ ſunt; deinde, vt corpus Romani iuris abſolutum eſſet, duæ additæ; quæ nunc quoque fons omnis publici, priuatiq; ſunt iuris, anno ab vrbe condita trecenteſimo ſecundo.

Mutatus item Romæ magiſtratus eſt; Decemviri fuêre annos

tres, deinde iterum annui conſules; mox Tribuni militum terni, quini, ſeníue, donec poſt nonaginta ferè annos ad conſules reditum eſt.

Philoſophi.

HErodotus floret hiſtoriæ parens, à quo hiſtoria primo commota eſt, vt auderet vberius, quàm ſuperiores, & ornatius dicere: quod ſi quæ minus fide digna habet, non in culpa ipſe eſt, qui, quæ tum reperit minus diligenter pernotata, fideliter recenſuit. Nemo antiquior eo exſtat; incipitq́; hiſtoriam ſuam, vbi ferè ſacra deſinit.

Hippocrates medicorum coryphæus hoc tempore floret.

Pindarus, AEſchylus, Sophocles, Eurypides, Ariſtophanes optimi poëtæ celebrantur.

Diagoras, Parmenides, Democritus, Empedocles, Zenon Eleates, Archelaus, Euclides, Phocyon, Ariſtippus, Meliſſus, & Architas Tarentinus philoſophantur.

Gorgias, Tiſias, Prothagoras ſophiſtæ, & oratores hac fœcunda, & facunda tempeſtate florent: poſterior iſte, ait Plato in Menone, ſeptuaginta annos vixit, quadraginta annos docuit, vniuerſam Græciam feſellens, familiares ſuos peruertens, deterioresq́; quàm accepiſſet reddens.

Socrates fons philoſophorum, auditor Archelai, diſcipuli Anaxagoræ, omiſſa aſtrorum contemplatione, ethicen, rationemq́; vitæ bene inſtruendæ, antiquiſſimum, & vtiliſſimum philoſophandi genus reſtituit; atque hoc eſt, quod dicitur, eum philoſophiam primum deuocaſſe è cœlo, & in vrbibus collocaſſe, & in domos etiam introduxiſſe; cuius multiplex ratio diſputandi, rerumq́; varietas, & ingenij magnitudo plures diſſentientium philoſophorum familias peperit. AEquabilitatem in omni vita eam ſeruauit, vt proſperis, aduerſisq́; rebus eodem ſemper vultu, eadem fronte eſſet; cuias eſſet, interrogatus, mundanum ſe dixit, Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus, cum eſſet omnium doctiſſimus, nihil ſcriptis mandauit, verùm eius excellens philoſophandi ratio omnis Platonis memoria, & literis conſecrata eſt.

CAP. IV. De Hannania.
Anno 3580.

HAnnanias, vel Iohannes, Reſæ F princeps Iudæorum eſt annos quinquaginta tres, quo tempore nihil in ſynagoga memorabile actum eſt.

Ioiada in ſummo ſacerdotio ſuccedit Eliaſib; præeſt annos viginti quatuor, deinde Ionathan, ſeu Iothan annos totidem.

56 Eliachim.

ELIACHIM filius Abiud patriarcharum ſeriem ad Chriſtum porrò deducit.

Res gentium.

DArius Nothus ſeptimus Perſarum imperator anno 3573. regnat annos vndeviginti.

Artaxerxes Mnemon, ab anno 3592. octauus Perſis imperat annos triginta ſex.

AEgyptus deficit à Perſis, regem creat propriũ Amartheum anno 3581. cuius regnũ ſtetit ſexaginta annos, receptũ à Dario Ocho.

Artemiſia regina Halicarnaſſi in Aſia, Mauſoleum marito facit ſeptem mundi miraculis connumeratum.

Peloponneſiacum bellum ad Græcię internecionem continuatur: Athenienſium duces ſunt illuſtres Conon, Thraſibulus, Iphicrates viginti annorum adoleſcens; Lacedæmonũ verò Ageſilaus, Archidamus, Thebanorũ autẽ multò maximus Epaminõdas, cuius ſũma virtute, & nata eſt Thebanorũ gloria, & eius morte extincta.

Dionyſius Tyrannus in Sicilia regnat, cuius regnum Carthaginenſes, duce Hanibale, bello infeſtant.

Roma cum tot annos ſtetiſſet, quod in anno dies ſunt, à Gallis Senonibus rege Brenno capta eſt; & horrende vaſtata patres ætate, inſignibusq; honorum indutis venerabiles in veſtibulis ædium ſedentes cæſi; Capitolium à M. Manlio, & lectiore iuuenum manu

ſerua

ſeruatum;vbi ipſa ſex menſes ab hoſte inſeſſa,à Furio Camillo exule in dictatorem accito liberata demum eſt. Romanos cogitatio inuaſerat,vaſtata vrbe relicta, Veios migrandi, quod conſilium vix eorum animis exemit Camillus. Tribuni militum adhuc præerāt: eo bello etiam illuſtratis Manlio Torquato, & Valerio Coruino. Camillus fuit verè vir vnicus in omni fortuna princeps, pace, belloq́;, & ante,& poſt exilium, dignus habitus, quem ſecundum à Romulo conditorem vrbis ferrent Romani.

Franci, Sicambri alio nomine, gens Scythica primum in Germaniam appellant.

Philoſophi.

PLATO,primùm dictus Ariſtocles, quidam Græcorum Moyſes,ſapientiæ antiſtes, philoſophorum omnium princeps, ſapientum apud exteros vnus inſtar omnium, ac totius Græciæ clariſſimum lumen,diu Socratis auditor,plura,& quæ ille repudiabat, diſcendi cupidus, AEgyptum peragrauit, à ſacerdotibus illic numeros,& cœleſtia accepit, Moyſis libros,vt creditur,legit;Tarentum ad Architam,& Pythagoræos venit,Gymnoſophiſtas andiuit: in ſermone tantam adhibuit elegantiam, vbertatem, grauitatem, vt Iouem eius ſermone, ſi loqueretur, viſurum philoſophi dicerēt, in doctrina, & præceptis tradendis ſanctitatem profeſſus eſt quandam,quæ maximam illi apud omnes conciliauit opinionem; in vita quoque,quam cœlebs,caſtusq́; duxit, integritate plurimum excelluit; negabatq́; ſibi placere bis in die ſaturum fieri, nec vnquam pernoctare ſolum, vt ex eius epiſtolis recitat quinta Tuſculana;ſtudio in omni vita fuit indefeſſo, atq; anno vno & octogeſimo ſcribens mortuus eſt.

Socraticæ porrò familiæ,& ſectæ præter Platonicam, aliæ proſeminatæ ſunt; Antiſthenes duritiam ſermonis, & conſtantiam Socratis adamando, paulò poſt Stoicos produxit; Ariſtippus verò Cyrenaicos.

Diogenes Cynicus,Anaximenes,Epicurus,Eudoxus philoſophi alij celebrantur.

Iſocrates eloquentiæ artifex floret: cuius domus tanquam rhetorum

torum officina erat, qui nonaginta nouem annos vixit: floret vnà Xenophon Socraticus, quem muſam Atticam, ob ſermonis iucunditatem, & Platonis æmulum dicunt: adhæc Thucydides hiſtoricus facundiſſimus; ac mox Demoſthenes, & AEſchines oratores admirabiles, ſummi, omniumq; eloquentiſſimi: exiſtente tum eloquentia ſummo in flore apud Græcos; nec enim vlla vnquam ætas tantos oratores vnà tot vidit.

CAP. V. De templo Schiſmatico.
Anno 3633.

IVdas Hyrcanus princeps Iudæorum eſt annos triginta vnum.

Ioſeph princeps eſt annos ſeptem.

Iaddûs, alio nomine Simon iuſtus, ſummus pontifex eſt in ſynagoga annos viginti ſeptem, deinde Onias Priſcus totidem annos, cuius inſignis laus, & ſanctitas in libro Eccleſiaſtici proditur.

57 Azor. AZOR filius Eliachim, ſtirpis Chriſti patriarcha hoc tempore viuit.

Manaſſes frater Iaddûs, quod Ieroſolymis ſummum ſacerdotium adeptus non eſſet, ad vrbem Samariam, in monte Garizim, templum conſtruit contra templum Domini, vbi pontifex à ſe ipſo creatus populi non exiguam partem per ſchiſma ſeduxit.

Alexandro magno vrbem Ieruſalem oppugnanti Iaddûs pontifex ſacro habitu auguſtus ad portam cum ſolenni ſacerdotum comitatu occurrit, mouetq; paganum principem, vt à vaſtatione temperet.

Res gentium.

DArius Artaxerxes Ochus, octauus Perſarum imperator eſt annos viginti ſex, ab anno 3628.

Arſames nonus imperat annos quatuor in Perſia, ab anno 3654.

Darius Codomanus decimus, anno 3658. imperator factus, im-

perij ſexto anno ab Alexandro victus eſt, & imperium finitum apud Perſas, anno 3664.

Archidamus Spartanus, Phocion Athenienſis duces clari.

Romani maximè celebres ſunt M. Curtius, Decius ſenior, L. Papyrius curſor, vir vnus & animi vigore, & corporis robore præſtantiſſimus, in quo maximè innixa res Romana ſtabat, quemq; illi aduerſus Alexandrum Magnum deſtinarant, ſi Aſia perdomita, in Europam vertiſſet; erantq; plures alij, vt Valerius Coruinus, Martius Rutilius, Cneus Sulpitius, Manlius Torquatus, Publius Philo, Q. Fabius Maximus, Decius iunior, L. Volumnius, M. Curius excellentes omnes hac tempeſtate, quibuscum aut conſulibus, aut dictatoribus Alexandro fuiſſet bellandum, ait Liuius.

De tertia monarchia Macedonum, & ALEXANDRO *Magno.*

ALEXANDER Magnus, Macedonum regi Philippo patri in regno ſuccedens, viginti natus annos, mundano ter milleſimo ſexcẽteſimo quinquageſimo octauo, ſimul tertiæ Monarchiæ, quæ Macedonum, & Græcorum eſt, principium dedit; nam, qua erat animi concitati gloria à natura ſuccenſus, Macedoniæ auito regno breui Illyricum adiecit, tum vniuerſam Græciam bello edomitam; inde tranſmiſſo mari Aſiam, Pontum, Syriam, AEgyptum, Perſiam, Parthiam, Armeniam, Hircaniam, Bactrianam, Indiam, multasq; præterea prouincias, mira celeritate ſubiugauit; concepto ſecum totius orbis imperio, quo nec contentus, dolebat non plures eſſe terrarum orbes, quò latius victor penetraret; atque vt animo maximus, ita regibus, & dynaſtis formidini omnibus erat, quod nullũ vnquã hoſtem adoriretur, quem non debellaret, cum ſæpe non ducis modo, ſed militis vices obiret, atque in pericula ſe primus demitteret; & ſi vulneraretur, aut hoſtium multitudine vndiq; obrueretur, tamẽ animo præſenti, tutusq; ſemper eſſet, partim conſcia virtute, quæ ei immortalis inſederat, partim felicitate, qua per diuinum fauorem perpetuò fouebatur; partimq; militum præſtantium fide, quorũ animos tractandi peritiſſimus erat, & quibus tantam

tantam ſui fiduciam fecerat, vt nullum non illi diſcrimen vel inermes adirent, dum ipſum ſcirent præſentem. Laboris erat vel nimiũ patiens, induſtria indefeſſus, nullo diſcrimine à ſpe victoriæ dimouendus, vt contemplanti in India Mazagæ hoſtilis vrbis munimenta, cum ſagitta crus percuſſum eſſet, euulſo ferro, & cõſcenſo equo, ne obligato quidem vulnere, non ante ſe receperit in caſtra, quàm proſpexiſſet cuncta, & quæ fieri vellet, edixiſſet; leonem aliquando raræ magnitudinis rectà ipſum invadentem prohibuit à præfecto excipi venabulo, occlamans, tam à ſemet, quàm à duce feram interfici poſſe, exceptamq; vno vulnere occidit. Animi vigorem, ſublimitatemq; incendere ſolebat veterum hiſtoriis, & Homeri præcipuè lectione, quem ſemper cum pugione ſub puluino habebat. Clementia in victos erat prona, vt Darîum imperatorem Perſam victum, dolo autem ſuorum interfectum, licet hoſtem, lachrymis proſecutus ſit, & eius matrem, vxorem, filias captas, quàm honeſtiſſimè haberi voluerit. Redeuntẽ ex Oriente, atq; cum triumpho, ad Liberi Patris exemplũ, incedentẽ, animoq; Occidentem iam petentem, occiduarum nationum legati Babylone operiebantur, Itali, Siculi, Sardi, Galli, Hiſpani, & ex meridie Africani, & Carthaginenſes; cum aut deliniendum, aut regem ferendum rati; ita vt eum non victoriarum ſucceſſus, qui inoffenſo currebat pede, non ætas, quæ florentiſſima erat, nõ animus, quo erat inuictus defecerit, quò minus orbem vniuerſum mitteret ſub imperium; ſed vita immatura morte extincta; nam venenata potione Babylone de medio ſublatus eſt, cum regnaſſet annos duodecim, menſes octo; vixiſſet annos triginta tres, anno primo Olymdiadis centeſimæ decimæ quartæ; anno ſeptimo poſt deuictũ Darîũ. Fuerunt in illo vitia iuſto maiora, gloriæ, viniq; appetẽtia, iraq; vehemẽs: ſed quæ poſtquàm iuuenilis efferbuiſſet ardor, repreſſum iri ſpes erat; odioſũ profectò ſuis nihil magis quã affectati diuini honores, ex Hamonis oraculo captati fecêre; virtutẽ verò, iuſtitiamq; ipſius etiam hoſtes admirati ſunt, liberalitate fuit planè regia; fortitudine, ſolertia, & conſilio ſupra humanas vires; corporis magnitudine hominũ opinione breuiore, id quod Scytharum legati præ cæteris admirati ſunt: fuit ſin-

gulari in amicos benignitate,pariq; in milites beneuolentia. Tanto autem heroi cùm ſucceſſor dignus deeſſet, imperium ſumma felicitate inchoatum, ab ipſo,vt ſacra hiſtoria narrat, in varios principatus, mox in quatuor eſt regna diuulſum, quæ in Romanorum poteſtatem poſteà conceſsêre.

Philoſophi.

ARiſtoteles philoſophus primarius,ſummusq;,& dæmon ſublunaris quidam,qui admirabili,reconditaq; ſcientia,& copia cœleſtem regionem, elementa, animantia, ac naturam adeò vniuerſam,ingenio propè diuino perluſtratam, plurimis libris deſcripſit.Platonem præceptorem audiuit annos natus octodecim; Alexandrum Magnum diſciplinis inſtituit annis quinq;. Vnus omniũ ſcientiarum theoremata,ſumma capita & principia ſparſim omnia complectitur, talis verò cui vt philoſopho ethnico parcè immorandum ſit. Ab ipſo deinde perfecta eſt Peripatheticorum familia clariſſima.

Xenocrates Academicorum,ſecundum Platonem,autor:Speuſippus Platonis ex ſorore nepos:Heraclides Ponticus,&Ariſtippus; adhæc Zenon Cittiæus Stoicorum princeps,& Crates philoſophi egregij florent.

CAP. VI. Septuaginta duo interpretes.

Anno 3671.

IVdæis poſt Ioſephum principem præfuit Abner Semei annos vndecim.

Mathathias annos duodecim.

Aſar Mahat annos nouem.

Artaxat Nagid decem.

Hagiel annos octo.

Maslot ſeptem.

Amos Syrach quatuordecim annos.

Pontifices ſummi interea fuerunt ordine poſt Oniam Priſcum, Simon Priſcus annos tredecim; Eleazar annos viginti: Manaſſes viginti ſeptem.

SADOC

58 Sadoc.

SADOC filius Azor, patriarcharum ſerie Chriſti genealogiam continuat.

Ieſus Syrach librum Eccleſiaſtici Hebraicè ſcribit, quem eius nepos, eiuſdem nominis, paulò poſt Græcè edit; habuit enim ſynagoga perſæpe viros ſummos, ſpiritu, ſapientia & fide præclaros.

Sapientiæ liber eodem ferè tempore prodit; autor incertus eſt, liber autem ab Eccleſia receptus, & cum ſuperiore probatus.

Septuaginta duo interpretes ex Iudæa viri inſignes à Ptolomæo Philadelpho rege in AEgyptum exciti, ſacram bibliorum ſcripturam ſingulari afflatu Spiritus ſancti primum ex Hebræo Græcè reddunt, agente pontificem Eleazaro, quem rex AEgyptius multis donauit muneribus, & ſacram ſcripturam in Alexandrina Bibliotheca, quam ex omni literarum genere comparauerat inſtructiſſimam recondidit: fuit verò Septuaginta interpretum, ſic enim plerumq; cenſentur, autoritas etiam inter Chriſtianos & ſanctos patres ſemper præcipua, maiorq; quàm interpretum aliorum.

Res gentium.

MOnarchia Macedonum, ab Alexandro Magno excitata, poſt varias diſceptationes, & præfecturas inter ſuos fruſtra inſtitutas, in quatuor tandem regna diſpeſcitur.

Macedonicum primum penes Aridæum Alexandri fratrem, cui ſubeſſe quoque ex pacto cæteri prouinciarum præfecti debebant, permanſit, ac ſtetit inde annos centum quinquaginta ſex, regnauit Aridæus annos ſeptem, inde Caſſander, tum Alexander cum Antipatro, Demetrius, Pyrrhus, Lyſimachus, Ptolemæus Antigonus Gonathus.

AEgyptium ſecundum regnum, cum Africa, & Arabia ceſſit Ptolomæo Lagi F. ex gregario milite virtutis cauſa ab Alexandro prouecto; ſtetit ab interitu ſtatim Alexandri anni 3670. ad deuictam ab Auguſto Cleopatram reginam, annos trecentos minus ſeptem.

Ptolomæo Lagio ſuccedit Philadelphus, anno 3710. cum regnaſſet duos annos cum patre.

Aſiaticum tertium, ab Antigono occupatum anno 3676. ſexto anno poſt Alexandri mortem, ſtetit paucis annis; & ſub Demetrio eius filio à Syriaco abſorptum eſt, anno regni trigeſimo quinto, cuius loco paulò poſt ortum eſt Parthicum.

Syriacum quartum, vendicauit ſibi Nicanor Seleucus, anno 3684. quod regnum eiecto Laomedonte Satrapa, victo Antigono, & Demetrio, expugnataq; Babylone, addito Aſiatico, tota Aſia ad Indum vſque flumen ampliſſimum fecit; quod tamen poſteà Parthorum creſcens potentia magnis prouinciis minuit; cœpit autem anno poſt Alexandri mortem quarto decimo, Græcorum regnum à ſacra hiſtoria nuncupatum, quæ eius annos non ab Alexandri regno aut morte, ſed ab Seleuci principatu deducit, à quo ſtetit per annos ducentos quinquaginta; tum enim Tygrane rege vltimo à Pompeio debellato, Syria à Romanis in prouinciam redacta eſt. Seleuco ſuccedit Antiochus Soter, anno 3714. tum Antiochus Theos, anno 3733.

Romani Samnites difficili bello vincunt. Q. Fabius Maximus claret, & Decius iunior, & Q. Curius Dentatus, qui primus de Samnitibus triumphauit; ab eisq; allatū magnum auri pondus contempſit, dum ad focum rapas torreret, dicens, generoſius eſſe locupletibus imperare, quàm locupletem fieri.

PYRRHVS Epiri rex, auxilium Tarentinis ferens in Italia, cum Romanis ſæpè conflixit, vir maximus, heros bellica laude clariſſimus, & qui Romanorum militum robur expertus, facilè ſe orbem terrarum ſubacturum diceret, ſi ſub ipſo Romani militarent; ex vrbe Roma rediens Cyneas ipſius legatus, vt veram ſpeciem, maieſtatemq; ſenatus Romani Pyrrho exprimeret, ſenatores ſibi viſos eſſe reges, ædes templa dixit; hoc bello claruerunt C. Fabritius, & Appius Claudius Cæcus.

Italia tandem omnis ſubiugatur à Romanis, itemq; Sardinia, Corſica, & Siciliæ aliquot ciuitates, quingenteſimo circiter anno ab vrbe condita.

Agatho-

Agathocles vir variæ fortunæ, Siciliæ rex eſt, poſt quem Hiero regiis dotibus omnibus præditus.

Punicum bellum primum cœpit anno vrbis quadringenteſimo nonageſimo; Carthaginenſes à Romanis nauali prælio quinquies cæſi, & merſi ſunt, de prima victoria nauali Cneus Duillius triumphauit; cæteras M. Attilius Regulus obtinuit, qui in Africam traijciens Carthaginem obſedit, captus demum crudeliter necatus eſt. Romanorum claſſis bis naufragium fecit. Primus Pœnorum dux fuit Hanno, deinde Annibal ſenior.

Philoſophi.

THeophraſtus qui diuinitate loquendi nomen inuenit, & Menedemus Peripathеci Ariſtotelis diſcipuli, Crantor, Polemon, Archeſilaus Academici; Ariſton, Perſeus, Cleanthes Stoici: Epitimedes, Theodorus Atheos, Demetrius Phalereus, Theophraſti auditor: Athenæus; Menander Comicus, Aratus Aſtronomus, Metaſthenes hiſtoricus florent.

CAP. VII. Iudæi ab AEgyptijs, & Samaritanis afflicti.

Anno 3742.

MAthathias Siloe princeps Iudæorum eſt annos decem. Ioſeph iunior annos ſexaginta principatu fungitur.

Iudæorum afflictio grauiſſima contigit, qua miſerandum in modum primò à rege AEgypti Ptolomæo philopatore, tum poſt à Samaritanis infanda perpeſſi ſunt.

Summus pontifex eſt Simon iuſtus annos viginti octo: deinde Onias annos vndequadraginta.

59. Achim

ACHIM filius Sadoc, patriarcharum ſerie in genealogia ſtat Meſſiæ.

Res gentium.

PArthorũ regnũ quartũ ex Macedonũ monarchia p̃ Arſacẽ anno 3747. ortũ sũpſit, anno poſt Alexãdri magni interitũ ſeptuageſimo

geſimo ſeptimo;cum interea ſub regumSyriæ auſpiciis militaſſent, & præfectos ordine habuiſſent Nicanorem, Satagenorem, Andragoram; cui ſuccedens Arſaces, gentem eam in priſtinam libertatem vindicauit; quod regnum poſteri produxerunt vſque ad Alexandri Seueri imperatoris Romani ætatem, tum enim à Perſis deletum, & exceptum eſt, nec à Romanis vnquam ſub iugum mitti potuit; quin potius potentia ipſis quandoq; in Oriente par fuit.

Reges Macedoniæ ſunt, Demetrius, Antigonus Doſon, à pollicēdo multa cognominatus,& Philippus. AEgypti Ptolemæus Philadelphus;Ptol.Euergetes.Ptol.Philopator: Ptol. Epiphanes vel illuſtris: Syriæ Antigonus Theos, Seleucus Gallinicus, Seleucus Ceraunius,Antiochus Magnus; Parthorum Mithridates, Pampatius, Pharnaces.

Antiochus Magnus rex Syriæ bellum infert Ptolomæo Philopatori & aliis.Eumenes Bythiniæ rex Aſiam infeſtat.

Achæorum in Græcia cum Aetolis bellum ſociale viget.

Romani Illyrios,Ligures, Gallos bello petunt.

ANNIBAL heroum ſolertiſſimus,& fortiſſimus,Pœnorum ex Africa dux ſummus, ſecundum bellum Punicum quod Carthaginenſibus cum Romanis interceſſit orditur anno ab V.C.quingenteſimo triceſimo ſexto; qui in Hiſpania ad Saguntum oppidum, inde in Italia Romanos adortus, tanta eos pertinacia exercuit, vt paulatim eorum vires fuerint attritæ, exercitus cæſi (maximè ad Cannas)oppida amiſſa,vrbs trepidatione,&lamentis fracta;quamquam nihilo illi ſegniores infeſtiſſimum hoſtem acerrimo ſemper milite repreſſerint. In Hiſpaniam duces Romani contra Annibalem miſerunt.Cn.& P.Scipiones;in Italia P. Cornelium Scipionē. L.AEmylium Paulum, Q. Fabium Maximum Cunctatorem,& M. Claudium Marcellum; qui Syracuſas etiam in Sicilia expugnauit: Cum verò Annibalem annos iam ſedecim Italiæ incubētem,nulla vi pellere poſſent,petens P. Cornelius Scipio Africanus claſſem à ſenatu, in Africam traijcit, Carthaginenſes æquè infeſtat, accerſitum à ſuis Annibalem prælio fundit, fugatq;, & Carthaginenſes ad pacem petendam compellit, à quibus Annibal,mutata fortuna,ad Antiochum relegatus eſt in exilium.

Bello

Bello Macedonico Philippus rex à Romanis victus eſt, ac ciuitates Græciæ libertati reſtitutæ; inde cæſus eſt Antiochus magnus Syriæ rex, & Aſiæ imperium illi à L. Cornelio Scipione Aſiatico ademptum: ſubacti ſunt item AEtoli, & Gallogræci vel Galatæ, quorum hiſtoria ſacra ſub Machabæis meminit. Aſia ergo victa, cum victoria ſimul opes, luxuriamq́; , & pecuniæ cupidinem Romam tranſmiſit. Illuſtres inter Romanos erant P. Scipio Naſica optimus à ſenatu iudicatus, & Cato Cenſorius hoſtis luxuriæ, otij, leuitatis, triplici laude à Romanis, etiam ante Plinij memoriam celebratus, quod eſſet perfectus ſenator, imperator, & orator, vir conſtantia, integritate, & grauitate omnium maxima: ſed de eo mox iterum.

Literæ Latinæ.

Latinitatem politiorem, finita priſci Latini ſæculi ruditate, orſus eſt Liuius poëta, qui primus fabulam dedit Romæ anno ab vrbe condita quingenteſimo tredecimo; quem ſecuti ſunt Ennius, Næuius, Licinius, Plautus, & Cæcilius, quibus acceſſit Cato idem orator, & qui de originibus, & agricultura, multasq́; orationes ſcripſit, quem Cicero ſcriptorum latinorum ferè antiquiſſimum vocat. Liuius primis Ioſephi principis annis floruit; Cato extremis adhuc cenſorem egit. Ab his exiguis, & rudibus initiis oratoria facultas apud Romanos ad ſummam perfectionem, quaſi per temporum gradus, paulatim profecit; nihil eſt enim, ait Cicero de claris oratoribus, ſimul & inuentum & perfectum: Ergo primi latini ſermonis ætas agreſtis hactenus fuit, ſiue à primis aboriginibus, ſiue à Latino rege, & Carmenta initium ſumamus: ſecunda hæc eſt antiqua, cuius docti viri complures, ſermo tamen adhuc horridior fuit: tertia perfecta cum natalibus Ciceronis cœpit, quam ipſe ſimul ad ſummum ſplendorem prouexit; quo de faſtigio poſtea ſe ſenſim demiſit: quarta conſecuta eſt corrupta, & imperfecta, quæ per tot ætates à fontium puritate ita degenerauerat, vt barbarici, quàm latinæ, aut Romanorum linguæ ſimilior eſſet: quinta ætas his poſtremis temporibus centum ab hinc annis priſtino nitori, & elegantiæ iterum ſtudet.

Chryſippus & Diogenes Stoici, Strato Lampſacenus Theo-

phraſti ſucceſſor, & Critolaus Peripathetici; Carneades & Lacydes Academici, adhæc Eratoſthenes, Archimedes Syracuſius, & Hipparchus nobiliſſimi Mathematici, & Panætius Socraticus clarent.

CAP. VIII. De Machabæis ducibus.
Anno 3812.

IAnna vel Iohannes Hirçanus ſtirpis Dauidis principum poſtremus, Iudæis præeſt annos ſedecim.

Summum Pontificatum inuadit Ioſue, vel Ieſua, qui mutato ad paganiſmum nomine, Iaſon dici maluit, à quo Onias pius ipſius frater pulſus eſt; eundem pontificatum affectabat Menelaus, Simonis frater, quorum contentione factum eſt, vt ſe ſe immiſceret in ſacrum hunc ordinem regum Syriæ autoritas, & per Antiochum Epiphanem amoto Iaſone poſt triennium Menelaus, antea Onias dictus, ſufficeretur per annos duodecim; eiq; ſuccederet Alcimus homo à tribu ſacerdotali alienus, à Lyſia promotus; à quo tempore poſtmodum ad Machabæos eſt deuolutus pontificatus.

60 Eliud.

ELIVD filius Achim, ſtirpis Chriſti patriarcha eſt, è Dauidis regia familia, quæ, principatu ad Machabæos traducto, priuata poſthæc & ignobilis vixit.

Afflictio Iudæorum grauiſſima excitata eſt à regibus Syris; inter alios Eleazar octogenarius pius, ſeptem adoleſcentes Machabæi fratres, cum matre, & aliis, crudeliſſimè necati ſunt, quod fidem à patribus acceptam conſtanter ſeruarent: apparet autem hac tempeſtate non parum labefactatam fuiſſe legem Moyſi, & veteris teſtamenti Eccleſiã, auulſo à ſtirpe Dauidis principatu, ſummo ſacerdotio ab inſtituta Dei via moto, templo polluto, à paganis occupato, & per ſimulachrũ Iouis ab Antiocho illatũ, prophanato; adhæc ſchola ethnicæ philoſophiæ Ieroſolymis à Ioſue pontifice inſtituta, lege Dei per Antiochũ vi ſublata, aut certè interdicta, perſecu-

ſecutione immani graſſante, quæ quidē omnia præ ſe ferebant, Dei omnipotentis beneplacitum breui totum migraturum à Iudæis.

Templum ſchiſmaticum aliud extruxit Ananias ſuperioris Oniæ filius, qui pontificatu excluſus, in AEgyptum conceſſit, & apud Heliopolim permiſſu regis Ptolomei Philometoris ſuo pontificatui templum, conuentuſq; condidit.

Machabæi ex Aſmonæa familia è tribu Iuda orti, ſeceſſione ab impio Syrorum dominatu facta, vindicandæ legis zelo magiſtratum vtrumque conſecuti ſunt, principatum nempe, & ſacerdotiū ſummum: quo loco aduerſus Iudæorum cauillationes animaduertendum eſt, ſceptrum nondum à Iuda ablatum fuiſſe, licet de familia regia Dauidis ad Machabæos eſſet translatum, quum Machabæi eiuſdem eſſent tribus Iudæ.

Mathathias ſenex, Machabæorum parens deterret pios ab Antiochi impiis iuſſis; hortatur ad legem Dei conſtanter obſeruandā; præeſt populo menſes aliquot, qui vel vltimo anno Iannæ, vel primo Iudæ continentur.

IVDAS Machabæus Mathathiæ F. heros maximus, dux populi religioſiſſimus, & conſtantiſſimus ab anno mūdano 3828. vaſtante Antiocho Epiphane Iudæam, vrbemq; Ieruſalem, & religionem prophanante, bella Domini gerit annos ſex, hoſtem profligat, rempublicam reſtituit; templum reparat; prophanata repurgat; fide & victoriis multis illuſtris effectus, ad extremum & ipſe occumbit.

Ionathas Iudæ frater, dux belli eſt annos octodecim, anno 3834.

Simeon tertius frater dux eſt annos octo, anno 3852.

Res gentium.

REges ſunt Macedoniæ Perſeus vltimus : AEgypti Ptolomæus Philometor; Ptol. Euergetes Phyſcon: Syriæ Antiochus Epiphanes, Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Demetrius Nicanor, Antiochus Sedetes, Triphon, Antiochus Pius: Parthorum Mithridates Arſaces, Phrahartes.

Romani Iſtriam imperio adiecerunt: Perſeum Macedoniæ regē AEmylius Paulus captum cum tribus filiis, in triumpho ante currum duxit, Macedoniam in prouinciæ formam redegit: victi etiam ſunt Dalmatæ, & Ligures.

Bellum Punicum tertium anno ab V. C. ſexcenteſimo quinto cæptum, quarto poſt finitum eſt, & Carthago deleta; etſi enim Scipio Naſica ſeruandam eam cenſeret, ne metu æmulæ vrbis ablato, luxui ſe Romani, & otio dederent: plus tamen Catonis ſententia valuit, excindendam eſſe; demandatum itaque negotium fuit P. Cornelio Scipioni AEmilyano Africano, ſuperioris qui Annibalem fregerat, nepoti adoptiuo; erat enim AEmilio Paulo Macedonico natus, quo duce vi ferroq; vrbs Carthago expugnata, à ciuibus verò, rebus deſperatis, igne vaſtata, euerſa eſt.

Achaico bello Corynthus Græciæ nobilis vrbs à Q. Metello incendio eſt deleta; Macedonia recepta; & Andriſcus, qui ſe falsò Perſei filium venditabat, captus: adhæc in Luſitania per eundem Scipionem AEmilianum Numantia exciſa eſt.

Pacuuius, Accius, Lucilius poëtæ Latini: C. Lælius, duo Grachi fratres, & alij oratores Romæ florent.

CAP. IX. De ſectis Iudaeorum.

Anno 3860.

IOhannes Hircanus, Simonis Machabæi F. principatum ſimul, & pontificatum in Iuda gerit annis triginta vno: diademate vti, vt reges, voluit, Samaritanos & Idumæos multis præliis compulit circumciſionem, & ceremonias legis ſuſcipere: Samariam vrbem, vnaque templum illius ſolo æquauit.

61 Eleazar.

ELEAZAR filius Eliud Chriſti genealogiam continuat.

Tres ſectæ Iudæorum ortæ ſunt: primi variantes Eſſeni fuère, vel Aſſidæi, qui ſub prioribus Machabæis fuiſſe perhibentur: ij abdicato luxu, delitiis, & coniugio, in commune viuebant, craſſa ſuperſtitione ſanctitati ſtudebant: Meſſiam vt merum hominem, non item Deum expectabant.

Phariſæi

Phariſæi doctiores,pauloq; ſanioris doctrinæ,& potentiores,cõſtitutionibus ſuis,quas legi diuinæ nunc æquabant,nunc anteferebant,maximè verò quod poſteriore ætate ſimplicem plebẽ à Chriſti Domini fide,& veri Meſſiæ agnitione abſterrebant,meritò malè in Euangelio audiunt : fuit vero penes illos ferè deinceps tàm Eccleſiæ,quàm Reipublicæ ſumma poteſtas.

Sadducæi à Iudæo Saddoc,& Baiethos nomen,& originem ducentes,reſurrectionem mortuorum,immortalitatẽ animæ, adeoq; ſpiritus , & angelos eſſe penitus negabant. Iuſtitiæ præmia in hac vita percipienda eſſe aſſerebant:Epicuream quaſi beatitudinem introducebant. Hic iam ethnicæ ſcholæ recens introductæ fructus cernas licet.

Res gentium.

Reges ſunt AEgyptij Ptolomæus Euergetes : Ptol. Lathurus: Syriæ Antiochus Pius , Demetrius Nicanor iterum, Alexander,Antiochus Gryphus:Parthorum Phrahartes,Artabanus.

Romanorum bella geruntur contra Ariſtonicum regem in Aſia : contra Iugurtham in Africa , cui Metellus Numidiam adimit: adhæc aduerſus Allobrogas in Gallia,& contra Thraces in Græcia. Cymbri quoque,Theutones,& Tigurini Italiam inuadentes,multisq; victorijs feroces , tandem à C. Mario ad internecionem cæduntur.

CAP. X. *De Machabæis regibus.*

Anno 3891.

Ariſtobulus ex Machabæorum familia , princeps , & pontifex in Iuda,regem ſe ſalutari præcipit,regnat anno vno.

Alexander Iannes rex Iudæorum eſt annos viginti ſeptem.

Alexandra regina illius vxor regnat annos nouem;filium Hircanum ſummo ſacerdotio præficit : Phariſæis rempublicam adminiſtrandam confert.

Hircanus regnat poſt matrem menſes tres.

Ariſtobulus pulſo fratre Hircano regnat annos quatuor.

62. Mathan.

MATHAN Eleazari filius, Ioſephi iuſti auus, patriarcharum ſerie ſtat in genealogia Chriſti.

Chaldaica Paraphraſis ſacrorum Bibliorum adornatur per Ionathan filium Vziel, diſcipulum Hillel; qui Hillel phariſæus fuit, doctor legis celeberrimus, qui mortis ſuæ annum prædixiſſe fertur; & ſimul cum eius vita, ceſſarunt miracula templi, ſceptrumq; Academiæ Iudaicæ defecit. Fuit vero ipſe pater Simeonis iuſti eius qui natum ſaluatorem in vlnas accepit.

Res gentium.

REges ſunt AEgypti Ptolomæus Alexander: Ptol. Laturus iterum. Ptol. Auletes alio nomine Dionyſius. Syriæ Antiochus Gryphus, Seleucus, & Cyzicenus, alijq; fratres, & patrueles, variè de regno dimicantes, tum Tigranes Armenus: Parthorum Mithridates magnus: Armeniæ Tigranes: Bithiniæ Nicomedes; Syriæ inferioris Arethas: Boſphori Lachares: Numidiæ in Africa Hiarba: Cyrenarum Ptolomæus; Arabiæ Abida.

Romanorum potentia creſcit indies; tametſi nonnullæ in Italia gentes defectionem tentarent: Sylla, deinde Lucullus, tùm verò Pompeius Mithridatem Magnum Parthiæ regem in fugam agunt: interea L. Syllam inter, & C. Marium oritur bellum ciuile, oppreſſoq; iſto. Sylla inauditam tyrannidem in Romanos ciues, ſenatores, equites, cū proſcriptione bonorū, tùm vitæ ereptione exercet.

L. Cecilius Metellus Creticus Cretam inſulam, nunc Candiam triennio ſubijcit.

L. Lucullus in Armenia, Meſopotamia, & ad vrbem Niſibin victoriis maximis potitur; primus ab exercitu imperator ſalutatur, vir ſimul ſapiens, fortiſſimus, doctiſſimus, ſplendidiſſimus.

Cn. Pompeius pyratas interea toto mari conficit, deletq;: Tygranem Armenum vincit; Aſiam totam, & Syriam, vnaq; orientem in Romanorum poteſtatem adducit.

Eloquentia Romana ætas.

TErtiæ, eæq; perfectæ Latini ſermonis ætatis initium, quod diſcendi Latinè prima maturitas Ciceroni dicitur, in annum vrbis incidit ſexcenteſimum quadrageſimum:quo tempore M. Licinius Craſſus magnus orator,quem in libris de oratore Cicero diſſerentem introducit, ſimulq; M. Antonius,& alij,mox etiam Terentius florere cœperunt, qui vnaq; alij deinceps Latinam linguā exornarunt: qua de re plura ille in libro de claris oratoribus.

Philoſophi porrò Græci clarent, Apollonius Rhodius, Cratippus Stoicus,Diodorus,Poſſidonius,Philo,aliiq;.

CAP. XI. Iudæi à Romanis ſubacti.

Anno 3932.

POmpeius vrbem Ieruſalem cæpit anno eo ipſo, quo Conſul fuit Romæ Cicero,antè Cæſaris perpetuam dictaturam,& imperium occupatum,quarto decimo: ex quo tempore Iudæi fuêre ſub Romanorum imperio, à quibus reges exteros, & præſides accepêre.Ita Iudæi à ſingulis Monarchiis deuicti,& ſubiugati fuerunt. Pompeius vrbium munitarum mœnia dirui iuſſit per totam Iudæam:vnde factum eſt, vt multa oppida non niſi vicorum nomine cenſerentur tempore prædicationis Chriſti.

Hircanus, ab Ariſtobulo fratre antea pulſus, per Pompeium in regnum,& pontificatum reſtituitur,per annos viginti duos; facultatemq; à Romanis impetrat,mœnia à Pompeio deiecta reſtaurandi,poſtremò à Parthis in exilium abducitur.

63 Iacob. IACOB filius Mathan,pater Ioſeph ſponſi B.Virginis genealogiam Chriſti ferè perficit.

Res gentium.

REges ſunt AEgypti poſt Ptolomæum Auleten,Cleopatra filia, Parthorū Horodes Arſaces,& Pacorus filius;Lybiç Appiō: Germanorum

manorum Ariouiſtus:Britanniæ Caſſiuelaunus.

M. Craſſus in vrbem Ieruſalem cum exercitu venit, nono poſt expugnationem anno, templumq; quod Pompeius intactum voluerat, diripuit: deinde in Parthos ducens cum exercitu toto trucidatus eſt. Negabat is vllam ſatis pecuniam magnam eſſe ei, qui in republica princeps vellet eſſe, cuius fructibus exercitum alere non poſſet; cum eſſet ipſe Romanorum ditiſſimus: ei occiſo in os extẽtum Parthi infuderunt liquatum aurum, vt vel mortuus ſatiaretur.

M.Cato, ſuperioris Cenſorij pronepos, vir grauis, ſtudio ſemper deditus integritatis, modeſtiæ, decoris, ſeueritatis; mallebat eſſe, quàm videri bonus: non votis muliebribus, ſed vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedere aiebat; rempublicam tutatus eſt quoad potuit, cuius inuaſores ſemper acerrimè & notauit, & repreſſit, poſtremo autem Cæſaris potentiam non ferens, Vticæ in Africa perlecto Platonis Phædone de animi immortalitate, gladium in viſcera immiſit.

Cn. Pompeius Magnus, Romanorum imperium terra, mariq;, longè, lateq; prouexit, annos viginti quatuor natus primum triũphauit, obloquentiq; Syllę reſpõdit, plures eſſe qui orientem, quàm qui occidentem Solem venerarentur: vicit in Hiſpania Sertorium, in Africa, & Mauritania Hiarbam regem; in Sicilia ſeruorum factionem; ac pyratas toto mediterraneo mari ſparſos, quibus naues ademit octingentas: fregit in Pontho Mithridatem regem, in Armenia Tigranem: vicit quoque Albanos, Scythas, Hircanos, Iudæos: ſubiugauit Cappadociam, Ciliciam, Syriam, Arabiam: triumphauit de Paphlagonia, Media, Colchide, Iberia, Meſopotamia, Palæſtina, adeoq; de deuicto Oriente toto. Tantus tamen cum eſſet, magna in prouinciis vbiq; vtebatur modeſtia, continentia, vt à fœminis, & auro regio manus, oculos, animum cohiberet; adhęc fide, temperantia, innocentia, manſuetudine ſumma præſtaret; vt beatiſſimi viderentur apud quos diutiſſimè commoraretur: erant in eo ſumma omnia, quæ in ſummo imperatore ineſſe oportet, ſcientia rei militaris, virtus, autoritas, felicitas, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium

ſilium in prouidendo; huic gloriæ ipſe ſuperſtes, in bello ciuili à Cæſare in Pharſalicis campis Theſſaliæ victus, & in AEgyptum fugatus, non naui regia, ſed communi & exigua ſcapha per Achilam AEgyptium exceptus eſt, qui in mandatis habebat hominem occidere: ſuadente id in AEgyptiorum ſenatu Theodoto ſophiſta Græco præceptore regio. Pompeius itaque ab nemine humaniter ſalutatus, Cornelia cõiuge comitatus cum paucis aliis, antequam in littus deſcenderet à ſociis Achilæ Septimio Romano olim commilitone, & Saluio centurione à tergo confoditur, ac capite abſciſſo, corpus nudum in littus eiectum ſpectaculo omnibus relictum, tandemq; à liberto vtcunque tumulatum eſt, capite Cæſari aduentanti poſtea prolato: quam tamẽ ipſe cædem exhorruit, & vltus eſt.

Eloquentia Romana, & Latini ſermonis perfectio in ſummo faſtigio verſatur; ſummam laudem, & palmam cõſecutus eſt Cicero, excelluerunt vnà, Q. Hortenſius, Iulius Cæſar. M. Marcellus; adhæc Q. Saluſtius, M. Varro, Pompeius Atticus; Catullus, alijq; oratores variis dotibus inſignes; nulla enim ætate vberior oratorum fœtus fuit, ait Orator.

M. Tullius Cicero Romanus quidam Moyſes, optimus philoſophus Socraticus, integerrimus ſenator, perfectiſſimus Orator, & qui abſolutam eloquentiam oratorum omnium vnus expreſſit, in ipſo ſummo reipublicæ Romanæ flore ſingulari gloria claruit, in conſulatu quem geſſit vigilantiſſimus, Catilinam patriæ proditorem fregit; in philoſophia maximum illud præſtitit, vt & Græcorum diſciplinas Latinè primus ederet, & de vita hominum benè inſtituenda, naturæ quàm maximè accommodatè ſcriberet. Hic dum reipublicæ libertatem, contra regni ambitum, tuetur, anno ætatis ſexageſimo quarto ineunte, ante Chriſtum natum quadrageſimo ſecundo, M. Antonij triumviri inſania ſublatus eſt, cum in hæc verba ceruicem præberet: moriar in patria ſæpe à me ſeruata.

CAP. XII. Tranſitio ad nouum Teſtamentum.

SAEpe philoſophi, dum rerum diligentius indagarent cauſas, cum Græci, tum Latini, non niſi in vnius, & æterni Dei cogni-

tionem,venire potuerunt;ac prodiderunt manifeſtè, hanc deorum inanium numeroſitatem , quo totum cœlum fingebatur cõpletũ, ex humano genere eſſe aceruatam; & proinde faſtiditis diis fictitiis, nonnihil propendere ad ſaniorem doctrinam videbantur;hanc autem eorum cogitationem videtur aſpexiſſe qui paulò poſt in mundum venit æterni Dei filius,cum apud Iohannem ad Apoſtolos dicebat: Ecce ego dico vobis,leuate oculos veſtros, & videte regiones,quia albæ ſunt iam ad meſſem:& ſanè iam,ſi non inter quoſuis, profectò inter doctos,& principes viros diuulgatum Romæ erat ex Sibyllinis verſibus, affore eum quẽ & regem, & ſaluatorem ſequerentur; cuius rei Ciceronis verba ſecundo de Diuinatione hæc leguntur.Sibyllæ verſus obſeruamus,quos illa furens fudiſſe dicitur; addit deinde, eum quem re vera Regem habeamus, appellandum quoque eſſe regem,ſi ſalui eſſe velimus (ſed exoſum erat Romanis regis nomen,vt alium quemvis,quàm regem mallent) tum ſequitur: non eſſe autem illud carmen furentis, cùm ipſum poëma declarat,eſt enim magis artis,& diligentiæ,quam incitationis,& motus,tum verò ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur,cum deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur. Hæc ille obſcurè, vtpotè ex tenebris de futura luce. Quinetiam,vt ex Suetonio in Veſpaſiano conſtat,percrebuerat Oriente toto vetus,& conſtans opinio,eſſe in fatis, vt eo tempore ex Iudæa profecti rerum potirentur ; id quod de ſceptro potentiæ Chriſti per apoſtolos prouehendo prædixerat Dauid:Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion,inquiens: nũc verò demum cum tempus illud pro foribus eſſet,gẽtibus erat vulgatiſſima fama diuinitus patefactum,quod licet aliò interpretarentur,tamen illius regis nomine Chriſtus Dominus cùm à Magis orientalibus fuit adoratus, tùm ab Iſraëlitis aliquoties ſalutatus, tum à præſide Romano in crucem actus: ex quibus apparet ante orientem ex alto Solem iuſtitiæ reſplenduiſſe ſubobſcuram quãdam auroræ lucem futuri Solis prænunciã,quæ mortalium excæcatorum mentes perſtringeret,boniq; futuri præmoneret. Atq; hactenus de tenebrarũ ætatibus,quas exceptura conſequitur poſtrema ætas,luminis fidei, de qua beatus Paulus perſpicuè dixit ad Lycaones: Deus in præteritis

titis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, nimirum eas in quibus diuinæ gratiæ illuſtratione deſtitutæ, citra Dei cognitionem palantes errabant:idem verò Deus, ait ad Epheſios, oſtendit in ſæculis ſuperuenientibus abundãtes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu; qua videlicet per noui teſtamenti tempora gentes, non ipſorum meritis vllis, ſed quod prior ipſe dilexiſſet nos, ad fidei lumen, ad iuſtitiam, & gloriã cœleſtem eſſent aggregãdæ. Et primis quidem temporibus,quibus à patriarchis primis ortũ genus humanum ſeſe in vniuerſum mundũ diſtrahebat,plantauerat Deus fidem, ſuiq; agnitionem in cordibus hominum per patrum doctrinam:deinde per cœli, ſiderum, terræ, & omnium rerũ admirabilem diſpoſitionem, ac per aſpectabilẽ machinæ mundi formã,Dei quoque inviſibilis cognitionem mẽtibus mortalium itidem dictabat: verùm cum nec Patriarcharum fidei inſiſterent;nec Deum ex mundi fabrica agnitum, vt Deum glorificaſſent,ſed in vanas argutias delapſi,dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti eſſent, viſum eſt diuinæ ſapientiæ & bonitati cum genere humano agere deinceps via, & ratione ſupernaturali: vt videlicet patefactis adytis cœleſtium theſaurorum per Chriſtum Dei filium,de plenitudine eius omnes acciperent gratiam pro gratia, ac vi miraculorum, gratiæq; efficacia mentes, voluntatesq; humanæ flecterentur atque illuminarentur, quæ alioquin prauitate veteri obriguerant: vnde factum eſt,vt beatis apoſtolis, rudibus licet, nullaq; potentia humana ſtipatis, Dei veri, viuentisq; notitiam promulgantibus aſſentirent gentes vniuerſæ.

Veteris teſtamenti finis.

CHRONICORVM
LIBER VI. A CHRISTO NATO.

De Imperatoribus Romanis.

De quarta Monarchia.
Præfatio.

POſtrema, quæ eſt Romanorum Monarchia, cæteris & imperij amplitudine, & rerum magnitudine, & temporum ſanctitate illuſtrior, per noui teſtamenti ætatē decurrit; ferrea illa quidē; cùm propter bella cruentiſſima, tùm quod in Chriſti fideles inuecti ſunt crudeliſſimè tyranni illi; tùm quod ij ipſi imperatores à ſuis longo tēpore ferè omnes ſint obtruncati, ſed quæ admirandas ſub ſe cœleſtis beneficentiæ opes conſpexerit, Dei æterni filium terram coràm viſitantem, hominis corruptiſſimam naturam reparatam, fidei lucem latè fulgentem, virtutum abſolutiſſimam doctrinam, vitæ integritatem, innocentiam, ſanctitatem abſolutam, pacem à Deo hominibus redditam, animorum tranquillitatem periucundam; quid multa? cœlum ipſum poſthac patens, & ſcelerum pœnas ſolutas, per Dei, Virginiſq; ſobolem; quod Virgilius ex Cumææ ſibyllæ libris depromptum ſuis verſibus in Pollione, Auguſti ætate, cecinit;

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas;
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna;

Iam

Iam noua progenies cœlo demittitur alto: & poſt,
Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita, perpetuò ſoluent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, diuiſq; videbit
Permiſtos Heroas, & ipſe videbitur illis
Chara Deûm ſoboles, magnum Iouis incrementum.

Cum hoc itaque imperio ſimul regnum Chriſti ſpirituale, quod eſt eccleſia, cæpit, ad quod ſe ſe gentes gregatim omnes adiunxerunt; vt furerent licet ſæuiſſimi principes, tamen incredibili mentis ardore ſuccenſæ illæ, mutuis ſe cohortationibus ad regnum illud cõſectandum impellerent; eſſetq; vna omnium hæc ex prophetis repetita vox; Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Atque hæc dignitas Romani imperij non minor illa Iſraëlitici regni fuit; imperare populo Dei, nationibus Dei cognitione illuſtratis, talibus qui pro imperatorum incolumitate Deum verum verè exorarent. Habuit autem hæc Monarchia diuerſum longè ab aliis initium: vt enim illæ regnare in alios longinquius cæpêre, ita hæc cum iam longè, lateq; imperitaret, ſuammet euertit libertatem, vt regnaret; hactenus enim quæ Romæ reſpublica fuerat, libera ipſa, & quæ omnibus iura dabat; deuolutâ rerum ſumma ad imperatorem vnum, libertatem pariter vt exteræ amiſit, iugumq; regium ſubiit. Nulla autem eâ nec maior fuerat vnquam, nec præter Iſraëliticam ſanctior, nec bonis exemplis ditior, nec in quam tam ſeræ auaritia, luxuriaq; immigrauiſſent; verùm labente diſciplina, paulatim ad hæc tempora ventum in ea erat; quibus nec vitia ſua, nec remedia pati poterat, cuius de corruptelis in frequenti ſenatu Catonis verba hæc erant: Alia, aiebat, fuêre quæ maiores noſtros magnos fecêre; quæ nobis nulla ſunt; domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in cõſulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius, pro his nos habemus luxuriam, atque auaritiam, publicè egeſtatem, priuatim opulentiam; inter bonos, & malos nullum diſcrimen eſt, omnia virtutis præmia

ambitio poſſidet, vt eſt apud Saluſtium; quæ Cicero pro lege Manilia,& aliâs diſertè eadem taxabat: ita ex nimia reipublicæ felicitate,& rerum omnium affluentia, demittentibus ſe quibusq; in luxum,& vitia,corrumpi ſtatus vrbis,& quaſi ad paucorum priuatorum potentiam ſuccreſcentem collabi,deuoluiq; cæpit,cōtendentibus occultè inter ſe de vrbis, orbisq; principatu M. Craſſo, Iulio Cæſare, & Cn. Pompeio; cernebat id M.Marcellus,alijq; Romanorum nobiliſſimi, optimiq;: Cato palàm & ciuium luxuriam,& ſimul Cæſaris vafrum ingenium perſtringens dicebat, vnum ex omnibus Cæſarem, ad euertendam rempublicam ſobrium acceſſiſſe; in quam quoque ſententiam Sylla olim de adoleſcente Cæſare optimates monuerat; cauerent malè præcinctum puerum: nec de Pompeio quidem Cato minus metuebat, creſcentem eius potentiam reipublicæ minimè profuturam monens, vt inter apophthegmata Plutarchus recitat; obluctabatur tantæ mutationi cùm conſiliorum, tùm eloquentiæ viribus maximè omnium Cicero;ſed fruſtra,extincto enim Craſſo,cum non ſuperiorem Cæſar, non parem Pompeius ferret,tanquam duos tantum imperium nō caperet,bello ciuili orbis terrarum viribus cōmiſſis,imperio Pompeius eſt exutus, quanquam non indignus, quem imperij Romani imperatorem primum ſors,virtusq; ferret, quippè Cæſare in vrbe & potiorem,& priorem,imperiiq; latè propagatorem maximum, ac ſi viciſſet,eodem conſilio rempublicam, vt ſolus imperaret,ſubacturum.

CAP. I. C. IVLIVS CAESAR,*Primus Romanorum Imperator.*

Anno mundano 3947.vrbis Romæ.704.

IVLIVS CAESAR,Lucij Cæſaris viri prætorij F. à magno Iulo Aſcanio genus ducens,rerum altiſſimarum gerendarum animo incenſus, cum inter Romanorum principum clariſſimos ſumma animi,& conſiliorum magnitudine,militari diſciplina, agendi celeritate, & eloquentia emineret, rempublicam quæ hactenus in ſumma potentia, & libertate ſteterat inuaſit, dictatorem ſe perpetuum fecit, imperauitq; ſolus in annum quintum. Gallias ſubegit

antea

antea nouem annis; Heluetios vicit; Germanos primus aggreſſus eſt, triumphauit quinquies, de Gallia, Alexandria, Ponto, Africa & Hiſpania: collatis ſignis quinquagies dimicauit, cæſaq; ſunt bellis ductu ipſius vndecies centum & duo millia hominum, præter ciuiles victorias: Pompeium imperij æmulum, bello ciuili maximo, cum ingenti exercitu Pharſalica pugna vicit, cuius victoriæ trophæum ſibi orbis terrarum imperium cum nominis ſui inſigniis ſtatuit: nam eius imperij principes Cæſares ab ipſo hodieq; nuncupantur: animi vigore vnus omnium maximè præſtabat, virtutem, conſtantiamq; præ ſe ferens, & ſublimitatem omnium quæ cœlo clauduntur capacem: liberalitate fuit maxima, animo in hoſtem audente, cauto, inuicto, laboris ſupra fidem patiens, ſæpe agmini anteibat pedes, capite per imbrem, aut ſolem detecto: Rerum gubernacula ſolus conſecutus, ſumma clementia, & humanitate in victos, & aduerſarios vſus eſt, multa in vrbe legibus reſtituit, anniq; rationem eam qua nunc vtimur, Soſigenis philoſophi, quem ex AEgypto ſecum adduxerat, opera adornauit. Multis autem contra vnius principatum reclamantibus, Decij Bruti, & Caſſij factione in ſenatu viginti tribus vulneribus confoſſus eſt; quem tamen S.P.Q. Romanus multo honore publicè luxit.

Diodorus Siculus, Cornelius Nepos, & Dioſcorides inſignes ſcriptores florent.

De Iudæis.

SCeptrum à Iuda tranſlatum eſt, quod à beato Iacob patriarcha prędictũ erat, occaſione belli ciuilis Romanorũ, nam Pompeio victo, Hircanus rex Iudææ, qui ipſius partes iuuerat, à Iulio Cæſare principatu priuatus eſt, relicto ei duntaxat ſummo põtificatu, & ſuffectus Antipater princeps Philiſtæus ex oppido Aſcalone, quem Cæſar, quod ipſum ſecutus eſſet, Iudææ tutorem dedit: is itaq; cum Hircano vrbis Ieroſolymę per Pompeium deſtructa mœnia refecit.

Synagoga etſi raros, tamẽ præclaros ꝓducebat, & celebres viros, ſimul ac mulieres, & hoc quidẽ tempore Zachariã, & Elizabetham cõiuges, qui cũ inculpatæ vitæ laude, tũ accurata legis perfectione cõmendantur: adhæc Annam Phanuelis filiã, quæ templũ Dei diu, noctuq;

noctuq; frequentabat, Deo gratum vitæ obſequium præſtabat ieiuniis, obſecrationibus, & poſt vita functum primis coniugij annis maritum, perpetua caſtitate; iam tum vidua. Quibus non minor, nec in amicitia Dei poſterior erat Simeon iuſtus, qui cum pietate gratiſſimam Deo vitam duceret, diuinis reuelationibus maximis eſt imbutus; Meſſiæ videlicet aduentum tam propè adeſſe, vt vita ipſe non excederet, antequam oculis eum præſentem conſpexiſſet: ita veteris teſtamenti collabeſcente ſtatu, noui exordia paulatim ſe aperiebant. Lucæ 1. & 2.

CAP. II. OCTAVIANVS AVGVSTVS *Imperator.*

Anno mundano 3952.

OCTAVIANVS Auguſtus, à Iulio Cæſare adoptatus, natus anno vrbis ſexcenteſimo nonageſimo primo, menſe ſeptēbri, adoleſcens iam viginti annorum cōſulatū menſe Auguſto adeptus, M. Antonio multas cædes molienti ſe oppoſuit, eumq; ad Mutinam ad pacem petendam coëgit; facta verò inter M. AEmilium Lepidum, & M. Antonium de principatu conſpiratione, Octauianus cum ipſis Triumviratum iniit, biennio à Cæſaris morte; coacto deinde AEmilio ad abdicandum ſe, & Antonio cum Cleopatra AEgypti regina ad Actium victo, anno poſt Cæſaris necem duodecimo, ſolus imperium obtinuit, moleſtè id licet ſenatu ferente, qui oppreſſorem eum libertatis appellabat. Fuit verò princeps virtutum animi, rerum geſtarum, & maieſtatis ſingularis ſplēdore maximus: id vnus omnium ſingulare conſecutus, vt orbem qua terrarum cunque patet, pacatum redderet, quanquam non ſine graui labore, quod per ſe ipſe partim, partim per præfectos, prouincias vacillantes, & imperium detrectantes, aut recuperaret, aut ſtabiliret. Subegit porrò Cantabros in Hiſpania, Aquitanos in Galliis, ex Germanis Rhetos, Vindelicos: adhæc Dalmatas, Pannonios: in Africa Getulos; in Aſia, Armeniaq; alios: Parthos ad pacem cōpulit; Perſas ad obſides dandos: compulitq; nominis fama percrebreſcente

breſcente extremos quaquaverſum AEthiopes, Garamantas, Scythas, Indos, vt amicitiam per legatos cum donis apud ipſum quærerent; pace itaque inaudita per orbem confirmata, Iani templum clauſit, vrbem optimis legibus virtuti reparauit, amputatis voluptatum, luxusq; irritamentis; ac licet initio ſummam in ſe ſe inuidiam concitaſſet, tamen diuturnitate temporis per prudentiæ, & iuſtitiæ moderationem, æquitatemq; tantum potuit, & effecit, vt imperium ſibi confirmaretur, pater patriæ, Auguſtusq; à ſenatu diceretur; populus cum vellet, optaretq; immortalem; ac crederent pulcherrimis ab ipſo legibus ſancitis, vrbem, imperiumq; conſeruatum iri poſſe perpetuò. Obiit Auguſto menſe: imperauit annos LVII. menſes. VI. numerando à nece Iulij Cæſaris, atq; vt iſte menſem Quintilem à ſe Iulium dixerat, ita Octauius Sextilem à ſe denominauit Auguſtum, aſſignatis ei pariter triginta & vno diebus.

Claudius Druſus Germanicus, imperio adiunxit Sueciam, Gelriam, ſeu Batauiam; Veſtfaliam, Saxoniam, & Miſniam Germaniæ regiones; Monguntiæ, quo ex Rhetis & Bauaria venerat, interiit: eò deinde Quintilius Varus eſt miſſus, cuius inſolentiam non ferentes Germani, duce Arminio vel rectius Hermanno, eum, & vnâ Romanorum legiones trucidauerunt: poſt quem Druſi frater Tiberius cum exercitu nouo eò venit.

AEra, veteribus, maximè Hiſpanis, annos numerandi caput, inchoatur anno quarto Auguſti, ante Chriſtum natum anno 38. quã dictam putant, quaſi Annus ERat Auguſti: A. ER. A. ſed rectius ab ingenti ære in Hiſpania collecto, quo triumphus imperatoris partim ſumptus fecit, partim vrbis palatium incendio vaſtatum, eſt reſtitutum, longè antequam cenſeretur orbis vniuerſus.

Viri docti.

PVb. Virgilius Maro poëtarum inter Latinos princeps, vixit ad annum Auguſti viceſimum quintum. Q. Horatius Flaccus poëta Lyricus ſummus, obiit anno Auguſti trigeſimo quarto. P. Ouidius Naſo poëta facundiſſimus, & Titus Liuius Romanæ hiſtoriæ princeps ſex annis Auguſto ſuperſtites floruêre, Chriſto Domino iam in terris agente. Itemq; Dionyſius Halicarnaſſeus, Tro-

gus Pompeius, Strabo, Valerius Maximus, Feneſtella, & vnà alij florent.

De Iudæis, & Herode.

VLtimi principes Iudæi ex gēte Aſmonæorum vel Machabæorum fuêre duo filij Alexandri, & Alexandræ regū, Hircanus & Ariſtobulus, è quibus de regno Iudæorum contendentibus Pompeius Hircanum confirmauerat, cui poſtea Cæſar Antipatrū exterū collegā dedit: Antipater itaq; hac occaſione in regnū accitus Herodem filiū Galilææ præfecit, & vrbi Ieruſalē alterum filiū Phaſelum: interea verò Ariſtobulus veneno ſublatus eſt à Pompeianis, & eius filius Alexander ſecuri percuſſus à Scipione: alter verò filius Antigonus ad Parthos profugit, à quibus impreſſione facta, vrbs Ieruſalem capta eſt, & Antigonus reſtitutus regno: Hircanus autē patruus cū Phaſelo extero in captiuitatē abductus: à quo tempore Antigonus regnauit in Iudæa annos tres, quod indignè ferēs Herodes magnus Phaſelis frater alienigena, qui Galilæam gubernabat, Romam proficiſcitur, vbi maiorē poteſtatem cōſecutus, & ab Auguſto, atq; Romanis rex Iudeæ totius deſignatus; rediēs cum Caio Soſio procōſule Romano in Iudæam, expugnat & ipſe vrbem Ieruſalem, cum prouinciæ cæteris oppidis: quo bello extincto Antigono, qui vnus Iudaicorum principum ſupererat, regnum in Herodis exteri poteſtatem venit; & ſceptrum à Iuda penitus ablatum eſt, quod futurū præſignauerat Iacob patriarcha, cum pro foribus eſſet Meſſias; itaq; deinceps Iudæorum non ſolum reipublicæ, ſed etiam ſacerdotij, legis, & religionis ſtatus penitus attritus eſt, & labefactatus: Herodes verò regnū iniuit anno Auguſti tredecimo, cui præfuit annos triginta ſeptem: quo ſtabilito Iudæos variè afflixit, pontifices ſummos ad libitum amouit, inſtituitq; alienigenas æquè ac Iudæos natos, legis ceremonias, & ſacra diſturbauit, templum Domini prophanauit, Romanorum inſignia pro valuis appendendo; templum verò extra circumquaq; ornauit, per poliuit, ampliauitq;, maximè in ortum, qua Gentilium atrium ampliſſimum adiunxit. Fuit ortu Idumæus patre Antipatro Aſcalonite, matre Idumæa natus, filios habuit plures, Ariſtobulum, Alexandrum quos crudeliter necauit,

deinde

deinde Archelaũ, Herodem iuniorẽ, Antipam cognomẽto, & Philippũ, à quibus Romæ tyrannidis accuſatus, cũ & infantes bimulos Bethlehemitas imaniter trucidaſſet, à vermibus corroſus periit. Archelaus patri in regno ſucceſſit; cuius meminit S. Mattheus. c. 2. Herodes Antipas tetrarcha Galilææ fuit, qui poſtea beatum Ioannem Baptiſtam ſecuri percuſſit, Chriſtumq; Dominum ludibrio habuit. Mar. 6. Luc. 23. Philippus, cui nupſerat Herodias, tetrarcha Ituraeæ Trachonitidis fuit. Ariſtobulus, cum à patre occideretur, liberos reliquit Herodiadem, & Herodem regem Calchidis, & Herodem Agrippam regem Iudææ, qui poſt aſcenſionem Chriſti ſanctum Iacobum apoſtolum capite truncauit, & S. Petrũ in vincula coniecit. Actor. 12. qui idem ab Angelo cœſus, ac vermibus viuus datus, filium reliquit Agrippam ſecundum, cum filia Beronice, apud quam cauſam dixit S. Paulus, Actor. 25. & 26.

Iudæorum religio in ſectas varias lacerata erat, ac præter Phariſæos, Sadducæos, & Eſſenos, vigebat ſecta Hemerobaptiſtarum, qui in ſingulos dies lauabant; tum Herodianorum, qui regem Herodẽ exiſtimabant eſſe Meſſiam, & Galilæorũ, Iuda Galilæo duce, qui nec Cæſarẽ, neq; Herodem principem ferendo, neminem hominum Dominũ dicendũ putabant: Masbotheorũ item, & Samaritanorũ.

De MARIA *Deigenitrice.*

64
S. Ioſeph
&
B. Maria.

MARIA beatiſſima virgo, Dei altiſſimi ſpõſa, & parens, humani generis ornamẽtum, orbis miraculum ſingulare, parentes habuit Ioachim, & Annam, quibus prouecta iam ætate ſterilibus angelus è cœlo (vt docet Epiphanius) ſignificauit, filium hanc ſacratiſſimam naſciturã: trima illa à parentibus in templum Deo præſentata, in ſanctitate illic, & virtutum præclaris incrementis vixit, ad annũ quartũdecimũ, quo iuncta eſt ſponſo ſancto Ioſeph, à quo in tutelã ſuſcepta, virginitate in perpetuum Deo conſecrata, menſe nuptiarum quarto nunciante archangelo Gabriele filiũ Dei redẽptorẽ hominũ de ſpiritu ſancto concepit, quẽ anno quintodecimo ætatis peperit virgo incorrũpta ꝑmanens: hęc enim ea eſt, quę inter

deprauatum hominum genus Dei æterni in ſe vna oculos conuertit, quæ ab ipſo è fœmineo choro mater electa, Deum, hominemq; mundi ſaluatorem virgineo de corpore progenuit, & quæ eundem quem genuit, prima per fidem Deum, hominemq; adorauit, poſtmodum fouit, educauit, tandemq; in cœlorum ſublimitatem etiã corpore ſubſecuta eſt; admirabilis plane Virgo, quæ ne in partu quidem, vtpote tam diuino, ſupraq; naturam, nec etiam ante, poſtuè vllam caſtimoniæ experta eſt corruptionem, cuius animæ innocentiam, puritatem, pulchritudinemq; nulla vnquàm nec labes notauit, nec coarguit culpa; quod eam Deus ipſe ſponſam ſibi, matremq; finxiſſet ſuæ Maieſtati perplacentem, dignam, atq; adeo vnam omnium mortalium puritate ornatiſſimam, ſanctitate abſolutiſſimam, dignitate lectiſſimam, & quæ ipſa ſe paradyſum Dei, ac hortum beatarum virtutum elegantiſſimum perficiebat, mentemq; ex perenni rerum diuinarum contemplatione numine prægnãtem circumgeſtabat; vt propterea eam oraculis, & figuris ſæpe, multumq; prophetæ delineauerint, & adumbrauerint. *Epiphan. contra Colyridianos, vide verò Caniſium libris de Maria Virgine.*

Ioachim, alio nomine Heli, & Eliachim, & Iehoiakim è tribu Iuda, ex oppido Nazareth Galilçæ, filius fuit Mahat, & Chriſti Domini auus ſecundum humanitatem, cuius genealogiam S. Lucas cap. 3. à Dauide rege per alterã Zorobabelis lineã deductã recẽſet.

Anna Bethlehemites mater beatæ virginis, vxor Ioachim, è tribu Iuda prognata eſt; quam nonnulli falsò exiſtimant ex tribu Leuitica originem duxiſſe; ea ſororem habuit vel Sobam Elizabethæ matrem, vel Elizabetham ipſam, quæ traducta in tribum Leui Zachariæ ſacerdoti nupſit, vnde Iohannes Baptiſta natus eſt: Filias Anna habuit, Mariam deigenitricem, & eius ſororem Mariam Cleophæ de qua Ioannis cap. 19. quæ erat vxor Alphæi, quorum filij erãt Iacobus iuſtus, cognomento frater Domini Gal. 1. adhæc Simeon, Iudas, Ioſes, & filiæ Maria, & Salome, iuniores, quas alij vocant Eſther, & Thamar: hos atque alios ſacra hiſtoria de more Hebræorum vocat fratres, ſororesq; Domini, cũ eius conſobrini eſſent; id quod etiam Romanis in vſu fuiſſe Cicero demonſtrat, qui Lucium Cice-

ronem

ronem fratrem vocat, alioquin cognatione patruelem, initio quinti de finibus. Fratres verò Domini, demptis apoſtolis, nequaquam eum initio Filium Dei eſſe crediderunt, vt notat Ioan. 7.

Ioſeph vir iuſtus, caſtimonia, integritate, & ſanctitate illuſtris, filius eſt genuinus Iacob, legalis Heli (nam gener ſacræ hiſtoriæ item filius eſt) ſponſus beatiſſimæ, & perpetuæ virginis, nutritius ſummi filij Dei, conditoris ſui: vxorem aliam liberóſve nullos habuit, manſitq; in virginitate perpetuò. Victum ſibi, ac diuinæ familiæ fabrili opera comparauit: migrauit è vita ante trigeſimum Chriſti annum. Fuit ei ſoror Salome quæ nupſerat Zaddi vel Zebedæo, quorum filij fuêre Iacobus maior, & Iohannes Euangeliſta: nam Alphæus frater Ioſeph fuerit, nec nè, non perinde conſtat. *Hæc ferè ex S. Hieronymo, libro aduerſus Heluidium, & commentar. Matth. 12. Euſebio Epiphanio lib. Ancorato, & contra hæreſim 78. Cano, Ianſenio, Caniſio lib. 1. cap. 4. & 2. cap. 13. Marco Fuggero in annotationibus in Nicephorum lib. 2. cap. 3 & alijs.*

D. N. IESVS CHRISTVS NATVS.

Anno mundano. 3992.

IESVS CHRISTVS, verus, & æternus Dei altiſſimi filius, die viceſimo quinto Martij in Mariæ ſacratiſſimæ virginis caſtiſſimo vtero è Spiritu ſancto conceptus; die pari Decembris Deus & Homo naſcitur, in oppido regio Bethlehem, in ſpecu ſubterranea; vbi in præſepe à virgine matre poſitus, ab Angelorũ choro per æthera lætiſſimo iubilo ſaluator humano generi denunciatur aduenîſſe. Atque hæc illa eſt plenitudo temporum, quando dirarum malis finitis, ea quæ tam diu patriarchis fuerat in optatis, apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri; hæc ea mundi lux eſt, quæ oriens ex alto viſitauit nos, vt credentes, Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, ſuſpiceremus, & vt populus qui ambulabat in tenebris, habitabatq; in regione vmbræ mortis, videret lucem magnam, & per fidem in vnigenitum Dei filium, aditum ad vitam haberet æternam. Datus igitur à Deo hominibus ſaluator eſt, non homo quiſpiam, aut angelus, ſed Dei filius è ſinu Patris ſummi demiſſus, qui imagi-

nem Dei in homine vitiatam renouauit, ſapientiam diuinam enarrauit, innocentiam, & iuſtitiam deperditam reparauit, hominem à tartarea ſeruitute, & ſempiterno interitu vindicauit, beatæq; immortalitati aſſeruit, quam humanæ ſalutis reſtaurationem cum vni ei omnem acceptam referamus, recte eum ſaluatorem noſtrum, & Dominum profitemur.

Naſcitur autem mundi Dominus anno à condito mundo ter millesimo nongenteſimo nonageſimo ſecundo. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ extremo anno; ab vrbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Auguſti imperatoris quadrageſimo ſecundo, Herodis anno trigeſimo inchoato. Conſtituitur autē totius ſupputationis temporū caput, quo vetus, & nouum teſtamentū certo cōnectitur, in eo anno quo paſſus eſt Chriſtus, quē quia Phlegon accuratus chronographus, referēte Euſebio in chronicis, propter obtenebratū ſolem aſcripſit olympiadis ducēteſimæ ſecundæ anno quarto, facilè inde natalis Domini deduci poteſt, variant verò autores in ætate Chriſti ſtatuenda, qua in crucē eſt actus, cum nonnulli trigeſimo tertio, alij verò trigeſimo quarto anno id factū tribuunt; illi itaq; natū ſaluatorem aſſerunt olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartę, anno quarto; hi verò anno tertio, dum ob redundantē quem ponunt annū, vno in faſtis principum anno tempus anticipant. Porrò, etſi, omiſſis aliorū opinionibus, qui hac in re mirè variant, non improbanda ſententia ſit eorum qui trigeſimo quarto anno Chriſtum redemptionis munus perfeciſſe tradūt, tamen quando de fide indubitata hæc non ſint, nō deſunt viri graues, quibus magis probatur annus Chriſti trigeſimus tertius; quem etiam in chronicis Euſebius ponit, tùm quod communis Chriſtianorum conſenſus in eo acquieſcat, tùm quòd ternarium numerū myſteriis ſolennem referant, quo item Chriſti ætas qua in humanis, & mortali vita egit, ad amuſſim compræhenditur, dum viceſimo quinto die Martij in vtero conceptus, eodemq; poſtea die mortuus aſſeritur, ſi videlicet nouem vterini menſes, tribus menſibus addantur anni trigeſimi tertij, tùm denique, quòd ſtare aliter non poſſit ſententia patrū & doctorū, qua tradūt S. Petrum à Chriſti reſur-

ſti reſurrectione quinq; annos in Iudæa, ſeptē quoq; ferè in Antiochia docuiſſe, antequā in occidentē proficiſceretur; qui eius, & Apoſtolorum omnium ex vrbe Ieruſalem diſceſſus anno Chriſti Domini quadrageſimo quarto, Claudij imperatoris verò ſecundo, communi omnium calculo adſcribitur.

Specum fuiſſe, non tugurium è trabibus contignatum, vbi dominus natus eſt, teſtis locupletiſſimus eſt D. Hieronymus, qui magnam ætatis partem Bethlehemi egit, ipſumq́; nunc ſpecum, nunc terræ foramen, nunc ſpeluncam vocat, aitq; inter oſtia quondam præſepis Domini nunc altare eſſe; quod hodieq; ita perſiſtere, magna animi lætitia ipſi vidimus: quinetiam Caſſianus, atq; adeo ſanctus Baſilius, qui eò religionis ergò peregrinatus erat, ſpeluncam vocat; quarum illic, ob lignorum penuriam, frequens eſt ad armenta ſtabulanda vſus. Cæterum, vt temporū metas, ita locū, terrā ſanctam ab initio haud dubiè ſacro redemptionis humanæ myſterio deſignauit diuina prouidentia: quam proinde prothoplaſtes primum incoluit, poſt diluuium Melchiſedech occupauit, Abraham ex promiſſione accepit, tandemq; gens Iſraëlitica cultum veri Dei edocta ad Chriſtianæ eccleſiæ primordia vſq; poſſedit. *Hieron. epiſt. ad Marcellum, & epitaphio Paulæ, Sabiniam diacon. Baſilius. homil. de generatione Chriſti. Caſſian. lib. 4. cap.* 31. *& collatione* 17. *cap.* 5.

MAGI, quos ferè reges habebat oriens, ait Tertullianus, gentiū primitiæ, tertiodecimo à partu die, adueniunt adoratum Chriſtum puerum cum donis, ſtella inuſitata duce. *Tertull. aduerſ. Iudæos. Melchior Canus Theolog. lib.* 11. *cap.* 4. *Genebrard. in chron.*

In AEgyptum ſaluator fuga defertur, angelo monitore, quod Herodes infantes bimos Bethlehemi omnes ad necem conquireret. Memphis ei aſylum fuit, hodie Cayrus, vbi adhuc balſami nobilis hortus cum fonte viſitur; octàuo anno iuſſu Angeli in Galileā relatus, in oppido Nazareth ad trigeſimum annum priuatus vixit, vnde Nazaræus eſt cognomento dictus. Matth. 2.

Archelaus in Iudæa, mortuo Herode patre regnat: poſtea cò Viennam Galliæ relegato, Iudæa ad prouinciam Syriæ ab Au-

guſto adiuncta, per Coponium adminiſtratur biennio, per Ambiuium vno anno; per Annium Rufum biennio ad Tiberium vſque.

Idololatriæ inclinatio.

VT apud Synagogam lex, ita multò magis gentilium abominandus cultus ruere, ac interire cœpit, indiciis planè euidentibus; nam ſciſcitanti Auguſto extremis ferè imperij annis à Pythio Apolline, quiſnam in imperio illi eſſet ſucceſſurus, vix tandem dæmon reſpondit his verſibus.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemq; redire ſub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

Ita Chriſti aduentum non ferens dæmon obmutuit, miratusq; vim ignoti numinis Auguſtus Romæ in Capitolio aram excitauit cum hac inſcriptione Primogenito Deo. *Niceph. lib.1.cap.17. Suidas in Auguſto, vbi verſus Græci habentur.*

Tiberij principatu, anno ferè vigeſimo Chriſti, Romæ inaudito ſaxorum imbre templa deorum dilapidata, & aræ ſubuerſæ ſunt; quod etſi gentiles aliò interpretati ſunt, tamen idem fuit quod dicitur, Pluit Dominus grandinem ſuper terram, videlicet in ruinam & euerſionem idololatriæ. *Exod.9. Sueton. in Caligula cap.5.*

Illuſtrius etiam illud, fato eodem magnis diis infelici, apud Echinadas inſulas nocte è mari audita vox eſt, iubentis nauclerum denunciare ad Paludem, Magnus Pan mortuus eſt; quæ inclamante illo, cum ad locum aduectus eſſet, horribilis multorum ex abyſſo eiulatus erupit, ſcilicet ruinam regni ſui indignè ferentium; rem fuſius narrat, ex Plutarcho de ceſſione oraculorum, Euſebius: res ipſa à Tiberio examinata eſt; ſed latebat illos veritas; quod filio Dei tartarum eo tempore debellãte, ſathanas qui tum in ſummo flore ſe eſſe exiſtimabat, proſtratus eſt, & confectus, regno ipſius deſtructo; quod idem filius Dei palàm ad apoſtolos dicebat: Videbam ſathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, vt etiam per Iſaiam prædictum erat: Ecce dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & mouebuntur ſimulachra AEgypti à facie eius, quod eueniſſe, pergente illac Chriſto puero cum ſancta matre, Nicephorus prodidit. *Lib.10. hiſt.31*

hiſt.31. Iſai.19. Luc.10. Euſeb.præparat. Euang.lib.5. cap.9. Hartungus in decurijs.

Huius generis plura apud autores animaduertere licet, nam certum eſt, oracula ſtupente, & horrente dæmone, tàm in Græcia, quàm in Aſia atque alibi plæraq; obmutuiſſe, ſimulq; ſenſim, poſt Chriſti glorioſum ttiumphum, Idolomaniam de deorum multitudine extirpatam eſſe; Dei vnius notitia introducta, quod propheta prædixerat his verbis; In illa die erit dominus vnus, & erit nomen eius vnum. Zach.14.

CAP. III. TIBERIVS *Imperator.* *Anno Chriſtiano 16.*

CLAVDIVS Tiberius Nero priuignus, & hæres Octauii Augusti XIX. menſis Auguſti vita functi, à ſenatu vt imperij gubernacula ſuſciperet etiam rogatus eſt, adeò iam Romani in libertatis deſuetudinem venerant. Tiberius adhuc priuatus induſtrius in armis, ac fortunatus fuit, triumphauit de Illyricis victis, in Germania res imperij pacauit, diſciplinam militarem acerrime exegit, mandata pridie omnia pręſcribebat, de dubiis interrogari ipſe quacunque vel noctis hora volebat, vitiis fuit maximis ſubiectus, rapinis, libidinibus, potationibus, odiis, ſæuitiæ, crudelitati, abiectaque demum reipublicæ cura, prouincias diripi permiſit, & occupari, Armeniam à Parthis, Mœſiam à Dacis, Pannoniam à Sarmatis, Galliam à Germanis: imperauit annos XXII. menſes. VII.

Germanicus Druſi F. in quem principis laudatiſſimi dotes omnes conſederant, in Germania bella geſſit ingentia, cum Hermanno rege, quem ſæpe deuicit, imperium à militibus delatum ſuſcipere noluit, perſuadens Tiberio adhærerent, proficiſcens in Aſiam veneno per Piſonem extinctus eſt.

Iudææ Valerius Gracchus à Tiberio præſes præficitur per annos vndecim: Deinde Pontius Pilatus Lugdunenſis Gallus ciuis Romanus annos decem, qui ſexto Chriſtum Dominum ad crucem damnauit.

D. Iohannes. Præcurſor.

IOHANNES Baptiſta, Zachariæ, & Elizabethæ filius, per Angelum annunciatus, ſexto ante Chriſtum menſe eſt editus, ab ineunte ætate in eremum ſeceſſit, ac primus eremita monaſticam vitam profeſſus, vitam illic puriſſimam, & auſteram egit ad triceſimum ætatis annum, quo tempore præcurſor Domini & Vox clamantis à Deo emiſſus, ſummo Dei filio viam in hominum cordibus parauit; clauſula ipſe legis, & prophetarum; ac limes quidam legis vtriuſque, ait Tertullianus: Chriſtum, non quidem vt alij futurum, ſed digito præſentem commonſtrauit, ac baptizauit: diu ab Herode Antipa carcere detentus, annos natus triginta & vnum capite cæſus eſt, nulli non ſanctorum choro ſocius, nam Chriſtum vt propheta prædixit, vt apoſtolus prædicauit, vt confeſſor profeſſus eſt, vt martyr etiam ſanguine pro veritate fuſo teſtatus eſt, virgoq; caſtus vixit, atque omnino tantus fuit, vt poſt homines natos, nullus hominum ſanctior, & maior fuerit, teſte ipſo Domino. *Matth. 11. Marc. 1, 6. Luc. 3. Tertull. lib. de oratione & aduerſ. Gnoſticos, Caniſius libro toto de S. Ioanne.*

Doctrinæ Chriſti, & redemptionis humanæ harmonia, in quatuor Euangeliſtas.

Anno Chriſti. 30.

CHriſtus D. N. traductis Nazarethi in vita priuata, tanquam virtutum diuinarum ſeminario triginta ferè annis, ineunte trigeſimo, qui Tiberij Imperatoris quintusdecimus erat, ad Iohannem Baptiſtam præcurſorem venit ex Nazareth oppido Galilęæ ad Iordanem, Marc. 1. verſu. 9. Ioan. 1. verſu 29. Matthæ. 3. verſ. 13. Luc. 3. verſu 21. vbi dum baptiſatur, ſe è patente cœlo in eum demittit Spiritus ſanctus, & oraculum Dei Patris dilectum vnicè filium Dei ipſum declarat, inde quadragenario ieiunio continuo, & Sathanæ tentamine ſuperato, exceptus angelorum famulantium officio, diſcipulos aliquot aſſumit prima vocatione, quæ, quod experiundi ſui gratia facta eſſet, firma non fuit: ac pergens in Galilæam ad ſeſe manifeſtandum, tertio die poſt iter in Galilæam ſuſceptum, inuitatus

tus ad nuptias, primum edit miraculum, non intercedente anno toto, ex quo baptiſmum ſuſceperat, ſed eodem primo anno ſuæ manifeſtationis;neque enim eccleſiæ mens eſt ſignificare velle,eodem die, ac proinde diuerſis annis omnia ea contigiſſe, quæ ſimul ipſa commemorat; ſed annua memoria celebrare velle vno, eodemq́; die Epiphaniæ, quæ eſt apparitionis Chriſti, tres primarias ipſius manifeſtationes,quibus mundo cœlitus declaratus eſt, in adoratione Magorum ſtella duce, in baptiſmo voce patris è cœlo ſonante; & in nuptiis primo ipſius miraculo. Chriſtus itaque cum præſtantiora peragenda ſuſciperet,quàm in eo ciues ipſius animaduertiſſent,patriam Nazareth,in qua hactenus priuatim vixerat, deſerit,ac migrat cum ſuis Capharnaum ad lacum Galilææ: (Ioan.2. 12.)tendit ad Paſcha in Iudæam,(Ioan.2.13.)ac Ieroſolymis turbam ad credendum,Nicodemum ad indagandum ſignis mouet. (Ioan. 2. 23. & 3. 2.) feſto peracto diſcipuli eius, & Iohannes ad Iordanem baptiſant: (Ioan.3. 22.) Iohanne autem mox in vincula ab Herode coniecto, Matth.4.12. Marc. 1.14. ex Iudæa Dominus in Galilæam proficiſcens,in itinere Samaritanam conuertit,Ioan.4.3. in patriam Nazareth cum veniſſet ſumma contumelia afficitur.Luc.4.16. qua relicta diuertit Capharnaum, vbi reguli filium ſanat. Matth. 4.13. Ioan.4.45. apoſtolos ſecũda vocatione ſtatos ſibi aſſociat,firmatq́;: Matth.4.18. Marc.1.16. Luc.5.2. tum verò ob ſignorum & doctrinæ præſtantiam confluentibus vndique ad eius famam populis, delectu diſcipulorum habito,duodecim apoſtolos eligit.Mar.2.14.Luc. 6.13. ac de ſapientia Chriſtiana mirificè diſſerit,viamq́;,& rationem bene,beateque viuendi docet, tanta numinis non ſolum gratia, & Suadæ medulla, ſed etiam vi & efficientia, vt ad audiendum pelliceret omnes,& ad reſipiſcendum cuiuſuis animum percelleret;abeuntibus præ admiratione in ſtuporem hominibus,tam nouum,& inauditum doctrinæ genus animo ponderantibus. Matth. 5. & 6.& 7.Luc. 6.20.deſcendens de monte leproſum curat.Matth.8.2. Mar. 1.40. Capharnai centurionis puerum ſanat. Matth. 8.5. Luc. 7.1.ad Geraſenos nauigãdo tempeſtatem ſedat. Matt. 8.23.Mar.4.37. & 5.1. Luc.8.23. redit Capharnaum,ſanat paralyticum, Matthæum vocat,

ciuitates,ac caſtella obiens,docet,curatq; paſſim omnes. Matth.9.1.& 35.Mar.2.1.& 3.1.Luc.5.17. & 6.1. atque in hunc modum Chriſtus primo anno ſolus prædicauit.

Chriſti anno 31.

IESVS Chriſtus introducta iam ſalutaris doctrinæ admiratione, & deſiderio, anno ſecundo cuius initium ſumitur à calendis Ianuarij circiter,inſtituit viam docendi pleniorem,& apoſtolos,quos duodecim è toto numero diſcipulorum primarios legerat,ad prædicandum regnum Dei emittit,Matth.10.1.Mar.6.7.Luc.9.1.quibus dimiſſis, ipſe per Galilæam docet, ac crebreſcente fama Iohannes Baptiſta è vinculis ad eum diſcipulos inſtituendos mittit. Matth.11.1.Luc.7.18.ipſe dum apud Simonem prandet,peccatricem abſoluit, Luc.7.36.ſecundum littus maris per ſimilitudines docet. Matth.12.1.& 13.1.Mar.4.1.Luc.8.1.ſunt enim nonnulla ab his Euangeliſtis ordine nonnihil in verſo narrata. Redeuntes verò apoſtoli, Chriſto nunciant cædem Iohannis ab Herode factam.Matth.14.1.Mar.6.14.Luc.9.7.erat tum Chriſtus Ieroſolymis,vbi apud probaticam ſanauerat languidum,feſto vel ſortium, vel dedicationis templi, à Zorobabel reſtituti,quod vtrumque in Februarium incidebat, vt etiam Iohannis decolatio in ſextum calendas Martij, quam enim eccleſia menſe Auguſto celebrat, dies translationis reliquiarum ipſius eſt. Quod itaque Ieroſolymis prima vice Chriſtus Dominus flagello Iudæos è templo ſumma cum autoritate eiecerat, altera verò morbos curauerat feſto die, patremq; ſuum Deum eſſe profeſſus erat,ſummo excitati odio Iudæi ad eum è medio tollendum conſpirant.Ioan.5.1.ipſe verò cum proximum Paſcha eſſet,abit trãs mare Galilçæ,vbi agit cum populo de pane miraculoſè aucto,pane fidei,& pane ſacramentali. Ioan.6.1. noctu lacum ipſe pedibus Capharnaum verſus emenſus, ac Petro per fluctus ad ſeſe admiſſo. Matth.14.25.deinceps propter intentatam cædem à Iudææ regione etiam Paſchali tempore abſtinet,Ioan.7.1.redeuntes verò inde Phariſæos,qui negotium illi faceſſebant, confutat, è Galilæa tendit in Phœniciam, Tyrum & Sidônem verſus, Chananææ fidem expendit; inde per Decapolim, ſanato ſurdo, mutoq; redit ad Galilæum lacum,quem Hebræi maris nomine appellant;turbam ſectitantem

paſcit, conſcenſa naui Magedan venit. Mat. 15.1. & 16.1. Mar. 7.1. & 8.1. inde ad extremos fines Galilææ, verſus Cæſaræã Philippi tendit, vbi eum omnium nomine Petrus filium Dei profitetur: rediens porrò, in editiſſimo Galilææ monte Thabor maieſtatẽ humanitatis ſuæ, ex deitate clarificatam exhibet ſpectandam, vbi apoſtoli viderunt, ſenſeruntq́; quantus, & quanta dignitate eſſet: tum quoque perſonuit cœlitus oraculum ad hominum omne genus, hunc ſummi Patris filium, ipſis doctorem veritatis datum eſſe; proinde dimiſſis philoſophorum, & ſimilium ambagibus, ab vniuerſis audiendum; dum autem in Galilęa verſatur, petitum ab eo didrachma eſt Capharnai, vbi pueros commendat, & proximo ignoſcendum docet. Matth. 16.13. & 17.1. & 18.1. Mar. 8.17. & 9.1. Luc. 9.18. multa interim vbique miracula edit, quibus non ſolum poteſtatem, gloriamq́; ſed etiam bonitatem ſuam teſtatam omnibus faceret; vt proinde non ſigna è cœlo, & elementis excitaret, ſed ſanationem, & ſalutem hominum præcipuè perficeret.

Christi anno 32.

CVm tempus aſſumptionis Domini paulatim accederet, quãquam futuri in Iudæa cruciatus oculis eius iam obuerſari inciperent; tamen obfirmato ipſe animo ad vrbem Ieruſalem proficiſcitur, ac præteritis Samaritanis, qui eũ excipere nolebant, quemadmodum doctrinæ anno primo ſolus prædicauerat, ſecundo hoc ipſum munus etiam Apoſtolis commiſerat, ita dum indies ad doctrinam cœleſtem amplectendam matureſcunt homines, tertio anno doctorũ numerum auget, ac ſeptuaginta duos diſcipulos ad euãgeliſandũ ablegat; quorũ reditũ ad Dominũ licet eodem loco narret Euãgeliſta, tamẽ nõ è veſtigio, ſed dilapſo lõgiore tẽpore factũ eſſe, credendũ eſt: ipſe porrò cõcedit in regionẽ Iudęæ quæ eſt trãs Iordanẽ, vbi de diuortio diſſerit. Luc. 9.51. & 10.1. Mat. 19.1. Mar. 10.1. inde ſuſcepto Ieruſalẽ verſus itinere, in Bethania à Martha hoſpitio excipitur. Luc. 10.38. nec tamẽ meminêre Euangeliſtæ quid in vrbe geſſerit, haud dubiè, quòd palã illic nõ ſit verſatus: deinde verò aliis locis docet quę narrãtur. Luc. 11. & 12. cõfluẽtibus ad illũ multis hominũ millenis: ac porrò cũ paſsĩ pciuitates, & caſtella in ſynagogis

geliſaſſet,iter iterum ad vrbem inſtituit, docet paucos eſſe, qui ſaluentur ; ac Phariſæis cædem ei ab Herode paratam eſſe per calumniam obijcientibus,reſpondet,ſe nihilominus vbique, dum viſum eſſet,operi diuino intentum fore,quod probè ſciret,ſibi non apud Herodem,ſed Ieroſolymis vitam ponẽdam eſſe. Luc.13.1. tùm verò docet, quæ extant. Luc.14. & 15. & 16. & 17. Imminente vero feſto Scenopegię,quod eſt tabernaculorum,menſeSeptembri per ſeptẽ dies celebre, cum ipſe Capharnai verſaretur, iuſſus per irriſionem eſt à ſuis propinquis proficiſci Ieroſolymam, vt illic quoque ſe manifeſtaret : quo ipſe diſſimulato itinere ad dies feſtiuos poſteriores venit,docetq; palàm in templo,tanta omnium admiratione, vt faterentur nunquam fuiſſe in mundo quenquam,qui quemadmodum ipſe,tam mirificè de rebus diuinis diſſeruiſſet,totq; ſigna edidiſſet;vt ſtatim inuidi Phariſæi mitterent, qui appræhenſum in vincula conijcerent;ſed fruſtra, quòd rerum ſalutarium magnitudine abſterrerentur miniſtri, Ioan.7.2. noctu verò in oliuetum,forte ad Mattham in Bethaniam diuertit,ſummo autem mane ad templum redit, vbi docenti lapides intentant Iudæi : quapropter declinat à loco,cæcum natum obuiam factum illuminat, & ſe verum paſtorem eſſe docet, Ioan.8.1. & 9.1.& 10.1. Non multo poſt repetito ad vrbem itinere,dum mediam Galilæam,& Samariam tranſit,decem leproſos purgat.Luc.17.11.& Ieroſolymam venit ad Encœnia,quod feſtum erat vigeſimo quinto menſis Kasleu,Nouembri ferè noſtro reſpondẽtis,inſtitutum ob repurgationem, & dedicationem templi per Machabæos : quanquam tertio menſis Adar ſeu Februarij dedicatio alia hyemalis eſſet, templi à Zorobabel dedicati : dum igitur in porticu Salomonis percunctantes Iudæi lapides, vincula, cædemq; vix pauca reſpondenti minitarẽt, reuertitur Bethabaran, quæ eſt trãs Iordanem, quò eum ſecuta plebs eſt. Ioan.10.22.ac docet porrò regnum Dei beneficiis Dei ſpiritalibus potius, quàm externa pompa deprehendi poſſe,ſemper orandum eſſe,paruulos admittendos,diuites vix cœlum intraturos,laborantes in vinea æquè omnes remunerandos. Luc.17. 20. & 18. 1. Mar.10.13. Matth.19.13. & 20. 1.

Chriſti anno 33.

CHriſtus Dominus anno Tiberij imperatoris octauo decimo, quarto autem olympiadis ducenteſimæ ſecundæ, venit Bethaniam excitatum Lazarum;cumq; vrbem Ieruſalem vitaret, recedare voluit ad deſerta Ephræm Ioan.11. 1. vbi cum aliquantiſper ſe continuiſſet,& iam extremum ad vrbem tenderet,paſſionē ſuam prædicit. Matth. 20.17. Mar.10.32. Luc.18.31. cæcum alterum,antequam Ierichuntem veniret,ſanat,Zachęum ciuem Ierichuntinum ad pœnitentiam vocat: alterum cæcum oppido egrediens pariter ſanat.Matt.20.29. Mar.10.46.Luc.18.35.& 19.1.

Sabbatho ante ſex dies Paſchæ,venit Chriſtus Bethaniam; inter quam & Ieroſolymam extat mons oliuarius, vbi à Martha, & Magdalena ſolito exceptus hoſpitio eſt,& vnctus, Ioan 12. Diſtat autem Bethania ab vrbe duobus miliaribus Italicis, quorum terna pedeſtri itinere ſingulis horis confici poſſunt.

Prima Sabbathi, quæ prima hebdomadis eſt dies,quam nos Dominicam appellamus, ad vrbem tendens venit,ad caſtellum Bethphage, quod vrbi vicinius eſt:In craſtinum, ait S. Iohannes,turba multa cum audiſſent,quia venit Ieſus Ieroſolymam,acceperunt ramos palmarum & proceſſerunt obuiam ei; ipſe verò aſina manſuetè in vrbem vectus,ſummo populorum applauſu, maximoq; cū triumpho in regem Iſrael exceptus eſt, conclamantibus laudē quibusq; cum in via, tùm in templo,quò tendebat;inſonante quoque è cœlis oraculo à Deo patre,aſtantibus Iudæis & Gentilibus. Cum verò veſpera eſſet hora,nec eſſet à quoquam hoſpitio exceptus, exiit ieiunus in Bethaniam cum duodecim apoſtolis Ioan.12. Matth. 21. Mar.11.Luc.19.ſeuerum maximè ſe hoc triduo geſſit in templo, in ficum,in ſcribas,& phariſæos.

Secunda Sabbathi,nobis feria ſecunda hebdomadæ ſanctæ,mane reuertens in ciuitatem, ficum fructibus carentem execratur; ſignificans Synagogam infrugiferam deteſtandam: in templo præclarè docet, ſtupentibus turbis, tabeſcentibus præ inuidia phariſæis: ſub veſperam ex vrbe exit in Bethaniam, quo etiam veniſſe ſacratiſſimā eius matrē putant Matt.21. Mar.11. *Bonauent.de paſſione.*

Tertia Sabbathi, die Martis, redit Chriſtus cum diſcipulis in vrbem, & cum mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus; docentem in templo Phariſæi, & Sadducæi percontando moleſtāt, in quorum ipſe peruerſitatem grauiſſimè inuehitur. Mar. 11. & 12. Matth. 21. & 22. & 23. Luc. 20. ex vrbe citius ſolito redit ad montem oliuarium, vbi aliâs per noctem orationi ſolebat vacare; conſcenſo monte, cum ciuitas Ieruſalem inde tanquam depreſſior velut in tabella facillimè proſpectari tota poſſit, monſtrantibus diſcipulis ſtructuræ magnificentiam, ipſe euerſionem ſimul & templi, & vrbis, & extremis temporibus orbis vniuerſi, iudiciumq; extremum longa oratione prædicit, atque ab eo die docendi populum finem fecit. Mat. 24. & 25. Mar. 13. Luc. 21.

Quarta Sabbathi, die Mercurij hebdomadis ſanctæ Chriſtus manſit in Bethania inter ſuos: crucem vero ſuam poſt biduum ipſo Iudæorum paſchate imminere, perſpicuè, & claris verbis prædixit, cibum apud Simonem leproſum ſumpſit, vbi à Magdalena denuò vnctus eſt; interea conſilium actum eſt à principibus ſacerdotum, & magiſtratu politico, de eo per vim, dolumq; capiendo, & occidendo: ſubduxit verò ſe Iudas apoſtolus è Bethania, venit ad ſummos ſacerdotes, vendidit Chriſtum, ac diſſimulato ſcelere, rediit ad Dominum. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Quinta Sabbathi, quæ eius anni erat prima dies Azymorum, quòd in cœna eo die inciperent pane Azymo veſci, quo deinde per totam hebdomadam paſchalem vtebantur; Chriſtus paucas horas ante diem feſtum Paſchæ, ſciens quod veniſſet hora eius, vt tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, præmittit duos è diſcipulis, qui agnū paſchalem parent, ipſe verò ſubſequitur in vrbem, vltro ſe in mortem traditurus ea nocte; ſumpto verò in cœna paſchali agno, ad ritum veteris teſtamenti perficiendum, nouo teſtamento ſacroſanctam euchariſtiam corporis, ſanguinisq́; ſui memoriam inſtituit. Ioan. 13. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Sexta Sabbathi incidens in viceſimum quintum Martij, erat octauo calendas Aprilis, vt ſentiunt plerique Patrum, eodem enim die Chriſtus, & conceptus homo eſt, & mortuus: quanquā Græci,

& non-

& nonnulli alij hoc decimo Calendas Aprilis aſcribant, ac ſi Dominus eodem die & homo factus eſſet, & reſurrexiſſet: erat autem is dies Paraſceue, idemq; prima dies azymorum ſolennis, qua redemptionis humanæ optatiſſimum illud quidem, ſed arduum, & triſtiſſimum opus à Chriſto Domino noſtro perfectum eſt, cuius myſteria vt rectius cognoſcantur, ritus nonnulli Iudæorum ſunt altius repetendi. Paſcha, & azymorum ſolennitas apud Iudæos celebrabatur per octo dies, quorum primus tamen præter poſtremã veſperam nil feſtiuum habebat: Paſcha enim erat decimaquarta die primi menſis, non per diem, ſed ad veſperam, quo Agnus immolabatur; hunc ſequebantur ſeptem dies Azymorum, quorum prmus erat quintodecimo die primi menſis;& is quidem feſtiuus, vt & ſeptimus. Solebant Iudæi quoque hebdomadis cuiuslibet ſexto die apparare, tùm eſculenta, tùm alia in ſequentem feſtiuitatem Sabbathi; vnde paraſceue & præparatorius ille dies nuncupabatur; itaque licet primus dies Azymorũ ſolennis hoc ipſo anno in paraſceuen incidiſſet, ac per legem feriandus eſſet, tamen per eãdem legem licitum erat eodem die eſculenta parare in diem ſequentem, ſabbathum videlicet proprium, quod celebrius erat, & ſabbathum ſecundoprimum nuncupabatur, ſi paraſceue præcedẽs ſolennis fuiſſet. Porrò vt nos diem naturalem à media nocte inchoamus, ita Iudæi initio noctis, ſub occaſum ſolis diem, horasq; ſupputare incipiebant; noctem in horas duodecim diſpeſcebant, diemq; pariter: & quia in æquinoctium Paſcha incidebat, quo tempore ſexta hora (vulgari noſtra ratione) ſol oritur, occiditq;, Iudæis ſole occidente (ſexta hora noſtrate) die Iouis veſperi iam incipiebat ſexta ſabbathi dies, ſimulq; primus dies Azymorũ; quapropter cœna agni, quæ poſt ſolis occaſum feria quinta ſumebatur, pertinebat non ad diem Iouis tranſactum, ſed ad initium ſextæ ſabbathi, vel paraſceues quæ illo anno erat Paſchæ celebritas: quæ eodem modo ſabbathum magnum inchoabatur Iudæis veſperi feriæ ſextæ; & ſic de cæteris diebus. Obſeruandum poſtremò, agnum Paſchæ à Iudæis immolatum, conſumptumq; figuram dediſſe Chriſti, qui verus agnus Dei ad tollenda peccata mundi immolandus erat

S

paſchali tempore; quæ qui omnia perpendit præclaram ille, & admirabilem Dei diſpoſitionem in temporum, & rerum tam exacto concurſu miretur neceſſe eſt; quod tam accuratè, & pręcisè figura, veritasq; ſe ſe conſecutæ ſint, vt eodem die (quicquid difficultatis alij in contrarium fingant) Iudæi & primo veſperi agnum typicum offerrēt abſumerentq́; ;& meridie verum agnum Chriſtum ſacrificio crucis conficerent, ac morti traderent; ſed ò rabiem Iudęorum effrænam, qui vt odium explerent ſuum, ne feſto quidem die ſibi temperauerint à cæde: ô immenſum filij Dei erga homines amorem; homines à ſcelerum meritis pœnis, non auro, argentoq́;, ſed vita & pretioſiſſimo ſanguine effuſo redimentē. Sed iam ad paſſionis longum ordinem veniamus.

Veſperi feriæ quintæ, cum hora ſexta noſtrate ſol iam occidiſſet, primaq; hora paraſceues adeſſet, Chriſtus Dominus noſter Agnum paſchalem in ædibus amici, in monte Sion (qui pars eſt vrbis Ieruſalem eminentior) à diſcipulis paratum comedit, lauitq́; illorum pedes, vt ad ſacratiora deinceps myſteria illos præpararet.

Prima noctis tranſacta hora (ſeptima noſtrate) auguſtiſſimum, & diuiniſſimum ſacramentum corporis, ſanguinisq; ſui offerendum, ſumendumq; ſuo exemplo docuit, in ſui memoriam: tum vero Iuda egreſſo, orationem illam prolixam partim ad apoſtolos primos eccleſiæ antiſtites, partim ad Patrem cœleſtem habuit; quæ eſt Iohannis cap. 13. & ſequentibus.

Secunda nocturna hora audita (poſt octauam noſtratem) egreſſus vrbem per portam aquarum, viam deſcendit valde decliuem in vallem Ioſaphat, quæ vrbem inter & oliuetum eſt, quam mediam Cedron torrens findit; quo ſuperato in hortum venit oratum, qui locus cauernoſus, excepto ſudantis Chriſti ſanguine ſacratus adhuc oſtēditur: oratio iterata tertiò, & quidem poſtremò prolixior, in horam totam & eò amplius producta fuiſſe videtur.

Inter horam tertiam, & quartam demiſſa eſt ex vrbe cohors, circa horam apud nos decimam, quæ ingenti veſania, fremituq; Dominum noſtrum inuadit, captumq; abripit per eandem viam arduam

arduam & difficilem ad Annæ primarij ſacerdotis, olimq; pontificis ædes, quæ per illam portam, etiam fontis nomine dictam, ad Caiphæ palatium euntibus obuiam fiunt: ab Anna verò dimiſſus, ſiſtitur Dominus pontifici Caiphæ, cuius in palatio coactum ſynagogæ concilium in ipſum odio acerbiſſimo deſerbuit.

Media nocte, hora ſexta Iudæorum, quæ nobis eſt duodecima, & deinceps, contra Dominum diu, multumq; quæſtionibus, accuſationibus & teſtibus agitur: Petrus eum ſemel, atq; iterum negat; & poſt horæ interuallum tertiò; vt notat S. Lucas: inquiſitio enim in vitam, & doctrinam Domini, pluribus teſtibus productis facta, reliquam partem noctis abſumpſit: interea ipſe ſæpius in cõcilium introductus, iterumq; in atriũ remiſſus eſt, vbi in poteſtatẽ militum, & vulgi ſeruorũ veniens, ipſorum ludibriũ erat: negante eum interim Petro, cuius negationes in ipſum gallicãtûs incidere tempus. Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Vndecima noctis, aurora lucente, cum nobis eſt quinta matutina, coëunt maiori frequentia primarij, & vniuerſum concilium: ac paulò poſt per tranſuerſam vrbem Chriſtus Dominus ducitur ad Pilati ethnici, præſidis Romani prætorium, quod à Pontificis palatio plurimum diſtabat.

A prima diei hora (quæ nobis à ſexta matutina incipit) orto iam ſole, & ſequẽtibus, ſæpè multumq; accuſatus eſt, & examinatus: deinde ad Herodem, cuius ex aduerſo in colle domus erat, vltrò, citroq; traductus eſt.

Tertia hora (nona noſtrate) & deinceps coronæ ſpineæ aculeis caput præcinctus, flagris conſciſſus, pro tribunali innocentiſſimus damnatus, ad crucis ignominioſum ſupplicium eductus eſt, atq; in crucem actus, poſtrema parte horæ tertiæ, quæ ſextæ iam vicina erat; id enim ſignificant ſancti Euangeliſtæ Marcus, & Iohannes, quorum ille ait eum crucifixum eſſe hora tertia: hic hora quaſi ſexta.

Sexta hora, ipſo meridie iam pendebat in cruce, in qua totas tres

horas vitam ad huc duxit, donec doloribus acerbiſſimis, vires omnes, & cor ipſum conficerentur: intereà præter alia portenta naturæ ſtupentis, negantisq́; tantam ſe indignitatem ferre poſſe, præter expectationem, contraq́; naturæ curſum obtenebratus eſt ſol; remeante Luna ex oppoſito plenilunij ſidere, id quod non Græci ſolum, & AEgyptij, ſed etiam Romani animaduerterunt, ac retulerũt in archiuium, & faſtos: quinetiam Phlegon ethnicus magni nominis chronographus ſcriptum reliquit his verbis: quarto anno ducenteſimæ ſecundæ olympiadis magna, & excellens inter omnes quæ ante eam acciderunt, defectio ſolis facta eſt, diei hora ſexta. *Dionyſ. Areopagita, epiſt. 7. & 11. Tertullian. cap. 21. apologetici aduerſus gentes. Canus Theolog. 11. cap. 2. Euſeb. chronicis.*

Nona hora (tertia pomeridiana) ſpiritum Patri cœleſti reddidit Chriſtus, ac morte ſua peccati chirographum deleuit, mortem necauit, Sathanam proſtrauit, inferni barathrum diruit.

Veſperi poſt decimam horam (quartam pomeridianam) de cruce ſumptus, & myrrhato vnguento conditus, mox ad vndecimam circiter illatus ſepulchro eſt, quum ſerum iam eſſet diei: atque hoc eſt quod S. Lucas ait: poſuit Ioſeph ab Arimathia corpus Ieſu in monumento exciſo, & dies erat paraſceues, & ſabbathum illuceſcebat: mulieres autem de ſepulchro reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & ſabbatho quidem quieuerunt ſecundũ mandatum. Luc. 23. hoc eſt, reuerſis in vrbem id temporis quod diei reliquum fuit, impenſum eſt apparandis condimentis; nam inclinata iam die paraſceues, & ſole occidenti proximo, ſabbathi veſperugo iam iam apparebat. Quod verò ad S. ſepulchrum Domini attinet, quanquàm Cyrillus epiſcopus Ieroſolymitanus prodiderit, id ob ornatum, quo perpolitum fuit à Chriſtianis, non eandem extra faciem retinere, quod veſtibulum eraſum ſit, tamen ipſum interiorem formam adhuc ſeruat. Exciſum autem eſt in petram è ſolo prominentem, bimembri intus ſpecu concameratum, ſpecus octonũ pedum longitudo eſt, ſeptenum latitudo; in poſteriore ad dexteram tymbus eſt, corporis Dominici loculus, longus octo pedes, latus tres ſpithamas; nunc rupes extra ad perpendiculum circum

quaque

quaque dolata eſt, & marmoreis tabulis incruſtata, vt elegantiſſimi ſacelli ſpeciem referat: faſtigium corona columellarum inaurata cingit. Incluſum autem eſt, vnaq; Caluariæ collis magnifica illa, & ampliſſima baſilica à Conſtantino magno extructa, eſtq; eodem modo Caluariæ collis, quà tum acliuis erat, in latera nunc recta inciſus, ſummitas octodecim pedes è plano eminens, formam habet ſacelli perampli duplicis, ditiſſimo opere muſaico, quod vocant, exornati: cernitur in eo adhuc foramen quod ſalutiferæ crucis erat baſis, & rupis fiſſura, vaſta. Atque hæc, tam ſpelunca ſepulturæ, quàm crucis locus eodem nunc ambitu ſpacioſæ eccleſiæ continentur. *Cyrill. catecheſi* 14.

Septima Sabbathi, vel potius Sabbatho ipſo per ſe feriato, quod veſperi paraſceues incipiebat, Dominus in ſepulchro quieuit; egregio prorſus myſterio, quod vt condito mundo Deus æternus quieuerat ſabbatho, ita redempto mundo Dei filius ſabbathum in ſepulchro quietum habuit: nec fruſtra Iudæi magnum id vocabant, quod in paſcha incidebat, quando magnus ille poteſtatum, tenebrarumq; debellator eodem quieturus erat.

Die dominico ſequenti rediviuus ſurrexit redemptor noſter Chriſtus, qui eſt paſcha noſtrum, viuitq; porrò in gloria Dei patris; planè, vt & nos peccatis mortui, nouamq; ad vitam excitati, iuſtitiæ viuamus. Porrò etſi nobis Dominicus dies à media nocte initium ſumat, idem tamen, qui eſt prima ſabbathi Iudæis dicebatur, à veſpera magni ſabbathi inchoabatur, permiſſumq; tum Iudæis erat operis nonnihil agere: quapropter, vt ait S. Matthæus, veſpere ſabbathi quæ luceſcit in prima ſabbathi venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre ſepulchrum. Matth. 28. videlicet; illud reliquum lucis quod veſperi ſabbatho finito, ad initium primæ ſabbathi, ſiue feriæ primæ ſequentis hebdomadis pertinebat, conuenêre in vrbe mulieres religioſæ, vt paratis ordine aromatibus, ſummo mane cras ad ſepulchrum irent. Chriſtus itaque Dominus noſter tertio die inchoante, aurora primûm per cœlum albicante, victor mortis glorioſè ſurrexit: mox cum adhuc tenebræ eſſent, mulieres in vrbe ad deſtinatam horam congreſſæ, ſumptis ſecum vnguentis,

ſub ipſam aurorã egreſſę vrbẽ, ad ſepulchrũ venerunt; vbi angelorũ viſione de reſurrectione Domini edoctæ, breui poſt ipſumet cõſpexêre; ac ſecutæ ſunt ordine cæteræ apparitiones, cũ apoſtolis factæ, tũ fratribus plurimis Chriſto addicatis. Mar. 16. Luc. 24. Ioã. 20. & 21.

Chriſtus ſaluator die à reſurrectione quadrageſimo, qui erat quinto Maij, ad dexteram Dei Patris ſuper omnes cœlos aſcendit è montis Oliueti vertice, vbi admiranda ratione ſacratiſſima pedum veſtigia humi impreſſa reliquit, à Chriſti fidelibus deinceps magna veneratione celebrata, qui licet quotidie terram veſtigiorũ haurirẽt, tamen ſancta veſtigia continuò priſtinũ ſtatũ recipiebãt, vt ſuis tẽporibus ſanctus Hieronymus obſeruauit, ac memoriæ prodidit de locis Hebraicis. Eſt verò mons Oliuarius ad ortũ ſitus vrbis ſanctæ, inter quam & oliuetum vallis eſt Ioſaphat, & torrens Cedron medius: hortus, in quo Dominus à Iudęis captus eſt, infra cernitur; locus verò aſcenſionis in ipſo montis cacumine eſt, ſabbathi habẽs iter, vt eſt in Actis Apoſtolorũ; quantũ videlicet Iudæis fas erat itineris conficere die ſabbathi: quod quantũ ſit, variæ veterum & recẽtiorum opiniones ſunt: nunc ſanè propter Turcarum Arabumq; illis in locis inſolentiam, metiri non facile licet; & vallis tam profunda amplius non eſt, cùm ſit ruinis oppleta: illud tamen, ſociorũ quoq; adhibita coniectura, liquet; mõtem quod ſublimis & arduus ſit, ad verticem habere iter quadrantis horę: quo ſimul cũ deſcenſu ex vrbe, & vallis planicie arcta computatis, iter vniuerſum eſſe, non minus mille paſſuum, nec longius mille ducentorum. Cæterùm è ſacris Chriſti veſtigiis lævũ nũc obſcurius eſt, vt obſeruauimus, q& ipſi, fauẽte Dei clemẽtia, adorauimus in loco vbi ſteterũt pedes eius

Spiritus ſanctus è cœlo viſibili ignearũ linguarũ figura deſcendit in ſanctorũ Apoſtolorum collegiũ; continebãt ſe verò per metũ Iudeorũ in iis ędibus peramplis, vbi Paſcha Chriſtus extremũ celebrauerat: haud dubiè quod hoſpes è diſcipulorum numero eſſet, aut fautorum. Eæ poſtea in ſanctã eccleſiã Sion permutatæ, ac diu à Chriſtianis inhabitatæ, noſtro demum ſæculo à Turcis ſunt noſtris ademptę: cernitur eccleſia adhuc in monte Sion. Demiſſio Spiritus ſancti contigit decimo quinto die Maij; qui erat à Paſchate quinquage-

quageſimus, vnde Græci eum Pentecoſten dixerunt.

De regno Dei in terris inſtituto; quod eſt eccleſia Chriſtiana Catholica.

REx Regum, & Dominus dominantium Chriſtus redemptor, princepsq; pacis, regnum, poſt ſuperbas quatuor monarchias inſtituit, forma & ratione non temporali, quod fruſtra Iſraëlitæ expectabant, ſed vt filium Dei decebat, ſpirituali; qua principatũ exerceret in die virtutis ſuæ, ſcilicet poſt reſurrectionem in ſplendoribus ſanctitatum, maieſtate nimirum & gloria non bellica, ſed ſancta; ac regnaret per fidem in cordibus hominum, qui longis fracti malis, regem à Deo petebant non ferocientem, ſed manſuetum, & agnum dominatorem terræ, cuius ſalutari præſidio in libertatem ſpiritus vindicati, ſanctisq; inſtitutis imbuti, in filios Dei, & cohæredes regni cœlorum aſciſcerentur. Cum igitur Rex gloriæ fortis, & potens in prælio de hoſtibus immaniſſimis peccato, morte, Sathana, & inferno per ignominiam crucis debellatis, admirabili cum gloria, triumphaſſet, atq; à Patre cœleſti nomen cõſecutus eſſet ſuper omne nomen, quo eum adorarent cùm quę in cœlis ſunt, tùm quæ in terris, inferisquè; tum verò regnũ ſuum, quod idem Eccleſię Chriſtianorũ nomine ſignificamus, prouehi iuſſit in omnes orbis terrarũ gẽtes. Qua in re illud cumprimis admirabile fuit, tot, tamq; diuerſos populos, principesq; ſubigere per apoſtolos duodecim, homines ſimplices tanquã oues in medium luporũ emiſſos, nõ armis, aut potentia militari inſtructos, ſed vna ſub ſimplicitate abſcõdita virtute diuina, qua regnum cœlorum adueniſſe teſtificarẽtur; tametſi leges eius corruptæ homĩnũ vitæ admodũ aduerſæ eſſent, mundoq; paradoxa viderentur. Huius autem regni adminiſtrationem beatis apoſtolis, & eorũ in eccleſia ſucceſſoribus comiſit, inquiens, ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnũ; ob idq; poſt reſurrectionẽ ſæpe cũ eis egit, apparẽs eis, & loquẽs de regno Dei, quemadmodum etiam à Daniele propheta prædictum fuerat in hæc verba. Regnum & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum detur populo ſanctorũ altiſſimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſeruiẽt ei, & obedient. *Dan.* 2. *&.* 7. *Iſai.* 9. *&* 18. *Matth.* 10. *Luc.* 22. *Actor.* 1. *Apocal.* 17.

IESVS Chriſtus igitur vnus Dej hominumq; Mediator,qui eſt caput eccleſiæ ſuper omnia,idemq; paſtor bonus,& ſacerdos in æternum,& pontifex animarũ noſtrarum,eccleſiæ ſuæ conuocãdæ primum principium fecit á Ioannis Baptiſtæ predicatione,alterum per apoſtolos feſto Pentecoſtes.Eccleſiam autem conſtituit bipartitam,militantem interris, ipſius exemplo luctæ & cruci expoſitam: triumphantem verò poſt exantlatos labores é terris in cælũ translatã cum ipſo ſempiternis ſeculis beatam. Ecleſiæ prima mẽbra ſub Chriſto Domino in terris coràm verſante, fuêre plura & preclara, per certos quaſi ordines diſcreta:primi &ſummi ordinis, poſt beatiſſimã genitricẽ Mariam,erant duodecim Apoſtoli:ſecundi deindè ſeptuaginta duo diſcipuli:tertij vero credẽtes plurimi ex Iudeis,qui eum indubitanter agnoſcebant Meſſiam patriarchis tot ante ſecula promiſſum,& à prophetis toties prænunciatum;quosapoſtoli etiam fratrum nomine complectebantur, quos plurimos fuiſſe S. Paulus fidem facit, qui narrat Dominum ſe poſt reſurrectionem quingentis amplius fratribus, per vnam apparitionem agnoſcendũ exhibuiſſe.E ſexu feminarũ nobiliſima illa Maria Magdalenæ erat, tũ Maria Iacobi,Salome, Maria Ioſeph,cum cæteris: inter hos ordines erant familiæ quædam integræ pleniſſimo in Dominum amore propenſæ,ut domus Marthæ, Centurionis, Zachæj,ad quas pertinet Iohanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna,& aliæ multæ,quæ miniſtrabant Domino de facultatibus ſuis,ait S.Lucas. Quarti ordinis obſcurioris illius quidẽ,ſed numeroſiſſimi;erant Iudæj illi quotquot patrum fidem ſequendo, nullo nec odio nec coniuratione à Meſſia præſente ſe alienauerant *Act.*1.1 *Cor*.15.*Luc*.8.*Ambroſ.com.in Luc*.2 .*Ianſenius concord. cap*.66.*Duræus confutat.lib*.3.

S.Petrus.

S. SIMON PETRVS, Apoſtolorum princeps primus à Domino Hierarcha& Vicarius paſtor vniuerſalis eccleſiaſtici in terris regni inſtitutus eſt ut verba Chriſti clariſimè euincunt,& voluntatẽ eius hoc de Primatu perſpicuè manifeſtant; nam quod Regi&ſaluatori noſtro, poſt abſolutum opus

pus humanæ redemptionis, Eccleſiæ ſuæ, ſingulisq; credentibus præſtandum adhuc videtur, id quidem Petro planè commiſit, & per Petrum præſtare voluit: nam quod Eccleſia non conſtare, niſi fundamento fulta poterat: fundamētum verò, ſeu Petra erat Chriſtus; Chriſtus quoque Petrum Petram fecit; & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam, dixit Matth.16. petram autem intelligimus perſonam, fidem, officium, doctrinam, ſedem Petri. Quod in futuras ætates eccleſiæ opus firmitate erat, ne per aduerſarios diſſolueretur; eam firmitatem, ſtabilitatemq; perpetuam eccleſiæ, & cathedræ Petri condixit, quoniam portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Quod ad oues Chriſti paſcendas, paſtore opus erat, Chriſtus verò paſtor bonus eſt; Chriſtus paſtorem quoq; Petrum inſtituit, quando ei omnes oues paſcendi munus iniunxit, cum dixit, Paſce agnos meos. Ioan 21. Quod contra ingénij humani incōſtantiam, humanarumq; opinionum incertitudinem fide, fideiq; doctrina indubitata, certaq; opus erat, quæ nec cum tempore deficeret; eiuſmodi fidem Petri fidem inſtituit, cum dixit; Simon ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Luc. 22. Quod demum poſt exantlatos labores cœlum aperiendū fidelibus erat; Chriſtus verò eſt qui habet clauē Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit: eius profectò muneris Petrū vicarium ſūmum inſtituit, cum dixit, Et tibi dabo claues regni cœlorum. Matth. 16. Quod fideles, ne à cœli aditu arcerentur, ſolui oportebat ab impedimentis cùm prauæ fidei, ſi quæ eſſet, tùm impiarum actionum: Chriſtus verò eſt, cui etiam humanitùs data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra; eam ſanè facultatem Petro quoque communicauit, & commiſit, cum dixit: Quicquid ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Matth.16. Quæ cum ita ſint, quis neget voluntatem Chriſti eſſe, Petrum eius vicarium primarium eſſe? cum hæc eius voluntas ſit, quis ſanæ mentis contradicat? cum is vicarium inſtituit, quis obijciat vicario ei opus non eſſe? cùm Chriſtus paſtor bonus ſit, quis credat paſcendi modum eius malum eſſe, qui eſt per vicarium Pe-

trum? cum oues ſuas Petro paſcendas commiſerit, quis ſe ouem Chriſti profiteatur, & Petrum paſtorem ſuum neget? Itaque poſt inſtitutū in terris regnum, abiturus in cœlum Dominus, vt quemadmodum Deus cœli, terræq́; monarcha eſt, ita regni Dei inter Chriſti fideles monarchiæ forma conſtituta eſſet, eccleſiæ militāti in terris ſummum vicarium, & caput ſub ſe ſecundarium præfecit beatum Petrum apoſtolorum principem, aduerſus quam Chriſti Domini inſtitutionem tamen, mirum eſt, quanta aduerſarij machinentur; atque inter alia obijciūt, vbinam primatum eum exercuerit Petrus; quidúe eo nomine vnquam perfecerit? quibus primùm reſpondetur, aliam rationem agendi Luthero, Caluinoq́; & ſimilibus fuiſſe, aliam ſanctiſſimo apoſtolo Petro; illorū vim, virtutemq́; omnem in arrogantia conſtitiſſe, qua vel cæteris ſe omnibus inſigni verborum iactantia anteferrent, vel præ ſe omnes contemnerent; Petrum verò à Spiritu ſancto edoctum fuiſſe, primatem ſe nō verbis iactare, ſed opere & veritate demonſtrare. Secundo loco eis dicitur, eos vt aliis in rebus, ita hic quoque in ſacra ſcriptura cæcutire, & ſacrorum myſteriorum vim etiam apertis oculis ignaros preterire, quantumvis ſe in Bibliis oculatiſſimos putent: quis enim ab Euangeliſtis inter apoſtolos enumerandos primus ſemper ponitur? quid egregium ab apoſtolis ante diuiſionem geſtum, quo primatum non exercuerit Petrus? quid apoſtolorum choro duodenario neceſſarium magis erat, quàm in proditoris Iudæ locum ſufficere duodecimum? actum verò id eſt conſilio, & autoritate Petri cæteros ad id exhortantis. Quis primus poſt Spiritus ſancti demiſſionem os ad euangeliſandum aperuit, & apoſtolos à calumnia Iudæorum purgauit, niſi Petrus? Cuius erat poſt Chriſti aſcenſionem primum miraculum edere, niſi primatij Petri, ſanato ad portam ſpecioſam claudo? cuiusnám erat primam in ſceleratos fideles ferre ſententiam, niſi principis in Ananiam, & Saphicam? ad quem magis ſpectabat credentes in Iudæa viſitare, vel vt loquitur ſanctus Lucas, tranſire vniuerſos, niſi ad vniuerſalem paſtorem; id quod Petrus præſtabat cum Liddam quoque peruenit? Cui reuelandum potius erat tempus regnum Dei etiam gentilibus aperiendi

di, quàm primati Petro, quod cœlitus ei factum eſt per viſionem animalium mundorum, & immundorum? Quis denique, vt alia prætereantur, in Concilio Ieroſolymitano ſententiam primus dixit; & eam quidẽ, quæ quomodo propoſita fuerat, à Concilio vniuerſo aſſumpta, probata, & diuulgata eſt, niſi Petrus? nec fabulas, & figmenta damus; ne tergiverſentur ſectarij; Acta ipſa apoſtolorum de ſingulis fidem faciunt. Suſcepto itaque primatu Petrus primos annos duodecim in Iudæa partim, vt in Actis Apoſtolorum eſt, partim Antiochiæ docuit, deinde Romæ cathedram eccleſiarum primariam conſtituens, viginti quinque ferè annos illic eccleſiæ præfuit, vt non modo vetuſtiſſima illic monumenta, verùm etiam patres, & eccleſiæ doctores, teſtes omni exceptione maiores vno omnes ore tam Græci, quàm Latini loquuntur.

Ex Græcis perſpicuè S. Chryſoſtomus ait, eccleſiæ paſtor, & caput eſt homo piſcator & ignobilis, & mox; Ieremiam vni genti pater, hunc autem Petrum vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit: & S. Epiphanius: Petrum elegit Chriſtus, ait, vt dux eſſet diſcipulorum: tum S. Cyrillus Alexandrinus de Petro; princeps, caputq; cæterorum primus exclamat, Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Chryſoſt. hom. 41. in Matth. Epiph. contra hæreſim. 51. Cyril. lib. 12. in Ioan. 64.*

Ex Latinis in hunc modum S. Cyprianus martyr. Hoc erant vtique, ait, & cæteri apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, vt eccleſia vna, & cathedra monſtretur. & S. Hieronymus, Propterea, ait, inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio; & S. Auguſtinus: Petrus Chriſti agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit. S. Ambroſius, Chriſtus, inquit, eleuandus in cœlum, Petrum amoris ſui nobis vicarium reliquit; & iterum: Andreas prior, ait, ſecutus eſt ſaluatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit, ſed Petrus. S. Hilarius etiam diſertè appellat Petrum primum filij Dei cõfeſſorem, eccleſiæ fundamẽtum, cœleſtis regni Ianitorem, & in terreno iudicio iudicem

cœli. *Cyprian. de ſimplicit. prælatorum. Hieron. lib. 1. aduerſ. Iouinian. Auguſt. in pſal.* 108. *Ambroſ. in Luc.* 24. *& in* 2. *Corinth.* 12. *Hilar. in pſal.* 118. *Atque hæc ex plurimis teſtimoniis pauca breuiſſimè, & obiter excerpta: de Romana porrò cathedra ſequetur ſuo loco.*

Chriſto rege itaque in cœlum aſſumpto, eccleſia, quæ regnum eſt ipſius, vt ipſe ait, regnum Dei intra vos eſt. Luc. 17. ſtatim propagari cœpit, quamprimum in Iudæ apoſtatæ locum ſubrogatus fuit S. Matthias apoſtolus, & acceptus ſpiritus ſanctus: tum enim apoſtolorum princeps, & piſcator hominum, Petrus primitias Chriſto tria millia fidelium verbi doctrina, & baptiſmo adduxit: iterumq; Iohanne comitatus ad quinque millia. *Act.* 2. 4. *Chryſoſt. homil.* 3. *ad pop. Antiochenum.*

Maria virgo deipara beatiſſima in regimine eccleſiæ, & prima regni Dei adminiſtratione multam operam quoque præſtitit; id quod etiam Melanthon fatetur: erat enim illa teneræ ætatis, & incunabulorum eccleſiæ dulciſſimum ſolatium, & quaſi fulcrum; nec ſolum mater, ac perfugium fidelium, ſed etiam regina apoſtolorum, de cuius ſententia, & conſilio multa illi perficiebant, cuius apud Deum interceſſione multas difficultates ſuperabant; cuius conſolatione in aduerſis mirificè recreabantur. *Caniſius de Maria lib.* 5. *cap.* 1. *Melanthon in Chronicis ſub Claudio Imp.*

S. Iacobus apoſtolus minor, cognomento iuſtus, & frater Domini, à Petro, Ioanne, & Iacobo maiore primus Ieroſolymæ Archiepiſcopus inſtituitur: hinc introductus mos, epiſcopum quemque à ternis epiſcopis ordinandi. *Euſeb.* 2. *hiſtoria cap.* 1. *Anaclet. epiſt.* 2.

Euangelium ſacroſanctum apoſtoli palàm prædicauerunt, vt eo ad regnum cœlorum inuitarentur omnes; quæ tamen prædicatio non voce ſolum, aut verbis conſtabat, ſed maximè factis, & miraculis, in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute ſpiritus ſancti; ita vt admiratione capti homines voluntatem diuinam, vocationemq; ad ſalutem certò cognoſcerent, & amplecterentur. *Act.* 2. 3. 4. 5. *Roman.* 15.

Myſteria verò ſacroſancta in ſilentio tradebant, inquit S. Ambroſius,

broſius,& alij,nam rationem diuini cultus,ſacrificij, ſacramentorum;orationum,& ſimilia arcana,priuatim,& pręſentibus tantum in fide inſtitutis pertractabant. *Ambroſ. lib. de initiandis myſter.cap. 1. & 9 & lib.1.de Abraham cap 5.Baſil.de ſpiritu ſancto cap.27. Hoſius lib.confeſſion.*

Vita, ratioq; morum cum primis ſpiritualis erat, & admirabili ſanctitate,atque Chriſtiana perfectione exornata: viuebatur in cõmune:conferebant,qui erãt ditiores in pauperum vſum,quæcunq; poſſidebant; veræ diuitiæ exiſtimabantur internæ, pietas, charitas, manſuetudo, humilitas, patientia, vnanimitas,eratq; credentium cor vnum,& anima vna: ludibrio ipſi interim Iudæis, quorum cõuicia,verbera, proſcriptionem bonorum, carcerem, & vincula nõ ſolum animo æquo,ſed etiam libenti perferebant. *Act. 2. & 4. Hebrae.10.*

Lex Moyſi,quod per Redemptorem noſtrum in cruce perſoluta, &perfecta eſſet,neminem poſthac obligabat:ſancti tamen apoſtoli nondum eam ſuſtulerant penitus, ne Iudæi ad fidem accedentes offenderentur; exiſtimabant enim Synagogam non damnandam ſubito eſſe,ſed cum honore ſepeliendam,vt B. Auguſtinus ait: ceſſauerant ergo iam Iudæorum ſacrificia inter fideles, nec accepta amplius Deo eſſe poterant; ſynagogæ verò ruinæ paulatim per totum orbem diſtractæ ſunt.

Sacrificium porrò in eccleſia deinceps celebratum eſt Euchariſticum, de quo B. Auguſtinus in libris de Ciuitate Dei, his verbis ſcribit: Participationem menſæ ſacerdos ipſe Chriſtus mediator teſtamẽti noui exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech; de corpore & ſanguine ſuo; id enim ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Atque ſacrificium hoc ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti ad altare fuiſſe non ſolum ab apoſtolis celebratum, ſed etiam ab ipſo Domino in memoriam crucis ſuæ inſtitutum, omnis antiquitas ſanctorum patrum, doctorum,martyrum, & apoſtolicorum virorum tradidit: fuit apoſtolorum vicinus ſanctus Iuſtinus martyr,qui ait;Sacrificia quæ Ieſus Chriſtus tradidit, hoc eſt, Euchariſtiam pa-

nis,& calicis vbicunque terrarum apud Chriſtianos fiant,Deus accipit,& grata ſibi eſſe teſtatur. S.Ireneus antiquiſſimus, loquens de corpore,&ſanguine Domini,ſcribit in hęc verba,Chriſtus ſuis diſcipulis dans conſilium,noui teſtamenti,nouam docuit oblationē, quam eccleſia ab apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo. S.Auguſtinus ita: Chriſtus de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. S. Cyprianus epiſcopus & Martyr: Qui magis,inquit,ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat,id eſt,panem& vinum;ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem: ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter,ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri primus ipſe obtulit,& hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, vtique ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur. S.Chryſoſtomus,non temerè ab apoſtolis, ait, hæc ſancita fuerunt,vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim illis multum inde cõtingere lucrum, vtilitatemq; multam. *Lege præter alios Iuſt. colloquio contra Tryphonem Iudæum. Iren. aduerſ. heres. lib. 4. cap. 32. Auguſt. de ciuitate Dei lib. 17. cap. 20. & in pſal. 33. Cypr. lib. 2. epiſt. 3. Chryſoſt. hom. 69. ad pop. Antiochenam.*

Apoſtolos ipſos profectò ſacrificium hoc, quod Miſſæ nomen conſecutum eſt,perfeciſſe, tam non in dubium vocari debet,vt potius plena luce illi errent,qui id negant; nam præter alios ex veteribus teſtes, D. Epiphanius nominatim de S. Petro, Andrea,Iacobo,Iohanne, Philippo,Bartholomæo, & Matthia ſcribit, eos hoc ſacrificium myſticum omnes feciſſe, quod idem de B. Andrea eius diſcipuli ex Achaia memoriæ prodiderunt, vt videre eſt apud Anonymum Philaletum; & quod euidentius eſt; extat adhuc liturgia,quo nomine Miſſa Græcis,& veteribus dicebatur,ipſius S. Iacobi Apoſtoli,vt eſt ab ipſo non ſolum celebrata,ſed etiam ſcripta: extant præterea precationes & ceremonię per apoſtolos in illo ſacrificio adhiberi ſolitæ, inter conſtitutiones apoſtolorum, vt alia pretereamus, nam etſi ceremoniæ quæ nunc in vſu ſunt, non

omnes

omnes eædem ſemper fuerint, tamen res, & actio myſtica ſacrificij, quæ Miſſæ potior pars eſt, eadem tum fuit, & nunc eſt. *Epiphan. contra hereſim.79. Anonym.epiſt.in vitis apoſt. Clemens inſtitut. apoſt. lib.* 8. *cap.* 51. *& ſequent. Iacobi liturgia. Dionyſ. Areop. Hierarch. cap.* 3.

Fuit hoc diuinum ſacrificium vſitatum ſemper, & perenne vbique in eccleſia: ac quotquot inter ſanctiſſimos martyres, confeſſores, doctoresq́; aut presbyteri aut epiſcopi fuerunt, fuêre verò quã plurimi, omnes plane id ipſum ad imitationem apoſtolorum fecerunt. Ipſe Ambroſius pro imperatoribus Gratiano, & Valentiniano etiam vita functis, oblationes Miſſæ ad altare frequentabat; Cyprianus præter viuorum ſalutem, etiam defunctorum memoriam ex eccleſiæ conſuetudine faciebat: Baſilius, & Chryſoſtomus ſumma eccleſiæ Græcæ lumina non modo ſacrum hoc obtulerũt Deo, verumetiam ad B. Iacobi exemplum ipſum cum ſuis ceremoniis, & precibus ad longum deſcripſerunt, vt inter illorum opera perſpicuè videre eſt. *Ambroſ. orat. in obitum Valent. & Satyri fratris, & Theodoſii. Cyprian. lib.* 4. *epiſt.* 5. *&c.*

Ad tantum, tamq́; ſublime ſacrificium adhibebant apoſtoli miniſtros ſeu diaconos: in quem vſum habuit S. Iacobus Ieroſolymis S. Stephanum prothodiaconum, S Paulus Timotheum, & Linum; Petrus Anacletum, & Clementem: Syxtus Pontifex eius nominis ſecundus & Martyr Laurentium leuitum; *referente Ignatio epiſt. ad Heronem. & Ambroſ. lib* 1. *officior. cap* 41.

Hoc itaque ſacrificium nouiteſtamenti ſub lege euangelica ſaluberrimum eccleſiæ munus, vnà cum euangelio apoſtoli per vniuerſum orbem plantauerunt; quæ cauſa eſt, cur etiam hoc noſtro æuo non apud Latinos modò, ſed etiam apud Græcos, Syros, Armenos, AEthiopes ſub magno presbytero Iohanne, & alias nationes cum Aſiæ, tum Africæ in frequenti ſit vſu; & altaria porrò in India, ac Taprobana inſula reperta fuerint, ex prima B. Thomæ inſtitutione, vt hiſtoriæ conſentientes fidem faciunt eorum qui has regiones peragrarunt. ſed hæc hactenus.

Perſecutiones Chriſti fidelium plures à Sathanæ, Chriſti, & eccle-

& eccleſiæ hoſte, motæ ſunt, quibus eccleſiā funditùs euerti poſſe putabat: permittente id quidem Deo, non quòd ſuorum ipſe afflictionibus vllo modo delectetur, ſed vt ipſorum conſtantiam, animiq; ad mala quæuis pro Chriſti amore perferenda promptitudinem, quæ in aduerſis maximè cernitur, exploratam manifeſtet, & coronet: ſunt autem perſecutionum tria genera; primùm à Iudæis; ſecundum ab imperatoribus Romanis; tertium promiſcuè ab hæreticis partim, partim à Saracenis excitata: fuerunt verò perſecutiones aliæ vniuerſales, aliæ prouinciales.

Perſecutio prima per legis doctores, & per Saulum concitata eſt, qua martyrium faciunt S. Stephanus prothomartyr, & ſimul ducenti fideles: perſtiterunt Ieroſolymis apoſtoli immori, cætera diſcipulorum turba in omnem circà regionem dilapſa eſt; non fuga, ait Athanaſius, ſed ſpiritu ad prædicandum incitante. *Actor. 7. & 8. Dorotheus in ſynopſi. Athan. in homil. de ſemente.*

Anno Chriſti 34. altero anno poſt Chriſti Domini aſcēſionem, Samaria vrbs per Philippum prothodiaconum euangelij luce illuſtratur: item Philiſtæorum oppida; tum Cæſaræa, & Galilçæ nonnulla loca, & Damaſcus Syriæ metropolis per alios diſcipulos; quæ tamen ad Chriſtum acceſſio non ſubito oppidanorum omnium erat, ſed priuatorum aliquot, & familiæ hinc inde cuiuſpiam; quorum à Deo primitùs corda permouebantur, dum accreſceret numerus paulatim auctior. *Act.* 8.

AEthiopia per Candacis reginæ Eunuchum à Philippo inſtitutum, euangelij doctrina imbuitur. Primam hanc prouinciam ad fidem acceſſuram ſignificauerat propheta, inquiens; AEthiopia præueniet manus eius Deo: neque enim idololatriæ tam dedita erat, vt gentium cæteræ, quod legis Moſaicæ perita eſſet, ex eo tempore, quo à Sabæa regina per ſuſceptum ex Salomone filium lex illic introducta fuerat; atque à poſteris obſeruata; vt legatus proſelytus AEthiops quotannis Ieroſolymam veniret adoratum in templo Domini; haberentq; ſacra prophetarum volumina, quamuis longo pòſt tempore edita, præ manibus: quæ cauſa eſt cur illarum gētium imperator ſe filium Dauidis, & Salomonis naturalem: Petri

& Pauli

& Pauli ſpiritualem,hodieq; prædicet.Initia illa per Eunuchum facta S. Thomas ad culmē fidei prouexit, quam ab eo tempore nunquam deſtituerunt; vt poſtea ad Clementem. VII. pontificem ſcripſit AEthiopiæ imperator Dauid: quanquam ſint qui aſſerant obſoletam poſt S.Thomam,fidem,à Philippo Taphetio mox reſtitutam fuiſſe. Eunuchus idem ſuccedente tempore in Arabia felice quoque, in Taprobana inſula, & per maris Rubri littora ſemina euangelica diſſeruit. *Act.8.pſal.67. Euſeb.2.hiſt.cap.*1.*Baſil.& Genebrard.in pſal.67.Doroth in ſynopſi.Sophron.in catal.Hieronymi.Dauid rex epiſt.ad Clem.VII.Theuetus Coſmograph.*2.*cap.*13.*Bellarmin.*1. *de pontifice,cap.*22.

Paulus organum Euangelicum Dei lectiſſimum, & maximum anno Chriſti paſſionem proximè ſequente, dum cæptam perſecutionem acer,& vehemens continuat, natus annos triginta quinq;, cœlitus apud Damaſcum proſtratus, ſubito ex perſecutore eccleſiæ,apoſtolus & doctor gentium efficitur: triduo autem cibi omnis,ſenſuumq; expers,per extaſin de fide,& doctrina Chriſtiana nō ab homine,ſed per reuelationem Ieſu Chriſti inſtituitur. *Actor.* 9. *Gal.*1.*Hieron.catalogo.*

Anno 35. S.Paulus in Arabiam proficiſcitur,vbi Chriſtum in ſynagogis Iudaicis prædicat. Quo loco obiter animaduertendum; temerè hæreticos obſtrepere, S. Petrum nunquam Romæ fuiſſe, quod nihil eiuſmodi in actis apoſtolicis narret Lucas; qui ne iſtius quidem Arabicæ profectionis vſpiam meminerit, nec eius pugnæ, qua cum feris congredi idem apoſtolus Paulus Epheſi coactus eſt, neque repræhenſionis Petri apud Antiochenos, & ſimilium; cum tamen non tam Petri,aut cæterorum apoſtolorū,quàm Pauli præcipue geſta perſcribere eo libro inſtituiſſet. *Gal.*1.

Anno 36. S. Paulus Damaſci agens, non ferentibus Iudæis liberam eius doctrinam, ſporta de muro ſubmiſſus, illorum inſidias euadit.*Actor.*9.2.*Corinth.*11.

Deinde, ait de ſe Paulus, poſt annos tres, nempe à conuerſione, veni Ieroſolymam videre Petrum;&manſi apud eum diebus quindecim: in quem locum S.Ambroſius ait: Dignum fuit,vt cuperet

V

videre Petrum, qui primus erat inter apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam eccleſiarum. Eſt autem deductus à Barnaba primario ad diſcipulos, quibus adhuc ignota ipſius fides erat. *Actor.9. Gal.1. Ambroſ. comment. in Gal.1.*

Anno 37. S. Paulus Cæſaræam per diſcipulos deducitur; inde Tarſum Ciliciæ oppidum, quod ipſius patria erat. *Act.9.*

S. Petrus tantam omnium curam ſuſceperat, vt ad illuſtrandas, & confirmandas eccleſias, pertranſiret vniuerſos, ait ſacra hiſtoria in Actis: diſcipuli quoque longè, lateq; ſynagogas Iudæorum perluſtrabant, nemini tamen loquebantur verbum, niſi ſolis Iudæis; nam Stephanus, & Paulus cum Græcis, & gentibus tentandi magis, quàm proficiendi ratione egerant: apoſtoli etiam excurrebant per Iudæam ſæpe; vt Ieroſolymis non repererit vllos Paulus, præter Petrum & Iacobum eius eccleſiæ epiſcopum. *Galat.1. Actor.9. & 11.*

Iudæorum itaque vni populo illuminando & proſelytis, qui legis conſortes erant, totis primis his annis nauarunt operam apoſtoli; vt quod patribus illorum olim promiſſum fuerat, abũdè præſtaretur: plurimos autẽ illorum ex omni regione fidem amplexos eſſe ex eo ſatis liquet, quod ex vna vrbe Ieruſalem ad primam Petri doctrinam octo milia Chriſto nomen dederint: intellexerant enim ab ipſo, ſanctum & iuſtum illum fuiſſe, & autorem vitæ, quem per ignorantiam negauerant: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. *Actor.3 & 1.Corinth.2.*

Traditiones porrò eccleſiaſticæ ab apoſtolis variæ interea inſtituebantur; etſi enim verbum Dei ſcriptum certiſſimum illud ſit, & ſingulare fundamentum fidei; habuit tamen ſancta Chriſti eccleſia normam fidei, religioniſq; duplicem, ſcripto verbo priorem: prima omnino eſt Chriſtus ipſe verbum patris æternum, & quæ ex ſacratiſſimo illius ore excepta doctrina eſt; altera traditum eſt verbum, quod æquè ac poſtea ſcriptum à Spiritu ſancto apoſtolos diuinitus docente, eſt profectum, ac traditionum nomine nuncupatum: vt enim vna omnium tradendæ religionis norma eſſet, celebrabant ſanctiſſimi illi noſtri duces conuentus & concilia Ieroſolymis,

ſolymis,antequam in mundum diducerentur vniuerſum;vbi & fidei ſumma capita, & traditiones illas ſacras condebant, quorum nonnulla deinde ſcripto verbo complexi ſunt; nonnulla tradiderunt coràm per ſermonem duntaxat:vnde profectа habemus præter ſacram ſcripturam,etiam ſymbolum apoſtolorum,canones,& conſtitutiones apoſtolicas de vita, & moribus Chriſtianorum,de ſacramentis, & ceremoniis, de dominica die, quam primam ſabbathi vocabāt,loco ſabbathi ferianda,& de aliis diuini cultus dogmatibus,quæ ſuo tempore à Spiritu ſancto reuelanda, & ſancienda Chriſtus rector eccleſiæ promiſerat; Ioan. 16. quorum fidem proximi apoſtolorum ſucceſſores, & ſequentium ætatum doctores ſingulari religione aſtruendam ſibi cenſuerunt; & quidem Paulus ipſe perſpicuè declarat, non omnia à ſe, & apoſtolis ſcripto verbo compræhenſa fuiſſe, cum præciperet, tam ea quæ per ſermonem docuiſſet, inſtituiſſetq́; ſeruanda eſſe; quàm quæ in epiſtolis deſcripſiſſet. State inquiens, & tenete traditiones quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: vt appareat apoſtolos multa inſtituiſſe coràm, data opera, quæ ſcribi nequaquam voluerint; cuius exemplum apud eundem videmus; qui cum multa de ſacroſancto corpore, & ſanguine Chriſti Corinthios ex ſcripto docuiſſet, cætera, veluti, quo ritu, & celebritate adminiſtranda eſſent, vel etiam alia, non tam ſcripto, quàm ſermone cum præſens foret, tradere voluit; cætera,inquiens, cum venero diſponam; ne fortè in vulgus infidelium ſparſa, contemptui eſſent. Habet itaque eccleſia Dei traditionum ſuarum autores apoſtolos, quorum doctrinæ tàm traditæ, quàm ſcriptæ per omnia aſſentitur: quorum veſtigiis, tanquàm fundamento, nititur; ſuperædificati enim ſumus ſuper fundamentum apoſtolorum,& prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu,ait Paulus:ſicut enim,quod S.Cyprianus inquit,par eſt Spiritui ſancto,& Chriſto diuinitas,ita in ſuis inſtitutis æqua eſt autoritas,& poteſtas:nec minus ratum eſt,quod dictante Spiritu ſancto apoſtoli tradiderunt,quàm quod ipſe tradidit: quod idem alij doctores aſſeuerant, *Ioan.16.2.Theſſal.2.* 1. *Corinth.*11. *Epheſ.2. Cyprian.*

*de ablutione pedum. Clemens epiſt. 1. ad fratrem Domini. Ambroſ. ſermone,*38.*Ruffin. in ſymbolo. Viguerius inſtitut. cap.* 17.1.6.

Vocatio gentium.

A*Nno* 38. Patefacta gentilibus oſtia ſunt, ad perueniendum in Dei æterni, & filij eius ſaluatoris cognitionem; atque vt Paulus ait, quod alijs ætatibus non eſt agnitum filiis hominum, id nunc reuelatum eſt ſanctis apoſtolis, & prophetis in ſpiritu, nempe gentes eſſe cohæredes, concorporeas, & comparticipes promiſſionis Dei in Chriſto Ieſu per euangelium; nihildum enim apud gentes erat actum, donec tempus conſilio diuino præſtitutum adueniſſe, viſione cœleſti proditum eſt Petro apoſtolorum principi, & Vicario Chriſti ſummo apud Ioppenios agenti, & oranti, qui vt primus poſt abitum Domini in cœlum, Iudæos ad fidem vocauerat, ita, vt S. Ambroſij verbis vtamur, primus in nationibus quoq; fidei fundamenta poſuit; vt tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemq; contineret; etenim vt circumciſionis apud Iudæos illi euangelium creditum à Deo erat, ait S. Paulus; ita vt S. Lucas refert, eundem ipſum elegerat Deus ab initio, vt per os eius audirent & gentes verbum euangelij, & crederēt. *Actor.* 10. *&* 15. *Epheſ.* 3. *Galat.* 2. *Ambroſ. ſermone* 47.

Primus omnium ex ethnicorum erroribus ad ſanctum Dei euāgelium vocatus eſt Cornelius, cohortis Italicæ Centurio apud Cæſaræam; qui, vnaq; eius propinqui, ac neceſſarij à S. Petro in fide inſtitutus eſt, & baptiſatus: erat tum Cornelia gens Romę ampliſſima, & ex antiquis celeberrima, cuius etiam hunc centurionem fuiſſe non eſt dubium, quum Cæſaris Romani auſpiciis Iudæā in fide, & officio contineret: vt proinde gentilium primus Chriſti Domini fidem amplexus, Romanus fuerit. Primitiæ itaque gentium Magi, qui tempore natalium Domini præceſſerant, ex oriente fuerunt: primus deinde ad Dominum crucifixum conuerſus ab occidente fuit; vt poſthac à Solis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini eſſet vbique terrarum. *Actor.* 10. *Ambroſ. ſerm.* 67. *Hier. ad Saluinam.*

Antiochena cathedra gentium prima à B. Petro erigitur, quamprimum

primum ipſe vocationis gentium rationem apoſtolis cæteris expoſuiſſet; diſcedens enim ex Iudæa, venit Spiritu ductore Antiochiam, vbi annunciauit gentibus gratiam per fidem in Chriſtum Dominum: quam augeſcentem paulatim eccleſiam, vt Hieronymus, veteresq; tradunt, annos circiter ſeptem gubernauit; cum ad primam occaſionem oblatam, gentium ſalutem ſumma fide, ſtudioq; propagandam cenſeret. Venerunt eò poſtea diſcipuli Cyprij, & Cyrenæi Simon Niger, Manahen, & Lucius Cyrenenſis, tum Barnabas quoq; per apoſtolos ex vrbe ſancta miſſus, accitusq; Tarſo Paulus; quorum opera credentes ex Iudæis & Gentibus in vnã eccleſiam coaleſcentes, cum ante Ieſſæi à Ieſſe patre Dauidis, vel Nazaræi dicerentur, tum primum appellati ibi ſunt Chriſtiani. *Actor. 11. Hieron. catalogo virorum illuſtrium. Euſeb. in chronicis. Anaclet. epiſt 3 Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo. Epiph. hæreſ. 29.*

Gentiles non parum ad Chriſti doctrinam ſuſcipiendam permoti ſunt Sibyllinis verſibus, paſſim in lucem reuocatis, quibus illa erat prædicta. *Lactantius paſſim; Conſtantin. Magn. oratione ad ſanctorum cætum: Perpinian. oratione. 3.*

Tiberius imperator à præſide Pilato de Chriſtò certior factus, cum retulit inter Deos, puta paganos, refragante licet ſenatu: cauit tamen, ne Chriſtianis vis vlla aut iniuria fieret. *Oroſius lib. 7. cap. 4. Tertull. in apologetico.*

De Iudæis.

LEge veteris teſtamenti per mortem Dominicam exauctòrata, Iudæorum gens, propter obſtinatum odium in Meſſiam, maiore ex parte reprobata eſt: atque ab eo tempore Iudæi in perpetua calamitate verſantur, quod innocentis Chriſti ſanguinis vindices diras ſuæ, & liberorum perniciei ſint imprecati. *Matth. 27.*

Pilatus iniquiſſimus Domini noſtri Iudex poſterioribus à Chriſti cruciatu annis Iudæos variè afflixit; ac repetundarum ipſe reus, in exilium actus, ferro ſibi vitam abrupit *Oroſius, & Euſeb. 2. hiſt.*

Caiphas Iudæorum pontifex, necis Dominicæ primarius autor, agitantibus furiis ad deſperationem concitatus, manus ipſe ſibi infert; quo etiam eodem œſtro Iudas Iſcarioth proditor laqueo iam

ſibi vitam præfocauerat. *Actor.1. conſtitution. apoſt. lib. 8. cap. 1.*

Iudæi Chriſtiani inuident gentibus euagelicam gratiam, incentore Cerintho, à quo Petrus propter Cornelium illuminatum correptus eſt. *Epiphan. hæreſi. 28. Actor. 2.*

CAP. IV. CALIGVLA *Imperator* *Anno Chriſtiano.* 39.

CAIVS Caligula, Germanici F. XVII. Martij imperator efficitur, ante principatum omnibus ita charus, vt initio imperij à Romanis ei ſupra centum ſexaginta milia victimarũ intra tres menſes cęſa fuerint, ob publicam lætitiam; aſſecutus verò principatum, nemini atrocitate ceſſit; ac præter crudelitatem in propinquos, & ciues intolerabilẽ, optauit aliquãdo populum Romanum ceruicẽ vnã habere; nempe vt vno ictu expleret ſæuitiã; ſorores à ſe ſtupratas miſit exulatum: bellum in Germanos mouit; pugnã intentauit Oceano inſtructa acie, quẽ lectis de littore cõchis ſpoliatũ à ſe præ dicauit. Cæſus ipſe à ſuis eſt cũ imperaſſet años III. mẽſes X. dies IX.

Reges per orbem celebres ſunt Abagarus in Meſopotamia; Bardeſanes, apud Babylonios: Artabanus, & poſt eum Mithridates apud Parthos: Candaces regina apud AEthiopes: Iuba in Africa & Mauritania. Helena regina Adiabenes in Aſſyria, quæ præclara liberalitate pauperum Ieroſolymæ inopiam, famis tempore leuauit; Nec verò exiſtimandum eſt Reges per orientem nullos, niſi quos Monarchas nouimus, vnquam fuiſſe.

De eccleſia Chriſti.

A*Nno* 39. SS. Paulus, & Barnabas toto eo anno Antiochiæ inſtituendæ eccleſiæ incumbunt. *Actor. 11.*

S. Petrus ſæpe ad finitimas gentes ex vrbe Antiochia emigrat, excitatq́; & alias eccleſias, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bytthinia, ad quas poſteà epiſtolã primã Romæ ſcripſit. *1. Pet. 1. & 5.*

S. Iacobus Zebedæus in Hiſpaniam proficiſcitur, euangelium prædicaturus: diſcipulos nouem tantum conſciſcit: templum Cæſarauguſtæ Diuæ Virginis memoriæ conſecrat, omnium inter gentes primum. *Vaſæus in chronicis Hiſpan. Tarapha de regibus, Hiſpan.*

Anno 41. S. Matthæus euangelium primus Hæbraicè ſcribit in Iudæa ante diuiſionem apoſtolorum. Atque hactenus eccleſia per octo annos ſine verbo Dei ſcripto ſteterat. *Euſeb. chronicis Hieron. catal. virorum illuſtrium. Epiphan. contra hareſim.* 30.

De Iudæis.

HErodes rex cum Herodiade pellice in exilium ab imperatore pellitur, *Ioſeph.*

Iudæi Alexandriæ, & Babylone acriter diu afflicti, Philonem doctiſſimum Iudæum ad Caligulam & Claudium ſequentem imperatorem mittunt deprecatum: ſed fruſtra apud hominem deprecabantur, quod à Deo erant ſibi imprecati: qua occaſione ſub Claudio imperatore Philo Romæ cum B. Petro ad colloquium venit. *Euſeb.* 2. *hiſtor. cap.* 5. *&* 16.

Imago Caligulæ, & Iouis idolum templo Ieroſolymis inferuntur; quibus abominatio deſolationis, olim prędicta, adeſſe denunciabatur. *Ioſeph. lib.* 18. *antiquitat. cap.* 15.

CAP. V. CLAVDIVS *Imperator.*

Anno Chriſtiano. 43.

CLAVDIVS Tiberius, Druſi F. Germanici frater, occiſo Caligula XXIV. Ianuarij, dum Romani petulantiam, & tyrannidem imperatorum pertæſi, priſtinam reipublicæ libertatem recuperaturi, viginti ferè dies varia conſultatione conſumunt, à militibus cæſar quinquagenarius proclamatur, atque exercitus ope imperium obtinet: fuit natura pauidus, ſimulq; crudelis & vecors; ciuiles leges tamen obſeruari omninò voluit, quarum collapſas reſtituit multas: imperio Britanniam inſulam addidit & aliquot alias; mortem eius tamdiu occultarunt amici, dum ſucceſſor Nero imperium excepiſſet. imperauit annos XIII menſes VIII. dies XX.

Præſes orienti, Syriæ & Iudeæ ſucceſſit Petronio C. Vibius Marſus per annos III. interea Agrippa Herodes Ariſtobuli F. rex vniuerſæ Iudęæ à Claudio eſt appellatus, Marſo ſucceſſit in Iudæa Cuſpius Vadus per annos II. deinde Iulius Alexander Philonis frater per annos II. tunc Ventidius Cumanus per annos III. Antonius Felix per annos V. ſub quo captus eſt S. Paulus.

Philo

Philo Iudæus Platonicus clariſſimus, Pomponius Mela, Columella, Strabo viri docti, in ſummo flore ſunt.

De eccleſia Chriſti.

ANno 43. Antiocheni eleemoſynam egenis Ieroſolymam mittunt per SS. Paulum & Barnabam. *Act.* 11.

S. Iacobus Zebedæus ex Hiſpania reuerſus ab Herode Agrippa rege Ieroſolymis primus ex apoſtolis ad martyrium rapitur; corpus eius à diſcipulis rectà in Hiſpaniam refertur. *Actor.* 12. *Vaſæus chronic. Hiſpan. quem conſulas.*

Anno 44. S. Petrus initio ſeptimi anni Antiochenæ cathedræ in vrbem Ieruſalem ad feſtum paſchæ venit; atque haud dubiè cum apoſtolis quæ ad orbis totius peragrationem pertinebant, agere cœpit, cum ab Herode in vincula conijcitur; vt propterea conſternata eccleſia vniuerſa perennes ſupplicationes inſtitueret: liberatus autem per angelum, egreſſus abiit in alium locum, ait Lucas, nempè Romam, vt omnes conſtanter tradunt, præter nouatores: hũc autem annum, qui Antiochenæ ſedis adhuc ſeptimus eſt, ferè in itinere prædicando conſumpſit: Romam appulit anno ſequẽte: in itinere verò Cæſareæ, Sidone, Tripoli, tum deinde per Aſiam, Galatiam, Pontum, Cappadociam, & Bizantij epiſcopos paſſim inſtituit. *Actor.* 12. *Baron. annal.*

S. Euodius vir ſpiritu illuſtris Antiochenæ eccleſiæ patriarcha vel Archiepiſcopus, anno ſequente Petro ſufficitur. *Euſeb. chronic.*

Prodidit memoriæ ex Thraſea martyre Polycarpi ſucceſſore, & ex Apollonio Euſebius, & referunt ex Euodij archiepiſcopi ſcriptis alij, habuiſſe in mandatis à Domino apoſtolos, ne ante duodecimum annum ex Ieroſolymis in orbem vniuerſum excederent, vt intereà Iudæi nulla non via & longanimitate ad Meſſiæ cognitionem perſuaderentur; etſi enim à Domino exire in orbẽ iuſſi erant, præſtandum tamen id antè non erat, quàm Iudaica eccleſia quàm optimè conſolidata eſſet, & tempus præſtitutum gentibus aduenifſet; quæ cauſa eſt quod eorum mora in Iudæa etiam longior, vel ex Actis depræhendatur. Apoſtoli itaque currente iam anno duodecimo, computato vnà anno redemptionis Chriſti Domini tri-

ceſimo

ceſimo tertio, inuocato nomine Dei, cui vni perſpecta ſunt tã cordis doctoris cuiusq́;, quàm populorum ingenia, & mores, inter ſe ſortiti prouincias orbis terrarum, aſcitis cuiq́; è ſeptuaginta duobus, ſingulis ſocijs, confirmato inter ſe vinculo pacis in oſculo ſancto, diuulſi ſunt à ſe ſe, atque ardente ſpiritus flamma incenſi ſalutare Chriſti euangelium gentibus intulerunt; cuius ſummam ipſe antea dederat, videlicet, quoniam oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Ieruſalem. *Luc.* 24. *Euſeb.* 5. *hiſtor. cap.* 17. *Mermannus Theatro conuerſionis gentium. Prochorus diacon. cap.* 1. *&* 2. *Beda, & Molanus in martyrologio.*

Interpres Græcus datus Petro eſt Marcus euangeliſta: Ioanni apoſtolo Prochorus prothodiaconus; Paulo, Titus, qua de cauſa ſine eo Troade nihil tentare voluit; aliisq́; alij, 2. *Cor.* 2. *Hieronym. ad Hedibiam quæſt.* 11. *Prochor. cap.* 2.

Ieruſalem ſancta vrbs, paradyſo terreſtri fuit initio adumbrata, è qua velut fonte ſpirituali quatuor flumina manantia quasq́; partes orbis irrigaret, neque enim Delos inſula nationum vmbilicus erat, quod gentes, vt apud Liuium eſt, falsò exiſtimabant: ſed hæc ipſa vrbs, de qua per prophetam Deus dicit; iſta eſt Ieruſalẽ, in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras: quæ inter Aſiam, Aphricã, & Europam, ſi maris commoditatem aduertamus, media conſtituta, à Filio Dei ad perficiendum humanæ ſalutis opus, atque ad euulgandam fidei chriſtianæ inſtitutionem, quaſi quædam ſalutis officina electa eſt; atque deſtinata. Ab ea etiam tanquam gentiũ centro, ſi ad geographiam magis, quàm ad coſmographiam aut cœli, & Zodiaci conformitatem ſpectes, neque enim Solem vnquam vertici imminentem habet; conſuetum fuit antiquitus, quatuor mundi plagas diſcernere, vt demonſtrat Hieronymus. Ea itaque quod paradyſus Dei eſſet, in medio terræ, flumina aquæ viuæ in omnes mũdi regiones euexit; completumq́; eſt quod Iſaias prædixerat. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem; illinc enim progreſſi apoſtoli à Spiritu ſancto aqua vitæ pleniſſimè im-

buti,fidem Chriſti ſaluatoris, per quatuor mundi partes profude-runt,quorum peregrinationes,quibus eccleſiam Dei plantauerũt, ſi non tam exactè,ſaltem commodè ita delineari poſſunt. *Iſai.2.Ezech.5.& ibi Hieronym.Liuius lib.38. ab vrbe condita.*

S.IACOBVS iuſtus, Alphæi filius, frater Domini appellatus, minor cognomento, quod Iacobus Zebedęi filius, ætate maior eſſet, mediam mundi ſedem ſacro Domini ſanguine conſecratam Iero ſolymam archiepiſcopus conſecutus eſt, in qua ſedit annos triginta. Magnę hic ſanctitatis, & inculpatæ vitæ nomine clariſſimus apud Iudæos fuit; carnium vſu, viniq; abſtinebat perpetuò: procumbebat frequentiſſimè in genua ad orationẽ, pro populi remiſſione, & ſalute fundendam: ſoli ei in ſancta licebat ingredi: habitu in ſacris induebatur pontificali. Sunt qui putent alium eſſe Iacobũ Alphæi, alium Iacobum fratrem Domini, ſed errant. *Euſeb.2. hiſt.1.& 23. Hierony.catal. Anaclet.epiſt.1.Iac.Faber.hiperaſpiſte contra Caluinũ.*

Epiſtolam S.Iacobus ſcribit poſtmodum ad Iſraëlitas credentes quidem, ſed fidei condigna opera negligentes. *Gagnæius præfat. epiſt. ad Rom.*

S.MATTHIAS Iudęæ & Galilęæ retentus ſorte eſt: iam ante vocationem peritiſſimus legis, & Rabbi Simonis diſcipulus; poſtremo in AEthiopiam venit.

Ex diſcipulis LXXII. per Iudæam in epiſcopos ſacrati ſunt Eleuteropoli Ioſephus Iuſtus, Barſabas cognomento: Bethaniæ Ariſtobulus: Samariæ Nicolaus prothodiaconus; Ceſarçæ Palæſtinæ Zachæus, deinde Cornelius Centurio, poſteà Theophilus: Cæſarçæ Philippi Apollo: deinde Eraſtus: Ptolomaide Marcus Barnabæ cõſobrinus: Ernmaunte Cleophas: Gazę Philemon; Azoto Patrobas; aliiſq; locis alij, partim ex Chriſti, partim & apoſtolorum diſcipulis delecti.

In ortum.

S.BARTHOLOMAEVS ſortitus eſt vaſtiſſimas Indiæ prouincias, & Armeniã maiorem: & ſimul Lycaones atq; Albanos populos magno ſtudio, doctrina, & miraculis Chriſto lucratus eſt.

S.THOMAS plurimas orientis nationes de regno cœlorum docuit;

docuit; Parthos, Medos, Perſas, Hircanos, Indos remotiores, & inſularum Oceani accolas, præſertim Taprobanæ populos; deinde etiam AEthiopes: porrò Malepuri in inſula Palacatæ ad cõtinentem Narſingæ Indiæ citerioris, hodieq; illius ſepulchrum viſitur. *Oroſius hiſtor. Indica. Emmanuel Acoſta commentario. Theuetas Coſmograph.*11. *cap.*18.

S S. Magi, Chriſti Domini cunas olim venerati, Chriſtum iam apud Sabæos, & Euilath verſus Indiam; atque in Arabia deſerta annunciauerant; quorum ſectatores apoſtoli ſuperuenientes baptiſmõ luſtrauerunt.

Apud Medos epiſcopus fuit Tertius nomine; apud Hircanos Aſyncritus, aliiq;, quorum tamẽ ob longinquitatem hiſtoriæ ignotæ ſunt: quanquam tendente multò plenioribus velis in occidentem euangelio, oriens remotior non perinde illuſtratus, aut certè confirmatus in fide fuit: nec Perſæ ipſi, qui citeriores ſunt, ſtatam vllam, aut perennem eccleſiæ firmitatem admisêre: ac vetus prouerbium fuit, fidem ex oriente ad occidentem veniſſe, videlicet vt orbe in gyrum emenſo, per ortum aduerſum eodem remearet.

In Meridiem.

S. SIMON ſorte adeptas AEgyptum, Africam, Mauritaniam: quo confecto curriculo, Meſopotamiam quoque fluminibus vitæ irriguam fecit; ac poſtremò venit in Perſiam.

S. MATTAEVS euangeliſta ad AEthiopes penetrat, vbi idola comminuit, Chriſtum prædicat, epiſcopos & presbyteros creat, templa excitat, plurimaq; felici ſucceſſu inſtituit.

Epiſcopi è diſcipulis dati ſunt vrbi Alexandriæ Marcus euangeliſta; Dioſpoli in AEgypto Zenas; Cyrenæ Lucius; Boſtris in Arabia Simon prothodiaconus; Carthagini in Africa Epenetus, &c.

In Septentrionem.

S. IOHANNES Euangeliſta Chriſti Domini deliciæ, Domino fuit ætate minor trieñio, natus patre Zebedæo, matre Salome, vocatus ad apoſtolatũ ipſo iuuẽtutis flore, non quidẽ in Cana, quæ in mediterraneis Galilææ eſt, ſed ad mare Genezareth, quod Galilææ

la cus eſt; non è nuptiis, ſed à piſcatione ; non poſtquam deuinctus iam mulieri animo,& voluntate eſſet,ſed cum antevertiſſet animũ eius Chriſti amor,amori omnium fœminarum longè anteponendus; non prima vocatione à ſponſa divulſus, quod prima ea vocatio tam efficax non eſſet,nec niſi vltrò aduentantes ferè diſcipulos ad Chriſti amorem experiundum admitteret;ſed ſecunda demum cum Iacobo fratre attractus : nec denique antequam Dominus è patria Nazareth migraret Capharnaum cum matre ſancta fratribus,& diſcipulis è propinquorum familia aſcitis;ſed quo tempore illos vocauit,qui ad eum locum agebant,Petrum,Andræam,&Iacobum maiorem ; id quod etiam veteres planè ſenſerunt, donec nonnulli ex fundamento curioſo nouam & abſurdam opinionem conſtruxerunt, qua dum Iohannem corpore, & ſpiritu virginem animi fortitudine commendare putant, animi integritate imprudentes priuant. Amor eius in ſaluatorem vnicè colendum tam ardens, purusq; erat, vt ob id quoque ad ea ſpectanda adhiberetur, quæ paucis ille arbitris agere ſolitus eſſet ; & ad cœnam extremam diuina benignitas caput in ſinum dominicum reclinare clementer ei indulgeret,vt per hanc ſupereminentem ſcientię charitatem admirabiles diuinæ bonitatis,& cœleſtis ſapientiæ opes hauriret,vnde poſtea ſimul ſummum Dei in homines amorem enarraret, & Filij Dei cum Patre cœleſti æternam coëxiſtentiam pateſaceret; cui quoque ad iudices, & crucem vſque ſubſecuto Dominus matrem,quemadmodum Petro ſponſam commendauit ; eiq; futurũ toto eccleſiæ decurſu ſtatum reuelare,maximisq; eum muneribus exornare voluit,nihil vt illius corpore virgineo purius, nihil animi dilectione flagrantius, nihil deitatis ſcientia ſublimius eſſet, aut nobilius.Apoſtolorum autem in diuiſione Aſiam minorem cũ metropoli Epheſo illuſtrãdam fidei lumine ſuſcepit,Parthos item, & Orientis vlteriores populos de regno Dei inſtituit; eamq; proficiſcentem ex vrbe Ieruſalem benedicta Deipara virgo Epheſum comitauit;quam ibi fuiſſe ſancti patres Epheſini concilij memorãt; & à Iohanne vitæ tutore viciſſim eſt ad mõtem Sion reducta. Serò autem in Aſiam eum ad euangeliſandum veniſſe , ac proinde diu

beatæ

beatæ virgini adfuiſſe, ex eo conſtat, quod Epheſina eccleſia fidei primordia, & primum epiſcopum Timotheum à ſancto Paulo accepit, vt ex Actis & epiſtolis apoſtolicis conſtat. In Aſiam verò poſtquam profectus eſt, plurimas illic ſundauit, rexitq; eccleſias, pontificali vtens infula, ſiue, vt Polycrates vetuſtiſſimus autor prodidit, ſacerdotalem geſtans laminam; quo apoſtolico exemplo hodieq; epiſcopis eccleſiæ Chriſti infula in vſu eſt. Plura de eo ſuis locis. *Acta concil. Epheſ. tomo 2. Auguſt. tract. 36. in Iohan. Euſeb. 5. hiſtor. 22. Caniſius de Maria lib. 5. cap. 1. Baron. annal. tom. 1. Prochorus hiſtoria de S. Iohanne.*

S. IVDAS Thaddæus in Meſopotamiam profectus, multos populos fidei gratia illuminauit, ac demum in Perſiam venit.

S. PHILIPPVS longè Aſiam prætervectus, ad Scythas delatus eſt, cum priſtino comite Nathanaële, cuius innocentiæ Saluator ipſe teſtimonium dedit; ecce, inquiens, verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Illo frigidis iſtis populis, viuifico gratiæ calore ſuccẽſis, reuertens ad Galathas, poſtmodum in Phrygia ſanguinem cum vita pro Chriſto poſuit. *Ioan.* 1.

Aſiæ ſeptem cathedrales eccleſiæ, quibus cum Chriſtus in Apocalypſi agit, epiſcopos habuêre, Epheſus Timotheum à S. Paulo inſtitutum; deinde Iohannem ſeniorem, à B. Iohanne euangeliſta ſuffectum, ipſo interea nihilominus ſummum illius eccleſiæ præſidem agẽte: Smyrna Ariſtonem, deinde Strateam, tum Ariſtonem. II. quibus B. Iohannes ſuffecit chariſſimum diſcipulum ſuum Polycarpum, cui demum ſucceſſit Thraſeas. Habuit porrò Pergamus epiſcopum Antipam teſtem fidelem nuncupatum in Apocalypſi: Thyatira Carpum, poſtea quam ex Troade rediiſſet: Sardis Clementem B. Petri poſtea Romæ ſucceſſorem: Philadelphia Demetrium: Laodicea Archippum.

Aſiæ eccleſiæ aliæ epiſcopos nactæ ſunt Nicodemia Prochorum prothodiaconum B. Ioannis comitem: Chalcedon Tychicum, deinde Chreſtum: Heraclea Apellen: Synope ad mare Euxinum Trapezunti vicina Philologum: Trallis Philippum prothodiaconum: Lyſtræ Artemam: Patæra Herodionem: Tarſus Ciliciæ Iaſonem:

Coloſſæ ad Laodiceam Phrygiæ Epaphram: Helleſpontus Oneſiphorum.

Syriæ ciuitates Antiochia metropolis S. Petrum apoſtolum, deinde Euodium; tum Ignatium: Hierapolis (nunc Aleppo) Papiam B. Iohannis diſcipulum: Apamea Ariſtarchum: Heraclea Aquilam: Laodicea Lucium.

Aſſyriæ ciuitates, Babylon epiſcopum habuit Abdiam: Edeſſa inclita Ampliam, itemq; Bartimæum; quæ ciuitas regis Abagari auſpiciis & ductu cùm primitus vniuerſa credidit; tùm poſt multas ætates furentibus paſſim hæreticorum perſecutionibus, aduerſus quaſvis imperatorum minas perſtitit conſtans: D. Thomæ memoriæ templum ibi elegans initio ſtatim extructum eſt, quòd ad regis poſtulationem is fratrem germanum S. Thaddæum è diſcipulis LXXII. eò miſiſſet doctorem. *Euſeb.* 1. *hiſt.* 14. *Sozomen.* 6. *hiſt. cap.* 1. & 18. *Galeſinius Martyrologio.*

Phœniciæ ciuitates epiſcopos habuêre, Tyrus, vel etiam Sidon Timonem prothodiaconum: Damaſcus Ananiam B. Pauli catechiſten: Tripolis Marathonem: Berytus nunc Baruti Quartum nomine: Byblis Marcum cognomine Iohannem.

In Occidentem.

S. IACOBVS Zebedæus. S. Spiritus monitu prouinciam ſuam Hiſpaniam adiit citius, tempore anticipato, quod ei maturiore deceſſu abrumpendum erat. Docuerat in Iudæa quoq; primùm apud Samaritanos.

S. ANDREAS rediens ex Scythia, Græcam Eccleſiam in Europa erudiuit, atque Peloponneſum, Epirum, Achaiam, Macedoniam, Thraciam, & in Aſia Pontum, de regno cœlorum edocuit.

S. PAVLVS, gentium apoſtolus maximus, multas orbis regiones, præcipuè occiduas incredibili induſtria, zelo, labore perluſtrauit; ita vt ab Ieruſalem per circumiacentes regiones vſque ad Illyricum repleret Euangelium Chriſti; tantæ humilitatis in omni vita, vt ad cuiuſque captum omnibus omnia fieret; tam excellentis in doctrina præſtantiæ, vt non verba, ſed tonitrua eiaculari videretur,

tur, tantæ in agendo dexteritatis, & celeritatis, vt cum nuſquam conſiſteret, vbique adeſſet omnibus; nunc in Græcia, nunc in Iudæa apud Iacobum, nunc in Aſia, nunc Romæ apud Petrum, aut eorum auditores. Hic, quòd vehementiſſimo in Chriſtum amore propenſus eſſet, generoſior apud Deum omnibus excelluit, tertium cœlum in hac vita peruaſit, atque vſque ad diuinam cathedram aſcendit, loquebatur in illo Chriſtus, & adamantina patientia obfirmatus, nullisq́; vnquam aduerſis mentem obnubilari paſſus, millies ſe ſe morti victimam Deo deuouerat, vt illi aut viuere Chriſtus eſſet, aut mori lucrum. Non illum labor vllus fatigabat, non ſatietas Dei cultùs capiebat, non cura infinita frangebat, agentem cum Deo non pro vna ciuitate, ſed pro ſollicitudine omnium Eccleſiarum; interea eſuriem, nuditatemq́; ſæpe ſuſtinebat, ſæpe victum comparabat manibus, & labore, tanto locupletior ſpiritu, quanto facultatum omnium inopia magis premebatur; meritò ille electum Dei organum, os Chriſti, lyra Spiritus ſancti, ornamentum Eccleſiæ; præco veritatis, doctor gentium; orbis terrarum columna, in cœlis homo, in terra Angelus, communis progenitor ſeruorum Chriſti, & cuſtos mundi, ait Chryſoſtomus.

S. PETRVS apoſtolici ſenatus in regno Dei præſes, amore in Chriſtum Dominum ardens, ſupraq́; cæteros accēſus, ad quodvis opus diuinæ gloriæ vehemēti ſtudio propenſus, atq; rerum gerendarum deſiderio, ac dexteritate conſpicuus, magnanimitate admirandus, fortitudine ſpiritus eximius, ſapientiæ quidam cœleſtis theſaurus, fidei perfectio, virtutum omnium ornamentū, perfectio ſanctitatis; cū Iohannes, cui matrem Dominus cōmiſerat, contemplationū tranquillitate præcipuè delectaretur, hic verò maiora in actione ſtudia poneret, cōcredidit ei Saluator ſponſam eccleſiā, cuius cura grauior, & adminiſtratio operoſior erat. Peragrauit itaq; cùm in Iudæa, tùm per orbē prouincias cōplures, eccleſiarū quæ vbivis gētiū eſſent curā animo cōplexus, alias præſentia verbiq; viua voce, alias deſtinatis quaqua versū diſcipulis, legatis, epiſcopis; alias per epiſtolas de regno cœlorū, de vita, & iuſtitia Chriſtiana in Domino

mino

mino monuit, docuitq́;. Petrus itaque, ait Chryſoſtomus, orthodoxæ fidei principium, magnus atque illuſtris eccleſiæ ſacerdos, neceſſarius chriſtianorum conſiliarius, ſupernarum poteſtatũ theſaurus, eccleſiæ fundamentum, firma fidei petra, ſplendor totius mundi, eccleſiæ columna, & turris; apoſtolici chori caput, & præſes; apoſtolorum doctor, eccleſiæ ſenilis ſapientia, paſtor bonus & ſtrenuus, vniuerſo orbi terrarum à Chriſto præpoſitus, vrbium reginam, Romam occupauit, in qua eccleſiarum omnium velut matricem conderet. Hactenus verba Chryſoſtomi. Romam verò Petrus venit, cum annum propè in itinere prædicãdo poſuiſſet, octauo decimo die Ianuarij, anno Chriſti quadrageſimo quinto, extremis diebus anni ſecundi Claudij imperatoris; qua in vrbe Cathedræ præfuit in annum vſque viceſimum quintum, ſiue exactius, annos XXIV. menſes V. dies XII. vnde interea cum ipſe quandoque ad euangelium promulgandum exceſſit, tùm diſcipulos in varias ablegauit prouincias, & epiſcopos ordinauit per orbem complures. Ac vanum prorſus, & friuolum eſt, quicquid contra hæretici confingant; extant enim illius Romanæ ſedis, præter monumenta illuſtria, & firmiſſima, teſtes numeroſiores, auguſtiores, religioſiores, quàm vt à quoquam tam leuiter exſibilari poſſint; Euſebius in chronico expreſsè ſcribit; Petrus apoſtolus natione Galilæus, Chriſtianorum Pontifex primus, cum primum Antiochenam eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi euangelium prædicans, viginti quinque annis eius vrbis epiſcopus perſeuerat. Ambroſius in hunc modum de ſacramentis; Vtique ipſe autor eſt nobis huius aſſertionis Petrus apoſtolus, qui ſacerdos fuit eccleſiæ Romanæ. Hieronymus de viris illuſtribus ait; Simon Petrus princeps apoſtolorum ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibiq́; viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſq; ad vltimum annum Neronis. Optatus Afer contra Parmenianum Donatiſtam ita; Negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primò cathedram epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium apoſtolorum caput. *Chryſoſtomus oratione in Petrum & Paulum, & homil. 10. in 2. Timoth. Optat. lib. 2. Ambr. 3. lib. cap. 1.*

Adde

Adde teſtes beatiſſimos martyres, & epiſcopos, aliosq; doctores plurimos, inter quos præcipui ſunt Ignatius, Iuſtinus, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Lactantius, Athanaſius, Prudẽtius, Epiphanius, Auguſtinus, Leo Magnus, Gregorius, Bernardus, & patres alij ſupra quinquaginta; ne ſimul inferioris nominis autores adnumerentur; qui vna omnes id aſſerunt, vt ob id ſanctus martyr Irenæus Romanam Eccleſiam à glorioſiſſimis apoſtolis Petro & Paulo fundatam cum primis ſuſpiciat, & his verbis de ea pronũciet; Ad hanc, inquiens, eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem cõuenire eccleſiam, hoc eſt, omnes qui ſunt vndique fideles; in qua ſemper ab iis, qui ſunt vndique conſeruata eſt, ea quæ eſt ab apoſtolis traditio. *Iren. aduerſus hæreſes lib. 3. cap. 3. vide verò teſtimonia doctorum apud Bellarminum, Baronium, Canum, & alios.*

E diſcipulis, & apoſtolorum ſectatoribus acceperunt epiſcopos Cyprus inſula Nicanorem prothodiaconum, Salamina Ariſtonem, Corone Oneſiphorum: Paphus, Tychicum.

In Creta ciuitas Candia Titum, Canea Cepham; Melita inſula Publium.

In Sicilia Syracuſæ tres dies D. Pauli doctrina, poſt illius naufragium, vt & Melita, primum vſæ ſunt, deinde eò miſſum acceperunt epiſcopum Marcianum; Tauromenium oppidum accepit Pancratium, deinde Maximum, tres D. Petri diſcipulos, vt & Catana Birillum.

In Peloponneſo Corinthus Soſthenem, AEgion Criſpum, Cenchræ Lucium.

In Achaia Athenæ Dionyſium Areopagitã, & poſt illius in Galliam diſceſſum, Publium, deinde Quadratum; Megara Hermogenem; Marathon, Phlegonem; Patræ Narciſſum; Thebæ Rufum.

In Macedonia incerta ciuitas Vrbanum, Berrhæa Soſipatrem, Philippolis Hermam; Theſſalonica Ariſtarchum, deinde Syluanũ.

In Thracia Philippenſes Parmenam, deinde Eraſtum; poſt Zoſimum, Berrhæa Carpum; Bizantium nunc Conſtantinopolis à S. Andrea accepit Stachin.

In Dalmatia vrbs incerta Hermetem; Dyrrachium Cæſarem; Pannonia Andronicum.

In Italia Mediolanum Barnabam, qui ſubſtituto Anatolio, Cyprum repetiit, Rauenna Apollinarem, Capua Priſcum, Aquilegia Hermagoram, Verona Euprepium, Patauium Proſdocimum. Bergomum Narnum, Tarracina Epaphroditum, AEquicolę Marcum, Feſulæ Romulum, Luca Paulinum, Neapolis Aſpren, Ticinum Iuuentium.

In Germania Treuiris Eucharium, deinde Valerium, Colonia Maternum, tres D. Petri diſcipulos, qui accolas Rheni primum, deinde Auſtrios, & Heluetios ſacri euangelij gratia compleuerunt, interiores verò Heluetios ad Arolam præcipuè inſtituit Beatus nomine, quartus D. Petri diſcipulus eò miſſus. Bauari, Oenipontani, Rheti, magiſtrum fidei habuêre Lucium, quem Simonem Cyrenæum dicunt; Alſatij, Lotharingi, Argentinenſes, Cœleſtium, Felicem, Patientem, S. Clementis comites, à quibus Mediomatrix eius regionis eccleſiæ cathedra inſtituta eſt; Moguntia verò primum epiſcopum accepit Creſcentem, aliâs Creſcentium, D. Pauli diſcipulum.

In Galliam plures appulerunt viri apoſtolici, maiorq; Domino ſeges ſuccreuit, Martialis primus è LXXII. diſcipulis Chriſti Lemouices, Burdegalam, Cadurcos, Toloſates Domino peperit; accepêre autem epiſcopos Toloſa Saturnium; Burdegala Seuerinum, deinde Amandum; Bituriges Vrſinum, Turones Gratianum; Cœnomanni Iulianum, aliâs Simonem leproſum dictum; Narbona Sergium Paulum proconſulem à S. Paulo conuerſum, Pariſij Dionyſium Areopagitam, Rhemis Maternum cum ſociis doctoribus, & Xyſtum epiſcopum, Catalaunij epiſcopum Mennium, Senones Potentianum, Vienna Creſcentem poſterius, Lugdunum Photinum, Arelate Trophimum, Aquæ Sextiæ Maximinum, Maſſilia Lazarum comitatum Magdalena, & Martha ſanctis ſororibus, & Marcella, quarum ſtudio & opera Burgundia quoque Chriſto nuncupata eſt, Britannos, Normannos & Veromanduos ſeu Picardos

dos Nicaſius ſalutari religione imbuit;Xantonos Eutropius.

In Anglia fidei fundamenta poſuit amicus Domini ſingularis Ioſephus Arimathinus.

In Hiſpania ex S. Iacobi diſcipulis nactæ ſunt epiſcopos ciuitates, Eliberum, vel Granata Cæcilium:Iliturgum in Boëtica,nunc Gienna Euphraſium: Albula Secundum: Abdera Cteſiphontem: Cartheſa Heſychium: Bracara Petrum Martyrem: Acci ſeu Guadix Torquatum:Cæſaraugusta doctores Athanaſium & Theodorum corporis S. Apoſtoli vectores & cuſtodes; adhæc Narbona Epiſcopum Paulum:Dertoſa Rufum B.Pauli apoſtoli diſcipulos: Toletum Eugenium diſcipulum Dionyſij Areopagitæ;Italica Geruntium.

Atque ad hunc modum eccleſiæ aliæ per vniuerſum orbem à beatis & magnis apoſtolis acceperunt epiſcopos & presbyteros, qui ſanctiſſimi duces noſtri,quam ab autore Chriſto acceperāt po teſtatem,dicēte,ſicut miſit me Pater,ita & ego mitto vos, Ioan.20 eam porrò tranſtulerunt in diſcipulos, quos & epiſcopos,presbyterosq; crearunt, & inſtituendi alios donarunt poteſtate, id quod Titi exemplo Paulus expreſſit luculentiſſimè, ad quem in Creta epiſcopum à ſe ordinatum ita ſcribit; Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi,Tit.1. quæ quidem presbyterorum & epiſcoporum per diſcipulos, ac ſucceſſores inſtitutio parem prorſus à Spiritu ſancto confirmatam autoritatem habuit,non ſecus ac ſi præſente, & coram imperante Chriſto ſanctificatore facta eſſet; quod è verbis Apoſtoli, epiſcopos à diſcipulis ordinatos compellantis,facilè intelligitur, dicentis: Attendite vobis,& vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos regere eccleſiam Dei,quā acquiſiuit ſanguine ſuo.Act.20.eademq; ſacra ſacerdotū ordinatio ſub vero & æterno ſacerdote Chriſto in eccleſia Dei ad nos vſq; perpetua ſucceſſione peruenit,pgitq; porrò ad mūdi finē;quemadmodū per filios Aaronis quondā,& Leuiticigeneris perpetuam ſeriem præfigurata fuerat. *Hæc ferè de primis*

epiſcopis ex Hieronymi catalogo, Dorotheo in ſynopſi, Clemente lib. conſtitut. apoſt. Gregorio Turonenſi, martyrologiis variis, Perionio, Theatro conuerſionis gentium Mermanni, Vaſæo, Teueto, &c.

S. Paulus ex vrbe Ieruſalem hoc anno Antiochiam reuertens, noua poteſtate cum S. Barnaba ad gentium conuerſionem delegatur, *Act.* 13.

Euangelium itaque Ieſu Chriſti prædicarunt apoſtoli toto terrarum orbe gẽtibus omnibus, ob id inuidia contabeſcentibus Iudæis, qui quidam contradicebant his, ait ſacra ſcriptura, quæ ab apoſtolis dicebantur, blaſphemantes; Audientes autem gentiles gauiſi ſunt, & glorificabant verbum Domini; & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam; ac diſſeminabatur verbum Domini per vniuerſas regiones; Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Quo ex ſucceſſu tam felici non ſolum plebs credẽtium exultabat lætitia inenarrabili, pſallendo in cordibus ſuis Deo; qui de tenebris eos vocauerat, & traduxerat in admirabile lumen ſuum; ſed etiam doctores, & diſcipuli Domini replebantur gaudio, & Spiritu ſancto, quantumuis afficerentur contumeliis paſſim infinitis, adeò, vt gaudentes abirent à conſpectu conſilij, quod digni habiti eſſent, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Anno 45. S. Petrus Romam cum veniſſet, & vnà cum ipſo ſanctiſſimi diſcipuli Marcus euangeliſta, Apollinaris, Martialis, & Ruſus; primus illic prædicauit regnum cœlorum; quod demonſtrabat longè præſtantius, & ſublimius eſſe regno, & imperio illo Romanorum, collata iam in Chriſtum regem regum à Deo Patre omni poteſtate in cœlo & in terra; qui quidem ille ipſe rex eſſet, quem vnum omnes fide, & officiis proſequerenrur, qui ſe ſaluos vellent, cuius beneficio homines à Sathanæ, & idolorum iugo, à cæcitate mẽtis, à ſempiterna morte redempti, fideles eſſent iam in Deo, qui ſuſcitauit ipſum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides illorum, & ſpes eſſet in Deum. Vt verò erat animo, & ſollicitudine in omnes quaquaverſum attentus, ne, dũ in occidente ipſe verſabatur, orientales eccleſiæ detrimentum vllum acciperent, primam epiſtolam

ad eas perſcripſit; in qua cum plebes de fidei conſtantia, ſanctitate, tollerantia, & vitæ Chriſtianæ officiis admonet; tùm pro primaria ſua, & ſumma inter paſtores, atque epiſcopos autoritate, presbyteros cohortatur in hæc verba; Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, curam illius agentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, ſed forma, & exemplum facti gregis ex animo; ſubditq; de præmio; cum enim apparuerit Princeps paſtorum Chriſtus, tum percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. 1. *Pet.* 1. *&* 5.

S. Marcus euangeliſta rogatus Romæ à fratribus breue ſcribit euangelium, vt referentem, & docentem Petrum audierat; quod eccleſiis ad legendum Petrus ſua autoritate confirmauit, & ratum declarauit. Scriptum autem ab ipſo eſſe non Græcè ſed Latinè apud Latinos nonnulli exiſtimant; ac poſtmodum ab ipſo Aquilegiæ Grecè redditum. *Hieron. catal. Athanaſ. ſynopſi. Euſeb. 2. hiſt. 15. Baron. annal.*

Alexandrinæ eccleſiæ Patriarchatus per S. Marcum, à Petro miſſum in AEgyptum, inſtituitur. *Hieron. & Athan. ibidem: Euſeb. in chronicis.*

S. Paulus Cyprum inſulam totam peragrat; inter alios, ad Chriſtum conuertit proconſulem Romanum Sergium Paulum: à quo deinceps Paulus cognominatus eſt, cum antea ei nomen eſſet Saulo. *Actor. 13. Hieron. catal. Iſidor. Clarius, 22. orat. in Lucam.*

Anno 46. S. Paulus in Aſiam traijcit, Pergæ, & Antiochiæ, in Piſidia cùm Iudæos tùm gentiles docet. *Actor. 13.*

Anno 47. S. Paulus cum Barnaba Iconij ex vtriſque itidem populis plurimos Chriſto lucratur. *Actor. 14.*

S. Thecla primaria Chriſti virgo, & martyr clariſſima, Iconij, relicto ſponſo, à Paulo fidei præceptis imbuitur, inde Antiochiæ, & alibi variis cruciatibus obijcitur. *Ambroſ. 2. de Virgin. Epiphan. hæreſ. 78.*

Anno 48. S. Paulus Lyſtris, ob claudum ſanatum lapidatur; inde venit Derben; iterumq; Lyſtras, Iconium, & Antiochiam Piſidiæ; vbi eccleſiis ſingulis epiſcopos, & presbyteros præficit; præ-

miſſis ante ordinationem ſacram precibus, & ieiuniis, id quod eccleſia in quatuor temporibus, cum ſacerdotes ordinantur, hodieque imitatur. *Actor.*14.

Anno 49. S. Paulus, & Barnabas collega per Pamphiliæ oppida Pergen, & Attaliam tranſeuntes, nauigant in Syriam, vbi in metropolitana eccleſia Antiochena annos amplius duos doctrinæ incumbunt. *Actor.*14.

Anno 50. Romæ S. Petri opera ſacra Chriſti religio ingenti incremento erat aucta; quod Tacitus innuit, dum ait; Imperatorem per Senatusconſultum curaſſe nonnulla ethnicæ diſciplinę inſtaurari, quod externæ ſuperſtitiones inualeſcerent, ita enim, vt nunc hæreticis, ſacra apoſtolica religio Ethnicis habebatur ſuperſtitio externa, cuius ex incremento idololatria deſpici incipiebat. *Cornel. Tacit. lib.*11. *quod Baronius acute vidit, Lipſius præteriit.*

Aquilegiæ per hæc tempora S. Hermagoras S. Marci Euangeliſtę diſcipulus fidem Chriſti propagabat, & paulò poſt S. Eleutherius; eſtq; eccleſia illa patriarchalem autoritatem conſecuta à primis vſque temporibus Chriſtianis, quibus à B. Marco fidei initiata eſt: quam ob cauſam ſingularis ſemper exiſtimationis inter occidentales fuit. *Galeſinius in notation. Martyrol.*11. *Iunij.*

Anno 51. Iudæos, impulſore Chreſto aſſiduè tumultuantes, Româ expulit Claudius Imperator, inquit Suetonius, & quidē nono anno principatus: Chreſtum autē, pro Chriſto, ſaluatore, & Chreſtianos dicebant pagani, deprauato nomine; vt Tertullianus, & Lactantius annotarunt, quibus ex verbis etiam perſpicuum fit, quanta ſemper inuidia, & quantis tumultibus Iudæi gentilium fidem, & ſalutem impugnârint. Porrò lege eadem excedere ex vrbe S. Petrus quoque Galilæus eſt iuſſus, itemq; Aquila Ponticus, Priſcilla, & alij ex Iudæis fideles, vt eſt in Actis, permanente nihilominus eccleſia Romæ eorum qui ex Italis, & Romanis Chriſto Saluatori nomen dederant. Petrus verò vt ſequentia conuincunt, Ieroſolymam reuerſus eſt, & quidem nauigatione inſtituta Africam verſus, vbi & Carthagini, & Alexandriæ fidei præcepta dedit, vt nonnullis placet. *Act.* 18. *Sueton. de Claudio. cap.*25. *Tertull. apologet. Lactant.* 4. *cap.*7. *Baron. Annal.*

S. Pau-

S. Paulus poſt annos quatuordecim, ex quo primum poſt acceptam fidem Ieroſolymam venerat, nempe ſeptimo decimo anno ab ipſius conuerſione, Ieroſolymam redit, cum Barnaba, & Tito; cùm propter controuerſiam de legis obliteratione Antiochiæ motam, tùm vt de toto ſtatu doctrinæ ſuæ cum Apoſtolis conferret. *Gal.* 2. *Actor.* 15.

CONCILIVM ſanctum Ieroſolymitanum primum agitur ab apoſtolis, & ſenioribus, quo obrogatur lex Moyſis, eiusq; ceremoniæ, & eduntur ſanctiones variæ, quas retulit beatus Clemens in libros conſtitutionum apoſtolorum: præceptum eſt deinceps palàm fidelibus obſeruanda eſſe mandata, & dogmata non tantum apoſtolorum, ſed etiam antiſtitum in eccleſia ſeniorum. Interfuerunt ſynodo B. Petrus, cui primo ſentētiā dicenti aſſenſerunt omnes: S. Iacobus vrbis illius epiſcopus: S. Iohañes Euangeliſta, primaria itē eccleſiæ columna, adhuc Ieroſolymis agens: S. Paulus, S. Barnabas, & ſanctus Titus cum cæteris eccleſiæ proceribus. *Actor.* 15. *Gal.* 2. *Clem. lib 6 conſtit. cap.* 12. *Canus.* 9. *Theol cap.* 6. *Merman. Theatro.*

S Petrus Antiochiam, priſtinam ſedem repetit; deinde orientales eccleſias alias quoad in viuis Claudius imperator fuit: Paulus item Antiochiā cōmigrans Petrū, in gratiā gentiliū, corripit. *Gal.* 2.

S Paulus, cum comite Sila, Syriam, Ciliciam, & Licaoniam perluſtrat, Timotheum nunc demum nouum ſocium aſcitum circuncidit; decreta eccleſiaſtica vbique obſeruanda inculcat: Aſiaticis porrò ipſe prohibetur à Spiritu antè prædicare quā Græcos Europæos inſtituiſſet: trajicit itaq;, accedēte Luca nouo comite, in Macedoniā; docet Philippenſes, Theſſalonios, Beroenios. *Act.* 16. 17.

S Barnabas, cum comite Ioanne Marco, diſceſſione [illegible] riter a Paulo, Cyprias eccleſias procurat decem [illegible] epiſtolam inſignem ſcribit; euangelium ſecundum Matthæum ex Hebræo Græcè vertit. *Act.* 15. *Galeſin. notation. in martyrol.*

Anno 52. S. Paulus Athenis diſceptat cum Philoſophis, [illegible] nyſium Areopagitam [illegible] inter alios lucratus: deinde Corinthum adit, vbi per viſum confirmatus, [illegible] in docendo ponit, atque interea epiſtolam ad Theſſa[illegible] nam ſcribit. *Act.* 17. 18.

Anno 53. S. Paulus Corinthi toto hoc anno adhuc docet; inſumpſit enim illic annum,& menſes ſex; miſitq; ad Theſſalonicenſes epiſtolam alteram. *Act.18, Baron.*

Anno 54. S. Paulus in Aſiam nauigat, Epheſumq; appellit circa menſem Iunium; Aſiæ regiones Ciliciam, Cappadociam,Galatiã, Phrygiam,& reliquas,nouem menſibus ceu gyro peragrat;interim Apollo Epheſi duodecim fere diſcipulos facit;deinde Corinthi, & in Achaia egregia cum laude docet. *Actor.* 18.*Baron.*

S. Philippus apoſtolus ex Scythia in Aſiam veniens, Hierapoli cruci affigitur. *Euſeb.in chronicis.*

Anno. 55. S. Paulus peragrata Aſia Epheſum redit,menſe circiter Martio, qua in vrbe, quòd totius Aſiæ clariſſima eſſet, & ſuperſtitioni deditiſſima, diutius immorandum duxit, vt arce dæmonum debellata, cætera oppida facilius in fidem Chriſtianam concederent; quapropter cathedram eccleſiaſticam illic fixit in annum vſque tertium; in Aſia enim referente ipſo, per triennium, nocte, & die non ceſſauit, vel ad lachrymas vſque,omnes, & ſingulos fidei, & officij admonere, euangelicam doctrinam ſignis, & virtutibus ſtabilire; iniurias atroces, & perſecutiones grauiſſimas magna animi cõſtantia perferre; quanquam fateatur in Aſia ſe ſupra modum grauatum fuiſſe adeoque ſupra vires, vt deſperaret etiam de vita. *Actor.*19. 20. & 2 *Cor.*1.

Libri noxij,& prauæ diſciplinæ à Chriſtianis ſublati ſunt, & igni traditi. Exemplum apoſtolici temporis grauiſſimum, libros hæreticos,& ſortilegos inter Chriſti fideles ſeruandos non eſſe, ſed abijciendos,igneq; cremandos cum perinde ſit, doctorem hæreticũ è cathedra audire,aut eius doctrinam è libris hæreticis intelligere. *Actor.*19.

MARIA virgo beatiſſima, & glorioſiſſima Deì genìtrix ætatis anno ſeptuageſimo Ieroſolymis excedit è vita; atque de monte Sion,ex domo S.Ioannis euangeliſtæ,qui eius curam eovſq; egiſſe exiſtimatur,elata in ſepulchrum apud Gethſemani, quæ eſt in valle Ioſaphat,ad radices montis Olìueti; per cœleſtes angelorum choros in cœlũ ſublimis euehitur, anima ſimul, & corpore clarificato immor-

immortalitatem,& beatitudinem diuinam in regno Filij vnigeniti aſſecuta, Indignum enim erat, ſacratiſſimũ corpus illud, vnde Deus homo eſt factus, terrena corruptione reſolui: & quod à peccatis alieniſſimum ſeruatum fuerat, tanquam peccati mancipium, in cinerem, & putredinem abire. Eam, tametſi clariſſimam, & angelorum domiciliis digniſſimam, Chriſtus filius eius, Rex noſter, & eccleſiæ ſponſus, poſt ſuam aſcenſionem, viginti duos annos, in terris reliquit; vt tantiſper primitiuæ eccleſiæ, tenellæ adhuc, pia mater & gubernatrix ſolatio eſſet. Decedenti adfuêre apoſtoli amantiſſimi; inprimis Petrus ſupremum cæterorum decus, & columen, & Iacobus præſul Ieroſolymitanus, tum etiam Timotheus Paulum (Act 20.) eò comitatus; adhæc Dionyſius Areopagita per Paulum ante annos quinque Athenis conuerſus. Vixit D. Virgo, ante genitum filium vitæ autorem, annos quindecim: poſt ipſum natũ quinque & quinquaginta: nonnulli pauciores numerant, totidem probatioribus probantur. Hæretici, vt ſolent, cœleſtem hanc aſſumptionem negant; iidem verò, vt ſolent, nõ conſentiunt, dum ſunt, ex quibus Brentius, & Bullingerus, qui eam admittant & credant. *Dionyſ. Areop. de diuin. nominib. cap. 3. Nicephor. lib. 2. cap. 22. Caniſius de B. Maria lib. 5. cap. 1. & 3.*

De hæreſum origine.

IN veteri teſtamento bis diſceſſionem à ciuitate, & populo Dei fecit iniquiſſimus Sathan, per Cain primam, alteram per Cham; ac nihilo melior in nouo factus, quin etiam maiore inuidia in Chriſtum Dei filium inflammatus, tertio ad diſceſſionem faciendam miſeros mortales impulit, conſilio, & via longè quã anteaſtutiore; cernens enim craſſam illàm idololatriam, & nimium abſurdã poſthac exploſam iri, nec facilè in eã homines amplius demergi poſſe; deinceps credendum quidem vnum Deum, & Chriſtum vtcunq; concedit; attamen eo ipſo nomine, quaſi veritatem euangelicam tutandam ipſe ſuſcipiat, plurimas per miniſtros ſuos excitat hæreſes; quibus tot errorum labyrinthos inducit, tot veritatis ſalutiferę dogmata conuellit, corrumpit, expungit; tot ſchiſmata, & ſectas, & quidem verbi Dei fuco obuolutas excitat, vt animarum ſtrages

permultas edat, nullo negotio; dum, qui ſe Chriſtianos eſſe arbitrantur, hæreticorum deprauatis ſub Chriſti nomine doctrinis decepti, falſam pro vera fide amplectuntur. Nam quæ iſtius panurgi incredibilis aſtutia eſt, non horrentia cornua prodit ipſe ſua, ſed miniſtros producit ſpecie prudentes, doctos, facundos, & qui ſe ſe in angelos lucis transforment, quique ſe vnos veritatem, gratiam, euangelium profiteri magno ſupercilio contendant; cum tamen, teſte apoſtolo, cæci ſint, nihilq; videant, & euanuerint in argutiis ſuis, & obſcuratum ſit inſipiens cor eorum; dum dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſint: quæ etiam cauſa eſt, cur cum tot hæreſes exoriantur, nulla vnquam ſtet perpetua, aut conſtans, quantumlibet Dei verbum vendicet, & Chriſti nomen iactitet, quod omnis plantatio, ait Dominus, quam non plantauit Pater meus cœleſtis eradicetur. Horum igitur hæreſiarcharum inſidias rex, & dux noſter Chriſtus diligenter cauendas, fugiendasq; eſſe monuit, quod cum blandè pelliciant, demum deceptos ſempiterna pernicie inuoluant: permittit tamen luctam eam inter ſuos, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant; & iuſtitiæ coronam maiore cum laude demũ percipiant. Erunt verò hæreſum autores perpetuo quoque recenſendi, vt quos, quibuſque temporibus, hoſtes eccleſia paſſa ſit, & quàm ad internecionem omnes interierint, ordine conſtet.

Iudas Iſcariotes apoſtata primus à Chriſto rege defecit, is arcis diabolicæ lapis angularis eſt, qui fecit vtraque vnum: ex Iudæis ſectatores habuit, qui manum Chriſto Domino inferrent; è gentibus verò, qui Cainæi dicti, admirabilem eum, & magnum dicerẽt, quod cum animaduerteret, inquiunt blaſphemi iſti, Chriſtum ſubuertere veritatem velle, tradiderit illum, ne ſubuerti veritas poſſet. In cœna Dominica corpus Chriſti ab ipſo datum non credidit, in deſperationem actus laqueo ſibi gulam præfocauit, & concrepuit medius. *Actor.* 1. *Tertull. de præſcriptione aduerſus hæreticos, Gregorius Valentianus de Euchariſtia lib.* 1. *cap.* 2.

Theobutes cum repulſam paſſus eſſet epiſcopatus, cœpit initio perturbare omnia. *Euſeb.* 4. *hiſtor.* 22. *Bellarmi.* 4. *de Eccleſia, cap.* 13.

Simon Magus primus hæreſiarcha, poteſtatem epiſcopalem, hoc

hoc eſt, dona Spiritus ſancti, pecunia emendā cenſet, negat merita bonorum operum, & liberum arbitrium; Deum ſe magnum venditat; angelos docet eſſe conditores orbis & hominum, eoſque eſſe adorandos vt minores Deos, ac mediatores ſummi Dei, quam angelorum religionem damnat Paulus ad Coloſſ. 2. Hic ex Aſia à ſe dementata, Romam proficiſcitur, vbi poſt diutinam impoſturam à B. Petro precum vi proſtratus interiit. *Actor.*8. *Hieronym. catal. Euſeb.*2. *hiſtor.*13.14.15. *Nicephorus.*2. *hiſtor.*6. *Iuſtin. apologia. Tertull. præſcript. hæret. Epiphan. hæreſi Simonis. Irenæ.*1. *cap.*20.

Elymas BarIehu magus Iudæus, dum diuinæ Chriſti doctrinæ in Cypro obloquitur, à B. Paulo anathematis imprecatione in æternum excęcatus eſt. *Actor.*13.

Alexander, & Hymenæus principio euangelij doctores, deinde hæretici, à B. Paulo, qui falſos doctores nullo modo ferendos cenſebat, excommunicati ſunt. 1. *Timoth.* 1.

Hermogenes, & eius auditor Phygellus, aliâs Philetus, opponūt ſe apoſtolis, Iacobo in Iudæa, & Paulo in Aſia, quem etiam inflati deſpiciebant. 2. *Timoth.* 1. *Abdias lib.* 4.

Fuêre & alij incentore maximè Cerintho pſeudoapoſtolo, qui Moyſi legem, vnà cum euangelio obſeruandam eſſe contendebāt; à quibus cùm alij, tùm Galatæ ſeducti fuerunt: contra quos coactum fuit concilium Ieroſolymitanum, & ab apoſtolo Paulo in epiſtolis ad Romanos, & Galatas grauiter diſputatum. *Actor.*15. *Galat.*3. *Epiphan. hæreſi.*28.

CAP. VI. NERO *Imperator.*
Anno Chriſti 56.

CLAVDIVS Domitius Nero, mortuo Claudio priuigno XIII. Octobris, à propinquis, & acclamatione militū imperator ætatis anno ſeptimo decimo ſuffectus; quinquennio nullā nec liberalitatis, neq; clemētię, neq; comitatis occaſionē omiſit, à ſexto anno tā euaſit im̄anis, & turpis, vt bipedū in vita ſpurciſſim⁹, & ſcele

ſtiſſimus,in imperio tyrannorum crudeliſſimus ab omnibus prodatur;matrem impurè habuit, & occidit; Senecam pædagogum reſectis venis balneo illatum enecauit;vxores,propinquos,ſenatores ad libitum occidit;Romam regiam vrbem,iniecto igne,ſex dies conflagrantem,ceu Troianum incendium,de ſublimi, cum voluptate, proſpectans ,Chriſtianos deinde incendiarios dixit: prouincias imperij deſtituit præſidiis , ſenatum vrbis clariſſimum delere funditus tentauit, voluptatibus ſe, & flagitiis totum mancipauit, plane perſuaſum habens, principatum gerenti nihil non licere; demum inuiſus omnibus,deſtitutus à ſuis,à ſenatu hoſtis patriæ iudicatus,& armatam facibus matrem,vltricesq; furias paſſus, adeo vt ſpectris è ſomno exagitatus,de lecto exiliret;inops mentis, ex vrbe profugus,per dumeta,& ſentes ſe abdens in cauernam,pugione iugulum transfixit,cum regnaſſet annos XIII.menſes VIII.

Armenia maior per Neronis incuriam de imperio defecit; Britanni ad octoginta milia Romanorum, ob ſtupratas eis vxores, contrucidarunt.Defecit quoque Hiſpania,& Galliarum exercitus.

In Iudæa præſes eſt poſt Felicem,Feſtus annos VI.Albinus annos II.Florus annos III. qui variè afflixit Iudæos, & publicè flagellauit optimates,qua de cauſa Iudæi tumultus excitarunt ; quos vt compeſceret Nero , Veſpaſianum legatum Syriæ cum exercitu in Iudæam miſit, quod initium belli Iudaici fuit, anno ante vrbis excidium quinto.

Viri docti clarent.L.Anneus Seneca,Silius Italicus, & L.Anneus Lucanus poëtæ.

De eccleſia Chriſti.

MIrùm,quàm ingens & ſtupenda per orbem vniuerſum mutatio fiebat, dedentibus ſe vndique ad Chriſti redemptoris leges ſanctiſſimas ex erroribus,& Sathanæ ludificatione gentibus, & turpem vitiis vitam ſumma modeſtia,animiq; puritate, innocētiaq; emendantibus ; compellante ob id eccleſiam propheta , & congratulante in hæc verba; Leua in circuitu oculos tuos,& vide, omnes iſti congregati ſunt,venerunt tibi; non vocaberis vltrà deſerta,dicit dominus, ſed vocaberis voluntas mea in ea ; & aperien

tur portæ tuæ iugiter die ac noctè non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur; erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini; miniſtri Dei, dicetur vobis, populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram, & vocabuntur populus ſanctus, redempti à Domino; gens autem, & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. Qua congratulatione excitata eccleſia apoſtolica, ex gentibus omnium prouinciarũ collecta, de tantis bonis ſibiipſi in ſpiritu gratulatur, profiteturq́; gaudens gaudebo, inquiens, in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. *Iſa.* 60. 61. 62. *Euſeb.* 2. *hiſt.* 3. *Athanas. de incarnatione verbi, Iſidor. Clarius orat.* 12. *in Lucam.*

Anno 56. Sancti apoſtoli ergò vbique gentium annunciabant regnum Dei, Paulus apud Epheſios agebat, factaq́; poſt mortem Claudij imperatoris iterum Iudæis poteſtate Romę commorandi, multi ex Iudæis fideles cò redierunt, quos poſteà in epiſtola ad Romanos ſalutat Paulus; nominatim Aquilam, & Priſcillam, quibus cum Corinthi habitauerat; quo tempore licitum quoque Petro apoſtolorum principi fuit Romam repetere, eccleſiamq́; amplificare per occidentem. *Actor.* 19. *Rom.* 16.

Anno 57. Paulus Epheſinam eccleſiam adhuc regebat ad Pentecoſtem vſque; interim epiſtolam primam ad Corinthios per Timotheum miſit; quem reducem Epheſinæ eccleſiæ epiſcopum præfecit; inde digreſſus manſit ad tempus adhuc in Aſia: Troadem autem cum veniſſet, non reperto Tito, nauigio venit in Macedoniam, vnde epiſtolam primam ad Timotheum dedit; ſperans ſe ad ipſum venire cito, quamquam vrbem poſtea ipſam, ob maturatum iter Ieroſolymitanum, non adiit, eccleſias omnes Macedonicas inuiſit, ac Philippis dum eſſet, intellexiſſetq́; ex Tito ſtatum Achaicæ eccleſiæ, ſcripſit epiſtolàm ad Corinthios alteram per Titum, & Lucam, ſiue Sylam; poſtremo anni tempore in Achaiam ipſe cum comitatu Macedonum profectus eſt. *Act.* 19, 20. & 2. *Cor.* 7. 8 9.

Anno 58. S. Petrus ex vrbe Roma, quo redierat, ſe ſe in prouincias Europæas cæteras confert, non ſecus atque ex Antiochena eccleſia fecerat, vt etiam notat Epiphanius: paſſimq; euãgelium prædicat, & inſtituit epiſcopos; commiſſa Romæ eccleſia interim S. Lino, quem chorepiſcopum ſubſtituerat, vt mirum non ſit, eum à Paulo in epiſtola ad Romanos non fuiſſe ſalutatum, quòd Paulus pro comperto haberet, non ſemper eum Romæ conſiſtere poſſe, quando plantandæ circumquaque eccleſiæ operam daret; & initium conuerſionis gentium per ipſos apoſtolos fieri oporteret, quibus Sathanæ potentiam perrumpendi cura, poteſtasq; erat demandata. *Epiph. contra hæreſim 27. Onuph. in faſtis. Bellar. 2. Pontific. 8.*

S. Paulus Epirum, Achaiam, Bœotiam, & alias Græciæ regiones peragrat, confirmatq; in fide, tribus menſibus, quo etiam tempore Cretam inſulã petiit, Titumq; illic Epiſcopũ ordinauit. *Act.* 20. *Tit.* 1.

S. Lucas in Græcia, dum adhæret Paulo, Euangelij hiſtoriam perſcribit: Hic cum ſacratiſſimæ Dei genitrici Mariæ percharus fuiſſet, aliquandiu ei cohabitauit, & diuinam Chriſti redemptoris conceptionem, & partum ex ipſius Virginis referentis ore deſcripſit: docuit porrò in Macedonia, Italia, Dalmatia, & Gallia, vixit annos 84. *Euſeb. Epiphan. Hieron. Caniſius* 4. *Mariæ cap.* 9.

S. Paulus Ieroſolymitanum iter ſuſcipit ex Græcia, poſt Paſcha: Corinthi autem dum eſſet in portu Cenchræo, epiſtolam ad Romanos ſublimem illam ſcribit: inde per Macedoniam tendens, Nicopoli epiſtolã ad Titum mittit, & Aſiã verſus nauigat. *Act.* 20. *Tit.* 1.

Concilium Epheſinum prouinciale à B. Paulo, dum tranſit, Mileto cogitur, quo admonuit paſtores de ſeruanda primitus tradita doctrina, arcendisq; lupis, & hæreticis. Inde Timotheus ad Epheſios rediit. *Actor.* 20.

S. Paulus Ieroſolymam cum veniſſet, ad Pentecoſten, capitur; præſidem in Iudæa agente Antonio Felice, mox Porcio Feſto, à quo Romam ad Cæſarem áblegatur hoc ipſo anno, neque enim biennium illud de quo in Actis, ad Pauli carcerem referri debet, ſed ad principatum Neronis, à quo Felix iam in Iudæa agens, biennio adhuc procurationem eam fuerat conſecutus, quo elapſo ſucceſſo-

ceſſorem accepit Feſtum; *vt ſcitè notat Baronius Act.*20. *& ſequen.*

Anno 59. S. Paulus, & cum eo Lucas euangeliſta, peracta per hyemem difficilima nauigatione, in Melita inſula tres menſes docet: inde Romam primo venit ſexto Iulij, excipitur ſummo cum gaudio à ſanctis diſcipulis Petri, biennio è vinculis Chriſtum annunciat, epiſtolam grauiſſimam ad Epheſios, ſimulq; alteram ad Timotheum illorum epiſcopum ſcribit, tantæ apud Chriſtianos ipſe exiſtimationis, vt Seneca, magna apud imperatorem autoritate, ſcriptis ad eum literis, optaret eo loco à ſuis haberi, quo à fidelibus Paulus. *Actor.*28. *Hier. catal. Senec. epiſt.*12. *ad Paulum.*

Romana igitur eccleſia cæterarum magiſtra, per Dei prouidentiam à ſummis apoſtolorum principibus primitus inſtituta eſt; atq; poſt Petrum primum, Paulum ſecundum, tertium accepit doctorem Iohannem euangeliſtam, vt ſuo dicetur loco, vt trium apoſtolorum, adde, & trium euãgeliſtarum, Iohanne cum Marco & Luca combinato, ſanctiſſima & abſolutiſſima doctrina optimè in fide confirmata, ſupremam in religione conſequeretur autoritatem; in ore enim duorum aut trium teſtium, ait Saluator, ſtat omne verbum. *Matth.*18. *Tertull. præſcript. aduerſ. hæret. Euſeb.*2. *hiſtor.*14.16.22.25. *Hieron. catal. virorum illuſtrium.*

Anno 60. S. Paulus dum in vinculis eſt, optione per reuelationẽ à Deo conceſſa, malletne iam per martyrium diſſolui, & eſſe cum Chriſto; an diutius permanere in carne ad vtilitatem ſanctorum, & gaudium fidei? ob charitatis officia erga Eccleſiam differt beatitudinem: ac ſcribit epiſtolas ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & vnà ad Philomenem ciuem Coloſſium; demum ad Hebræos Hebræã, quam vel S. Lucas vel S. Clemens Græcam fecit; Timotheus verò perluſtratis eccleſiis Macedonum, & Philippenſium, Romam ad Paulum proficiſcitur, à quo iterum ad Philippenſes mittitur. *Phil.*1. *&* 2. *Baron. in annal.*

Anno 61. S. Paulus confirmatur per viſionẽ in vinculis, per Chriſtum aſtantem; & cauſa abſolutus ad euangelium gentibus omnibus prædicandum ſe iterum confert: inſtituerat autem duo itinera, alterum per Gallias in Hiſpaniam ad occiduas gentes; alterum denuo in orientem ad Græcos quod Philippenſibus promiſerat, nam

Aſiaticis prædixerat iam Mileti, eos faciem ipſius non amplius viſuros. *Rom.* 15. *Phil.* 1. *& 2. Actor.* 20. *Epiphan. hæreſi* 27. *Chryſoſt. hom.* 55. *in acta. Vaſæus in chron. Hiſpan.*

S. Lucas Acta apoſtolorum edit Romæ, vbi indiuiduus comes Paulo adhærebat, etiam ſolus ad extremum. 2. *Timoth.* 4. *Hier. catal.*

S. Saturninus à B. Petro in Hiſpaniam miſſus Pompeiopolim nunc Pampelonam Chriſto dicauit, regreſſus in Galliam, illic Honeſtum ſacerdotem ſuffecit doctorem. *Vaſæus.*

S. Barhabas in Italiam venit, Inſubriam euangelio illuſtrat, Mediolanenſem eccleſiam plantat, regitq; ſeptennio, diſcedens Anatolium Cyprium diſcipulum ſufficit epiſcopum, Lino Pontifice. *Catalogus Mediolan. Archiep. Galeſin. in Martyrologio.*

Anno 62. S. Andræas in Achaia poſt egregiè promulgatam religionem Chriſtianam ab AEgeo proconſule in crucem ſublatus eſt. *Onuphrius in Faſtis.*

Anno 63. S. Iacobus iuſtus præſul Ieroſolymitanus per inuidiam Iudaici Pontificis Anani de pinna templi eſt præceps datus, & fuſte fullonis percuſſus, cui in epiſcopatu ſucceſſit S. Simeon frater. *Hier. catalogo.*

Anno 64. S. Marcus Alexandriæ martyrium facit, ſuffecto Aniano, viro pio, & perceleb ri. *Euſeb.* 2. *hiſt.* 24.

Anno 65. SS. Simon Chananæus, & Iudas Thaddæus, poſtquam hic epiſtolam catholicam de vitandis hæreticis ſcripſiſſet, apud Perſas pro Chriſto occiduntur. *Onuphr in faſtis.*

Anno 66. Perſecutionis alterum genus incipit ab Imperatoribus paganis, quarum decem ordine fuerunt in Chriſtianos grauiſſimę, & atrociſſimæ. Prima à Nerone indicitur anno eius decimo, quæ etiam eius morte tandem finitur; deinceps enim conſolidatam ſatis eccleſiam Deus variè affligi permiſit, vt non ſolũ in bonis agendis, verumetiam in perferendis malis excelleret: cauſam Nero obtendebat incendium Romanæ vrbis fuiſſe à Chriſtianis iniectum; nam abolendo rumori, ait Tacitus paganus, Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat; auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio im-

perante per procuratorem Pontium Pilatũ ſupplicio affectus erat; repreſſaq; in præſens exitiabilis ſuperſtitio rurſus erumpebat, non modo per Iudæam, originem eius mali, ſed per vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebrãturq; igitur primò correcti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti ſunt, & pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque vbi defeciſſet dies in vſum nocturni luminis vrerẽtur. Hactenus Tacitus impius & ipſe; cuius ex verbis facilè piis æſtimare fuerit, quam iniquo animo in ſanctam Dei eccleſiam eſſent ſceleſtiſſimi pagani, etiam ante ſæuitiam Neronis, quamq; duram inter illos agerent vitam Chriſti fideles; cum nunc nos è contrario in ſumma libertate, & deſidia laſciuiamus, aut ſtertamus. *Corn. Tacit annal. lib.* 15. *Euſeb* 2. *hiſt* 25. *Senec. epiſt.* 11.

Anno 68. SS. Petrus, & Paulus ex longo itinere diſſeminandi verbi Dei Romam redeunt, ille alteram epiſtolam ſcribit, Simonẽ Magum ſpiritu, & precibus proſternit. *Onuphr. Baron. in Annal.*

Anno 69. SS. Petrus, & Paulus Romæ pro Chriſti eccleſia ſtabilienda, ſanguinem, vitamq; fundunt, ille via triumphali capite inuerſo cruci ſuffixus, hic via Oſtienſi ſecuri percuſſus, quapropter bene Tertullianus de Romana eccleſia ait; Felix eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Iohannis exitu coronatur, vbi apoſtolus Iohannes poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. *Hæc Tertull. de præſcript. aduerſus hæreticos. Vide verò Hegeſippum* 3. *hiſt.* 2. *Ambroſ. in oratione epiſt.* 32. *& ſermone* 68 *Baſil. in Iſai.* 3 *Hieron. catalogo. Auguſt. ſerm.* 24. *& ſequent. Oroſium. lib.* 7. *cap.* 39. *& præterea teſtimonia alia plurima apud Galeſin. Martyrol. Bellarmin.* 2. *Pontif. cap.* 3. *& ſequent. Baron. in annalibus eccleſiaſticis.*

2
S. Linus.

S. LINVS, Hetruſcus Pontifex maximus, & Hierarcha ſecundus, anno Chriſtiano 69. ſucceſſit Petro, præfuit eccleſiæ annos XI. mẽſes II. dies XXIII.

D. Clementem quidem ſucceſſorem Petrus dixerat, qui tamen quoad ſuperſtites fuêre Linus, & Cletus Petri in epiſcopatu adiutores, autoritatem illam ſuſcipere noluit; hinc diaphonia orta inter autores, quorum alij ſuffectum, alij ſuccedentem Petro ſubiungunt, *Epiph. hæreſi 27. Bellarmin. 2. Pontif. cap. 5.*

Hæreſes.

NIcolaus Prothodiaconus, vt Iudas è choro apoſtolico, ita è ſeptem diaconis infelix excidit; nam in vaniloquium lapſus fatebatur quidem Deum in Chriſto habitaſſe, ipſum verò Deum fuiſſe pernegabat; ac deditus impuritati obſcœna docuit, & ſacrilega, tùm alia de geneſi dæmonum, Deorum, & ſpirituum ſeptem; damnatus ex Apocalypſi; grauiter enim dictum; Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. *Tertull. præſcript. hæret. Ignat. epiſt. 9.*

Diotrephes obſtrepit apoſtolicæ doctrinæ, negat orthodoxis hoſpitia. 3. *Ioan.* 1.

Apollonius Tyanæus Magus, tanquam quidam Chriſti Domini antagoniſtes, extincto Simone Mago Romæ ſe pariter mirum in modum venditat; quem Philoſtratus, & Hierocles paria, vel etiam maiora Chriſto feciſſe impiè aſſerebant. *Lactant. 5. inſtit. 3.*

CAP. VII. GALBA *Imperator.*

Anno 70.

SERGIVS Sulpitius Galba genere, iuſtitia, æquitate nobiliſſimus, Nerone X. Iunij interfecto ætatis anno 73. imperat menſes VII. dies VII. occiditur ab Othone.

De

De eccleſia.

S. Ignatius Ioannis euangeliſtæ diſcipulus fit Antiochenus Archiepiſcopus annos quadraginta: hic cum ſanctiſſimis moribus eſſet, tamen tum demum ſe Chriſti diſcipulum fieri dixit, cum vt leonibus obijceretur, perducebatur Romam, nihil rerum aſpectabilium deſiderans, vt Chriſtum per Crucem inueniret. *Ignat. epiſt. ad Roman. Hieron. catal.*

CAP. VIII. OTHO *Imperator.*

Anno Chriſtiano 71.

SALVIVS vel Syluius Otho, interfecto Galba XVI. Ianuarij, à quo fruſtratus erat adoptionis ſpe, imperium occupat; à Vitellianis verò preſſus ſe interficit menſe III. die V.

De eccleſia.

Inter varias cruces, & calumnias ſæculi eccleſia latè augeſcit, in Galliis pace ab initio ſtatim potitur, principibus licet atheis. *Theuetus Coſmograph.* 15. *cap.* 1.

CAP. IX. VITELLIVS *Imperator.*

Anno 71.

AVLVS Vitellius, ſublato Othone XX. Aprilis, Cæſar à militibus, & ſenatu dicitur; contra ab alio exercitu proclamatur imperator Veſpaſianus, qui Romam ex Syria & AEgypto repetens, offendit fratrem à Vitellio interfectum, quem vlturus, vincit, & occidit Vitellium imperantem menſes XI. dies, XX.

De eccleſia.

AEgyptus vt ante ſuperſtitionibus, ita S. Marci opera pietatis exercitiis mirificè excellebat, extruebant fideles Semniâ, ſeu templa, monaſteria, & ſanctimoniæ ſeminaria; hymnos & cantica concinebant; ſacræ ſcripturæ vacabant; ieiuniis triduanis, vigiliisq; addicti, caſtitatem perpetuò colebant; vino & carnibus abſtinebant; ita vt infidelibus ſummæ admirationi eſſent. *Euſeb. 2. hiſt. 17. & Hieron. in catal. ex Philone.*

CAP. X. VESPASIANVS *Imperator.*
Anno 72.

FLAVIVS Veſpaſianus inter optimos & præſtantiſſimos referēdus imperatores, Nerone imperante ex Germania, & Anglia, vbi collatis ſignis tricies cum hoſte conflixerat, ad Iudaicum bellū conficiendum miſſus, tertio eius belli anno à militibus Imperator poſt Othonem dictus eſt, anno ætatis ſexageſimo; tradito itaque exercitu auſpiciis Titi filij, adactis etiam AEgypti legionibus in ipſius verba iuramento, ex Alexandria Romam cum triumpho venit, cæſoq; æmulo, animum adiecit ad inſtaurandam Rempublicam, principum immanitate exſanguem; ſenatum ex optimis familiis compoſitum reſtituit; vrbem incendiis deformatam reparauit, leges reſtituit collapſas, lites forenſes quæ excreuerant compendio decidit, neminem temerè, nedum inſontem damnauit, viros doctos fouit, coluitq;. Imperauit annos IX. menſem, vnum ex quo à militibus in AEgypto acclamatus eſt Imperator, quo tēpore compræhenditur etiam Vitellij principatus.

Britannia tota imperio ſubditur, duce Iulio Agricola.

Docti viri clarent Flauius Ioſephus Iudæus rerum Iudaicarum celeberrimus ſcriptor: Plinius maior naturæ hiſtoricus: Perſius Flaccus poëta Satyricus, Serapion: Gabinius, & Aſconius Pædianus.

Excidium Ieroſolymitanum.

FRuſtra ſpatium, & tempus reſipiſcendi Iudæis largiebatur Dominus noſter, cum trigeſimo quarto iam ab eius cruce anno, non tam apoſtolos ſuſcipiebant, quàm occidebant æquè, ac Magiſtrum; vt exſcindi ab hoſte, iuſto eius, qui prædixerat, iudicio commeriti eſſent. Initium malorum rebellio fuit: occaſionem autem rebellandi contra Romanos arripuerunt Iudæi autore Eleazaro Pontifice, ex Præſidum, maximè Flori, inſolentia; quos motus vt ſedaret, ingentibus copiis aduentans ſub Nerone Veſpaſianus, Galilæam principio ſubigit, non ſine multo diſcrimine, Iudæis ſumma pertinacia in annum quartum repugnantibus: Dum verò trans

Iorda-

Iordanem oppida quæque munitiora expugnat, fugientem præ ſe plebem inſequitur, ac ſenſim ad vrbem Ieruſalem ſuccedit, ſtupenda planè portenta anno toto in æthere & templo, cùm viſa, tùm audita fuêre: Veſpaſiano Romam profecto, cum populus infinitus in vrbem Ieruſalem ad Paſchatis celebritatem confluxiſſet, Titus filius admouendum exercitum eſſe ratus, quarto decimo Aprilis die vrbem obſidione cingit, Iudæis ad extremam abominationem deſolationis compulſis, nam incluſis vndecies centum millibus, fames ſuperuenit tanta, nihil vt reliquum eſui fecerint, non coriũ, non ſtercus; ac filium nobilis matrona coctum abſumpſerit; cui inteſtino malo acceſſit alterum, diſſenſio, & bellum, cedesq; mutua in vrbe, autore Iohãne, & Simone viris principibus, vnde quod putidis cadaueribus, aut fame enectis, aut ferro proſtratis oppleta omnia eſſent, peſtis tertium malum emerſit, quę ſæuiit porrò in integros, & valentes. Romani interim mœnia oppugnare, tormentis, & arietum pulſu muros quatere, nihil non diu, noctuq; tentare, obſeſſis requiem negare, donec octauo Auguſti templum quod mœnibus vicinum ſtabat, munitiſſimumq; per ſe erat, captum eſt, & reliqua ciuitas octauo Septembris, anno belli quinto, imperij Veſpaſiani ſecundo; qui erat à paſſione Domini quadrageſimus, Templum iniecto à militibus igne ſeruari amplius non potuit; ſacerdotes vnà concremati ſunt; è populo ferrum, famesq; ad ſexcenta millia perdidit; vrbs, & ſimul templum ſolo æquata ſunt; tres tantum turres de Herodis opere reliquæ manſêre; centum millia Iudæorum capta in duram ſeruitutem diuendita ſunt, tricenis in ſingulos obulos; cætera turba variè diſperſa; Titus Romam cum ſplendidiſſimo triumpho rediit, ſacris templi theſauris, & ſupellectile vnà abductis. Hoc excidium Iudæorum fuit, gentis Dei quondam electæ, in exemplum Chriſtianis indubitatum, fore cum naturalibus oleæ ramis non pepercerit Deus, vt nec ipſis ex oleaſtro decerptis, & oleæ præter naturam ex gratia inſertis parcat, ſi in impietate perſiſtant, vt eſt apud Apoſtolum: ac deinceps impleri cœpit cum Iudæis, quod à propheta prædictum erat: Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine rege, & ſine principe & ſine ſacrifi-

cio, & ſine altari, & ſine Theraphim ; & poſt hæc reuertentur filij Iſraël. *Oſee.3.4.lege Ioſephum de bello Iudaico,& Hegeſippum.*

De eccleſia Chriſti.

CHriſtiani ex Iudæa & Ieruſalem diuinitus per viſum præmoniti, Pellam Decapoleos oppidum trans Iordanem præmigrauerant; vt quondam Loth è Sodomis; finito bello redeuntes ſacra loca Chriſti Domini miraculis & cruciatu illuſtria,ex ſitu ante ipſis nota,facile inter rudera,& ruinas recognouerunt, & poſteris conſignauerunt, *Euſeb.3.hiſtor.5. Epiphan hæreſ.30.*

Aſiæ minoris eccleſias magna ex parte fundauit S. Petrus apoſtolus,dum ageret in Antiochena cathedra : ad quas deinde primā epiſtolam ſcripſit: Epheſinam deinde cum aliis plurimis S. Paulus, vt ex actis relatum eſt;Iohannes itaque Euangeliſta videtur,vt nonnullis placet, eò conceſſiſſe non ante necem apoſtolorum ad hæreſum nimiam petulantiam compeſcendam; illicq; porrò & alias circumquaque nouas eccleſias erexiſſe,& veteres vnà gubernaſſe. *Epiphan.hæreſ.51. Hieron.catal.*

3 S.Cletus.

S.CLETVS, Romanus Pontifex ſummus Lino ſuffectus eſt anno Chriſtiano 80.alioquin Anacletus etiam promiſcuè ab autoribus dictus, quem hæretici negant vnquam in rerum natura fuiſſe, quòd ab Euſebio in Chronicis, vel ab aliis omiſſus fuit; quaſi verò huiuſmodi commentis eccleſiæ ſtructura nitatur; ac non idem Euſebius eodem modo omiſerit Marcellum Pontificem in hiſtoriis, propter temporis vicinitatem, ac nominis affinitatem, Marcellini Papæ, licet ætati ſuæ eſſent ſynchroni, aut vni Euſebio referenda autoritas omnis fuerit, qui in ſacra hiſtoria alia tam multa prætériit, quæ tamen ab aliis non minoris fidei autoribus prodita poſteris fuerunt. Præfuit vero eccleſiæ Cletus Pontifex & martyr Chriſti, annos XII. menſes VII. dies II. *Hieron.de ſcriptorib. eccleſ. in Clemente. Epiphan.contra hæreſ.27. Bellarmin.2.Pontif.5. Baron.in annal.*

Hæreſes.

Alexander Simonis magi diſcipulus,æquè ſe,ac magiſter Deum & ſu-

& ſupremam virtutem Dei venditat. *Tertull. præſcriptione aduerſus hæreſes.*

Cerinthus Chriſtum negauit Deum eſſe, genitum ex Ioſeph aſſeruit, regnum ei terrenum poſt reſurrectionem commentus eſt; legem Moyſi obſeruandam putauit, libros noui teſtamenti, ſibi aduerſos, aliquot expunxit. *Tertull. præſcript. Irenæ. lib. 3. cap. 3. Euſeb. 3. hiſtor. Epiphan. hæreſ. 28. & 30.*

Ophitæ quidam ſerpentem æneum à Moyſe erectum miris modis efferunt. *Tertull. præſcript.*

Sethitæ diſſenſionis angelorum, ob conditos ab ipſis Cain & Abel comminiſcuntur. *Tertull. eodem libro.*

Baſilides varia deliramenta de ſummo Deo adfert, nomine Abraxan; Chriſti corpus non carneum, aut humanum, ſed phantaſticum affirmat, nec eum crucifixum, ſed eius loco Simonem Cyrenæum; carnis reſurrectionem negat. *Tertull.*

Marcus quidam, & alij varios errores ſomniant. *Conſtitut. apoſt. lib. 6. cap. 8. & 10. Ignat. epiſt. 2. & 5 Tertull. & Epiphan. contra hæreſes.*

CAP. XI. TITVS *Imperator.*

Anno 81.

TITVS, Veſpaſiani filius ſuccedit in imperio patri XXIV. Iunij, pulcherrimis animi, corporisq; dotibus præſtans; quæ cum gratiam illi, tùm autoritatem conciliabant; in Ieroſolymæ excidio maiorem ex hoſtium clade miſerationem, quàm voluptatem cœpit; nullum diem ſine beneficentia abire permiſit, præter vnum cui indoluit, dicens, Amici diem perdidi; obiit natus annos duos & quadraginta, imperauit annos II. menſes II. dies XX.

De eccleſia Chriſti.

ECcleſia fere pace fruitur, dum in Iudæos Deo, & hominibus inuiſos odium effundunt ethnici.

CAP. XII. DOMITIANVS, *Imperator.*

Anno 83.

FLAVIVS Domitianus Veſpaſiani F. ætatis anno trigeſimo,

geſimo, die XIII. Septembris, Tito fratri in imperio ſuccedit, plurimum ei diſſimilis, benignus initiò, poſtea ſæuus, etiam temerè in Senatores, & innoxios ferro crudelis. Mathematicos ex Italia, & Philoſophos omnes ſubmouit: cæteroquin in iure dicundo diligens, & coërcendo per vrbes prouinciasq; præſidum faſtu, auaritiaq; tam ſedulus, vt modeſtiores illi, & iuſtiores nunquam fuerint. Vineta nouellari perhibuit, ne vinearum nimio ſtudio negligerentur arua; bella geſſit contra Dacos, nunc Tranſſyluanos, & Cattos, nunc Heſſos, præſidia Romana per Germaniam auxit. Vituperatis & patre, & fratre, Deum ſe venditauit; verùm crudelitatis metu cōiurantibus ſuis interfectus, plebeio funere per veſpillones exportatus eſt; apotheoſi tali Deo digna, cum imperaſſet annos XIV dies V.

Docti viri Epictetus grauiſſimus Stoicus, Iuuenalis, & Martialis poëtæ, & Fabius Quintilianus rhetor celeberrimus florent.

De Eccleſia Chriſti.

PErſecutio ſecunda Chriſtianorum per Domitianum imperatorem anno ipſius ſeptimo cœpit, qua ſæuitum eſt p[illegible]ſſim in Chriſti fideles, etiam in Glabrionem conſulem, & Flauiam Domitillam imperatoris propinquam, ethnicorum enim vulgus infenſiſſimo odio, & ſummo contemptu habebat ſanctos Dei Chriſtianos, eoſque vt naturæ inimicos, omnis cladis publicæ, & incommodi popularis cauſam eſſe proclamabat. *Tertull. apologet. Euſeb 3. hiſt* 15.16.17.

4 S. Clemens.

S. CLEMENS, Romanus, beati Petri diſcipulus, & beati Pauli auditor, creatus Pontifex ſummus anno 93. Apoſtolorum traditiones, & ſanctiones ſcriptis mandauit, & qui martyrum agones perſcriberent ſeptem in vrbe notarios conſtituit, vt ſanctæ illius, & admirabilis Eccleſiæ primitiuæ ſpecies aliqua poſteris conſignaretur, vnde orti in eccleſia notarij apoſtolici, & prothonotarij, ipſe verò in exilium ad Scythas relegatus, in mare propter Chriſti doctrinam merſus eſt, præfuit eccleſiæ annos IX menſes. III. dies X *Hieron. catal. Carolus Bouius in præfat. conſtit. apoſt. Galeſin Martyrol. Merman. Theatro.*

Seditio

Seditio diſſenſioq; in eccleſia Corinthia orta, ſedata eſt Clemētis Pōtificis Romani epiſtola ad eam ſcripta, quę poſtea apud Græcos in eccleſia publicè legebatur; vt iam hinc aduerſarij perpetuam Romanæ eccleſiæ in cæteras autoritatem diſcant. *Iren.3. contra hæres. Euſeb.5. hiſtor. 6. & 3. cap. 14.*

S. Dionyſius Areopagita, doctor illuminatiſſimus, haud dubiè à magiſtro ſuo Paulo apoſtolo, qui ſapientiam loqui inter perfectos ſolebat, de maximis rerum cœleſtium arcanis edoctus, poſt illuſtratam à ſeſe doctrina, & ſcriptis Græcam eccleſiam, Athenis Romam veniens, à Clemente Pontifice in Galliam ad Pariſios prędicaturus delegatur; vbi Chriſto ſaluatori verbo, & ſanguine teſtimonium dedit. *Iacob. Faber hiſper. epiſt. contra Caluinum.*

S. Iohannes euangeliſta Epheſo vinctus Romam ductus, & attonſus in feruens oleū mergitur; quo nihil lęſus, relegatur in Parthmon inſulam, anno 97. vbi cum à Chriſto Domino eſſet in ſublime ſpiritu euectus, multa cœlorum edoctus myſteria, eccleſiæ futurū ſtatum prodidit ſcripto eo libro, quem Apocalypſis nomine habemus. *Prochor. cap. 10. 14. & 47. Hieron. aduerſus Iouinian. lib. 1. & commentar. in Matth. 20. Tertullian. præſcript. hæret.*

Cantica alternis choris in eccleſia primum à S. Ignatio inſtituta ſunt; is enim Antiochiæ ex viſione Angelorū alternis choris Deum collaudantium edoctus, eam canendi formam ſuæ eccleſiæ tradidit; quæ poſtmodum vbique recepta eſt, quam ideo S. Baſilius Spiritui ſancto inuentam aſcribit. *Socrat. 6. hiſtor. 8. Baſil. pro[illegible] pſalmos.*

Dauidis ſancti regis poſteros ad necem omnes conquiri imperator iuſſit, ne regnum Iudæi inſtaurarent; verùm cum ſanctiſſimæ Virginis Mariæ propinqui, qui Chriſto iam nomen dederant, ad imperatorem tracti, pauperes ſe profiterentur, & tributum ex agris paucis penſitantes, Chriſtiq; regnum, cui cognati eſſent, non terrenum eſſe docerent, vt viles ſpreti, dimiſſi ſunt, & perſecutio inhibita eſt. *Euſeb. 3. hiſtor. 12. & 17.*

Preces pro vita functis illis fieri ſolebant, qui dum viuerent, vitiis abſtinuiſſent, & pietati fuiſſent dediti; ad funus quoque adhi-

bebantur cantica gratioſa & mortui encomium, cum ſuperſtitum ad imitandum exhortatione. *Dionyſ. Areopag. Hierarch. eccleſ. cap. 7. Origen. hom. 12. in Ieremiam. Greg. Nazian. orat funebri. 7. Cæſarij fratris. Caniſius de Maria lib. 5. cap. 3.*

Hæreſes.

SAturninus magiſtrum Menandrum, & Baſilidem in praua doctrina imitatur. *Tertull. præſcript. aduerſus hæreſes.*

Ebion in oppido Pella, Chriſtianorum ex Iudæa aſylo, docet Chriſtum ex Maria hominem, non item Deum natum eſſe; legem Moyſi vult æquè, ac Euangelium obſeruari; ſacræ ſcripturæ libros nonnullos cancellat & reſecat: cum in balneo cum offendiſſet B. Iohannes, præter conſuetudinem illuc à ſpiritu inductus, è veſtigio vt peſtem fugiens, vitandos hæreticos demonſtrauit. *Irenæ. Epiph. hæreſi* 30.

CAP. XIII. NERVA *Imperator.*
Anno 98.

NERVA Cocceius ſenex, occiſo Domitiano XVIII. Septembris ſuſcepit imperium; in quo prudentia, æquitate, & moderatione ſingulari excelluit; Domitiani duras leges antiquauit; imperauit annum I. menſes IV. dies IX.

De eccleſia Chriſti.

Sanctus Iohannes euangeliſta rediit ab exilio Epheſum, liber dimiſſus ob reſciſſas Domitiani leges. *Hieron. catal.*

Continuata eſt perſecutio à Domitiano concitata nonnullis adhuc locis; *vt ex Martyrologiis colligi poteſt.*

Euangelio Chriſti longè per ciuitates, vicos, & agros diuulgato, omnis ætatis, omniſq; ordinis homines fidem, vocante Deo, amplexi ſunt; vt iam ethnicorum templa prope deſolata eſſent, ſacra illorum ſolēnia intermiſſa, & rariſſimus eſſet emptor victimarum. *Plinius epiſt. ad Traianum.*

CAP.

CAP. XIV. TRAIANVS *Imperator.*
Anno 100.

VLPIVS Traianus, mortuo 27. Ianuarij Nerua, à quo adoptatus fuerat, imperator, nomine maximarum virtutum in principe illuſtris, mirum in agendo, & viuendo modum quaſi quodam prudentiæ temperamento, libratum adhibebat; domi comis, continens, & quantum de ethnico dici fas eſt, ſanctus; foris benignus, liberalis, fortis in armis; animo nil niſi magnum, & imperij gloria dignum, cogitans; rebus Romanis prope perditis opportunè adfuit; imperium adeo non minuit, vt Germanis, Pannoniiſq; debellatis, & extremis Europę populis Scythis, Thracibus, Sarmatis ſubactis, tum in Aſia, Arabibus, Agarenis, Iberis ſupra Armeniam victis, finibuſq; Romanis, qua in ortum ſpectant, vſque ad Euphratē, nec minus in meridiem in Africa protenſis, auctiſſimum omnium, quæ apud veteres fuêre, imperiorum, ampliſſimumq; reddiderit; fueritq; ſub ipſo Romanum imperium non modo cæteris omnibus, ſed ſe ipſo etiam maius. Tres expeditiones ipſe ingentes ſuſcepit, in Pannonios; in Armenos; in Agarenos atque Iudæos; claſſem adhæc in mari rubro parauerat, qua Indos peteret; verùm cùm fatalis Romanorū ad ortum limes Aſſyria eſſet, re infecta periit miſerabili morbo in Cilicia: imperauit annos XIX. mēſes VI. dies XV.

Periiſſe omnes miſerè, qui Chriſtianos cruciatibus inſectati ſunt; Tertullianus ad Dei gloriam, iuſtitiamq; declarandā, libro ad Scapulam egregiè demonſtrat, & Conſtantinus Imperator ad ſanctorum cœtum apud Euſebium; vt proinde minus veriſimile ſit, quôd de Trajani redemptione, nullo firmo fundamento, fertur.

Roma virtutis, fortunæq; cæteroquin diſſidētium fulta fœdere, ſub regibus ſeptem agens, agrum intra octauum decimum lapidem ſubegit; ſub conſulibus domuit Italiam, Africam, Hiſpaniam, Galliam, Illyricum, Græciam, Macedoniam; deinde in Aſia Pontum, Armeniam minorem, Iudæam, Ciliciam, Syriam, adde & AEgyptum; poſtea verò ſub imperatoribus Cantabriam in Hiſpania, Britanniam, Rhetiam, Noricum, oram Rheni in Germania,

Pannoniam,Mœſiam,oram Danubij omnem,Armeniam maiorē, Meſopotamiam,Aſſyriam,Arabiamq; in poteſtatem redegit; quibus ex prouinciis regiis,& maximis imperium illud auguſtiſſimum extruxit quod immortali rerum geſtarum gloria etiam extrema hac mundi ſenecta apud omnes orbis terrarum nationes celebratur; limites ergo tandem Traiano Principe natura Romano imperio,quaſi vnius hominis curæ ſatis amplos, ad Occidentem dedit Oceanum Atlanticum,& Britannicum; ad Septentrionem vltimā Thulen,Rhenum,Danubium, Euxinum Pontum; ad Ortum Tygrim;ad Meridiem Arabiam felicem,AEthiopiam,& Atlantem.

Viri docti maximè hiſtorici, Suetonius Tranquillus; Lucius Florus;Cornelius Tacitus,Plinius Secundus iunior, Iulius Celſus, & Solinus celebrantur; & præ cæteris celeberrimus Plutarchus Cheronæus, quo pædagogo Traianus Imperator tam mirificè in virtute profeciſſe putatur.

De Eccleſia Chriſti.

SAnctus Iohannes euangeliſta quantùm ætate, tantùm Chriſti amore proficiebat; adeò vt extremo ſenio quicquid ſpiraret, aut doceret, diuinus amor eſſet; rogatus ab Aſiæ epiſcopis ad hæreſes negantes Chriſti diuinitatem retundendas, euangelium poſtremus ſcribit,quod vt diuinius præſtaret, ex Epheſo vrbe in ſolitudinem non longè,aſſumpto Prochoro Prothodiacono ſecedit; dies non paucos in orationibus,ieiuniis, & cœleſti comentatione ponit,audito tandem quaſi tonitrui per æthera ſonitu,ſtans ipſe ad diſcipulum,eia ſcribe,ait,& dictando incipit. In principio erat verbum,& quę ſequuntur. Chriſto diſcipulorum dilectiſſimus ad cœlorum gaudia vocatus eſt omnium poſtremus, anno Chriſti centeſimo primo; cum vocatus eſſet ad apoſtolatum adoleſcens; vixiſſet annos nonaginta tres. Vita verò functus, ac ſepultus Epheſi, creditur non immeritò etiam corpore in cœlum aſſumptus eſſe, tum propter ſingularem Domini in ipſum charitatem; tum propter ſanctam fidem in matrem virginem monſtratam; tum ex verbis Domini eum à corruptionis lege non obſcurè eximentibus, quæ ſunt; ſic eum volo manere,donec veniam: tum quòd ſepul-

chrum

chrum eius ſtatim recluſum, repertum inane eſt; tum quòd nullæ ſacrorum oſſium eius, quemadmodum ſanctorum aliorum, per eccleſias reliquiæ conſpiciantur. *Prochor.cap.46. Hieron. præfat. in Matth. & in catal. Niceph. 2. cap.42. Baron. tom. II.*

S. Polycarpus magna cū laude Aſiæ eccleſias moderatur, florētq; vnà ſanctiſſimi Apoſtolici viri Ignatius, qui Dominū Saluatorē in carne viderat; & Papias, tres beati Iohannis Euangeliſtæ diſcipuli, ſingularia primitiuæ eccleſiæ in oriente ornamenta, qui apoſtolorum doctrinam, & traditiones contra hæreticorum improbitatem firmiſſimè obſeruandas diligenter admonuerunt. *Hieron. catal. Euſeb. 2. hiſtor. 22. Ignat. in epiſtolis.*

Perſecutio tertia in Chriſti fideles à Traiano imperatore mouetur, quæ paſſim plurimos immani cruciatu abſorpſit; incepit imperij ipſius anno quinto, horruerunt etiā ipſi Prouinciarū præfecti tantam multitudinem, quæ ſe offerebat excruciandam, præſertim Arrius Antoninus in Aſia, & Plinius qui literis ad imperatorē ſcriptis effecit, vt ſaltem non inquirerentur, ſed occiderentur duntaxat delati. *Euſeb. Tertull. ad Scapul. Plin. epiſt. ad Traian.*

S. Simeon Cleophæ F. Chriſti Domini ſecundum ſanguinem propinquus Ieroſolymorum Antiſtes centum viginti annorum in crucem agitur. Ac fuêre Saluatoris beati cōſobrini, quos euangeliū fratres vocat, in hoc vſque tempus ſuperſtites, eccleſiis paſſim Præpoſiti; licet enim primò non crederent, vt eſt apud Iohannem, poſtea tamen in fidei gratiam conceſſiſſe eos ſcribit. *Hieron. aduerſus Heluidium. Euſeb. hiſtor. Ioan. 7.*

5 S. Anacletus.

S. ANACLETVS, Græcus Athenienſis à S. Petro presbyter ordinatus, quintus fit ſummus Pontifex, anno Chriſtiano 103. canones apoſtolicos aliquot innouat; nempe vt epiſcopi Apoſtolorū loco, presbyteri diſcipulorum eſſent; vt ſacrificium Dominici corporis, nec ſine miniſtrante, nec prophano loco fieret; vt epiſcopis ſepteni, aut quini diaconi feſtis celebribus in ſacro adeſſent; qui, & ſimul totus clerus ſacram communionem ſumerent. Idem ſanctos Chriſti fideles plurimis incommodis feſ-

ſos,benignè ſcriptis epiſtolis in Domino conſolatur, & ad mutuã charitatem adhortatur,beatorum martyrum, eorum videlicet qui aduerſa quæuis conſtanter perferrent, vt vitam pro Chriſto ponerent, corpora venerabilia decenti ſepultura condenda eſſe decernit; quem ad vſum cœmiteria inſtituit; ac martyrium ipſemet perfert,cum præfuiſſet annos IX. menſes III. dies X. *Anaclet. epiſt.1. & 2. & 3 Canones apoſt.8. Canus lib.3. theol.cap.5.*

6 S. Euariſtus.

S. EVARISTVS Syrus Bethlehemites,pont. max.anno 112. conſtituit liberos inconſultis parentibus coniugia non inire oportere, & ſponſos ſacerdotaliter de more apoſtolico,cum precibus, & oblationibus à ſacerdote benedici, poſtquàm biduo, vel triduo orationibus vacaſſent,& ſponſa congruo tẽpore cuſtodita eſſet; ita enim & bonã ſobolẽ generari,& placere coniuges in actibus ſuis Deo poſſe:præfuit annos IX. menſes III. *Euariſt. epiſt.*

Hæreſes.

HAEreſes dum maximi eccleſiæ proceres apoſtoli, & qui dominum viderant, audiuerántue diſcipuli, ſuperſtites fuêre, obortæ ſunt quidem hinc inde nonnullæ; ſed quæ apoſtolicæ præſentiæ ſplendorem nón ferentes , angulis ſe, & tectis continebant; deinde proſtituto pudore palàm erumpentes eccleſias non paucas vaſtauerunt,& longos fidelium ordines temerè illectos dedêre in præceps. *Hegeſipp. Euſeb. Canus 3.theol.cap.3.*

Lucianus Samoſatenus ſophiſta Atheos poſtquàm Chriſtianiſmum, & Chriſtum Dominum ſæpe, & contumelioſè inceſſiſſet,à canibus diſcerptus eſt. *Suidas, & Volaterran.*

CAP. XV. ADRIANVS, *Imperator.*

Anno 119.

AElius Adrianus,mortuo V. Auguſti Traiano,à quo conſobrinus adoptatus fuerat, ſingulari prudentia imperium pacatũ reddidit; prouincias vel maximè diſſitas omnes obiit cum exercitu;vrbi perutiles leges præſcripſit; Athenis bibliothecam inſtructiſſimã comparauit;viris doctis mirè delectatus,quòd doctus ipſe

eſſet,& aſtronomiæ peritus;cæterùm varius ingenio,& vafer,ſimul ad multa intentus,vno tempore ſcripſit, dictauit, audiuit, & fabulatus eſt cum amicis;memoria alta item,& tenaciſſima fuit. Membris demum omnibus acri dolore confectus, ſanguinis profluuio vita exceſſit,cum imperaſſet annos XX. menſes.XI.

Iudæi atrociſſimum bellum excitarunt extremis Traiani annis in AEgypto, & Cypro,ducibus Andrea, & Artemione; cæſa ſunt ab ipſis Romanorum,& Græcorum centena aliquot millia; adhæc à falſo Meſſia Barcocab ſeu Bar-Cozbas ad regnum Iſraëliticum inſtaurandum perſuaſi, Chriſtianos ob auxilia illis aduerſus imperatorem negata crudeliter paſſim excruciarunt; tandem ab Adriano cæſi, fugatiq; ſunt,& eodem bello per Fuluium Seuerum præfectum in Iudæa mille triginta vici, arces, oppida exuſta,& diruta ſunt. Iudæorum quinquaginta millia occiſa,reliqua multitudo in Hiſpaniam translata,quibus ſimul ciuitate Ieruſalem poſthac interdictũ eſt;quod poſtremũ, & grauiſſimũ Iudæorum excidium fuit.

Parthorum imperium per Orientem potentiſſimum erat hoc tempore ; his Traianus domitis, aut certè pacatis Parthenaſpaten regem dederat;verùm repulſo eo, & reuocatis ab Adriano ex Armenia,& Meſopotamia copiis præſidiariis, prouinciæ illæ Parthis acceſsère ; quibus aucti, penes eos, velut diuiſione orbis cum Romanis facta, orientis imperium fuit.

Viri docti Ptolomæus magnus aſtronomus, & geographus, Phauorinus, Dion, Dionyſius Mileſius, Phlegon chronographus florent.

De eccleſia Chriſti.

PErſecutio Chriſtianorum continuatur ab Adriano,quo tempore furor gentiliũ cùm ex plebe plurimos, tùm ſacri ordinis egregios,& ſanctiſſimos viros,ad martyrij gloriam vocauit. *Euſeb. in hiſtor. Niceph.*

Quadratus Athenarũ Epiſcopus,& Ariſtides philoſophus Chriſtianus libellos pro eccleſia apologeticos imperatori exhibent; ex quibus comperta fidelium innocentia ratus eſt fidelibus parcendum eſſe,perſuaſus quoque ab illuſtri viro Sereno Grannio legato. *Hier.catal. Euſeb.4.hiſt.3.& 9.*

S.ALE-

7 S.Alexā-der.

S. ALEXANDER, Rom. Pont. Max. anno 121. inſtituit vt pro more apoſtolorum in calice ſacrificij vinum miſceretur; vt luſtralis aqua in ſanctæ plebis vſum fieret; omnes vbique terrarum Chriſti fideles literis paternis ad vitæ euangelicæ perfectionem adhortatus, martyrio coronatus eſt, cum præfuiſſet annos X. menſes V. dies XX. *ex epiſt. Alexandri.*

8 S.Sixtus.

S. SIXTVS vel Xyſtus Romanus, pont. max. anno 132. docuit de ſummæ Trinitatis, & Deitatis vnius myſterio; ad ſacrificium altaris hymnum triſagion, ter ſanctus, cantari voluit; ac ſanguinem ſuũ pro Chriſti gloria aſſerenda profudit, cum præfuiſſet annos IX. menſes X. dies VIII. *Platina de vitis Pontificum.*

Ieruſalem Inſtaurata.

IEruſalem ſanctam vrbem AEmilius Adrianus nouam extruxit, & cinctam muris de ſe AEliam cognominauit, quo nomine in eccleſiaſtica hiſtoria crebro appellatur; antiquum tamē cum tempore nomen iterum conſecuta: in priſcam planè, qua prius ſteterat, aream eam poſuit, excluſo itidem mœnibus Caluariæ monte: nam vrbem nequaquam loco motam eſſe, à Iacobo Vitriaco Cardinali, ac Burcardo Alemanno diligentibus ſacrorum locorum indagatoribus exploratum eſt; & à nobis coràm ex locorum, & deſcriptionis Ioſephi inſpectione facile deprænhendi potuit; tametſi hoc noſtro æuo multum ei de latitudine deceſſerit, excluſis muro nunc vno ab latere monte Sion, ab altero Bezetha ſpacioſis areis: eam autem inſtauratam tum inhabitandam imperator permiſit Chriſtianis, verùm non ſine (vt putabat) ignominia religionis, poſito in rupe crucis loco, Iouis ſtatua, & ſuper ſepulchrum Domini, quod aggeſta humo, luto, & eluuie profundè opperuerat, putidæ Veneris marmoreo idolo, & in Bethlehem ſuper præſepe, Adonidis amaſij Veneris ſimulachro; quæ tamen Chriſtianos nequaquã à precibus, & laudibus diuinis ad ea loca perſoluendis auerterunt: ſtetit autem ea locorum ſanctorum facies centum octoginta annis,

nis, donec à Conſtantino omnia perpurgata: & montis Caluariæ loca muris cincta ſunt. *Oroſi. Hieron. ad Paul. & lib. de nominibus hebraicis, Burcard. lib. de Terra ſancta, parte 1. cap. 7.*

Hæreſes.

CErdon duos aſſerit Deos, bonum atque malum; Chriſtum nec verè hominē fuiſſe, nec paſſum eſſe; librosq; ſacræ ſcripturæ non omnes eſſe recipiendos. *de eo Iren. Hilar. Aug. de hæreſib.*

Valentinus à quo Gnoſtici originem ducunt, cum ingenio polleret, & eloquentia, quòd epiſcopatum fruſtrata ſpe non eſſet adeptus, ad expugnandam veritatem ſe conferens, Cerdonem ſecutus eſt; atque cum eſſet Platonicus multa præterea ex philoſophis, & poëtis impia ſomnia inuexit, pleroma, æonas triginta, filios Deitatis complures, & eiuſmodi portenta alia; Chtiſtum aiebat ſpiritale corpus de cœlo deferentem, quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem, ne humanitatem quidem: reſurrectionem carnis huius negabat, improbabatq; bibliorum ſacrorū libros nonnullos, qui clarius ipſum refellebant. *Tertull. de præſcript. & aduerſus Valentin. Epiphan. hæreſ. 31.*

Ptolomæus, Baſſus, Secundus, Colarbaſſus, Valentiani eadem ferè docent. *Tertull. Epiphan. hæreſi 36. 35. 33.*

CAP. XVI. ANTONINVS *Imperator.*

Anno 140.

ANTONINVS Pius X. Iulij mortuo Adriano, ab ipſo adoptatus quinquagenarius, bonitate, amore, & autoritate in pace imperium continuauit, nullo penitus bello geſto; ſubinde Scipionis illud dictitans, ſatius eſſe vnum ciuem conſeruare, quàm mille hoſtes perdere; aiebat etiam principatum non per ſeueritatem ſed à clementia auſpicandum eſſe; nihil inconſultis grauibus viris negotiorum egit; in egentes beneficus; otioſos in palatio, & aliâs ſtipendiis priuauit; imperauit vt alter Salomon perpetua pace annos. XXII. menſes VIII.

Viri docti Galenus Pergamenus medicorum coriphæus, Aria-

nus Nicomedienſis, Maximus Tyrius; Euſtathius, & Proclus philoſophi; Aulus Gellius, & Iuſtinus hiſtoricus.

De eccleſia Chriſti.

SAnctus Iuſtinus Palæſtinus primò Stoicus, peripatheticus, pythagoricus, & platonicus philoſophus, deinde Chriſtianus theologus, & martyr, Romæ docens, imperatorem exhibita ipſi, & ſenatui apologiis, deterret à Chriſtianis cruciandis; in earum poſteriori ad finem de ſacroſancta Euchariſtia, & eius tranſſubſtantione perſpicuè in hæc verba ſcribit; Non vt vulgarem panem, ait, & vulgarem calicem hæc ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Ieſus Chriſtus Seruator noſter, carnem, & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam per verbum precationis, & gratiarum actionis conſecratam ab ipſo alimoniam quæ tranſmutata noſtras nutrit carnes, & ſanguinem; illius incarnati Ieſu carnem, & ſanguinem eſſe didicimus; nam apoſtoli in ſuis ſcriptis, quæ vocantur Euangelia, ſic ſibi mandaſſe Ieſum tradiderunt. *Hæc Iuſtin. apolog. ad Antoninum.*

9 S. Theleſphorus.

S. THELESPHORVS Anachoreta Græcus, ſummus Pont. anno 142. quadrageſimam ob perſecutionem neglectam reſtituit; hymnum angelicum, Gloria in excelſis Deo. ad ſacrificium miſſæ addidit, & ſacrificium ipſum ter die natali domini fieri præcepit; paſſus itidem pro Chriſto necem; præfuit annos XI. menſes VIII. dies XXVII. *Platina.*

Quadrageſimam verò reſtituit Theleſphorus, non inſtituit primus; nam doctores eccleſiæ veteres ſanctiſſimi, & nominatim Hieronymus eam ab apoſtolis traditam commemorant; & meminêre eius iam ante Theleſphorum S. Ignatius, & canones apoſtolorum. *Hieron. ad Marcellam, Ignat. epiſt. ad Philip. Canon. apoſt. 68. Conſtit. apoſt. lib. 5. cap. 13.*

Sacra altaris myſteria, quibus Dominici corporis hoſtia Deo æterno offertur, multo honore, nec ante tertiam diei horam ſolebant fieri. *Platina.*

S. HY-

10 S. Hyginius.

S. HYGINIVS Athenienſis Græcus, ſummus Pontifex anno 154. monet ſuos ad humilitatem, imbecilles in fide docet benigno affectu ſuſcipiendos firmandosq́; ad infantulorum baptiſmata patrinos binos, ſaltem marem, aut fœminam aſciſcendos; tẽpla cultui diuino ſacris ritibus dedicanda; Atheniẽſes ſuos docet ſigillatim de alienis à fide vitandis, & ſceleribus fugiendis, martyrium pro Chriſti nomine obiit, cum præfuiſſet annos IV. *ex ipſius epiſtolis.*

Aquila Ponticus Græcus ſacrorum bibliorum interpres poſt LXXII. primus floret. *Hieron. catal. de ſcriptor. eccleſ.*

11 S. Pius.

S. PIVS Aquilegienſis ſummus Pont. anno 158. ſalutari fide paſſim incrementa capiente, ſacramenta maiore ceremoniarũ celebritate perfici, ac feſtũ paſchæ, quæſtione de eo tum primùm apud Laodiceam Aſiæ mota, die Dominico agendum eſſe curauit: conuentus, & eccleſiaſticas conciones, baptiſmum, ſacrificia myſtica, plerumq; in æde S. Potentianæ, quam dedicauerat Deo, habuit. Præfuit annos IX. menſes VI. *Platina.*

Mirus Chriſtianorum feruor in commune cernebatur; ij enim ait Tertullianus, ieiuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco, & cinere volutantes, inuidia cœlum tundebant, Deum tangebant, vt miſericordiam extorquerent; ac proinde communes clades leuiores accidebant, ex quo Chriſtianos à Deo orbis acceperat; quod & innocentia iniquitates ſæculi temperaret, & deprecatores Dei eſſe cæperant. *Tertull. apologet. Arnobius lib. 8.*

Qin ex pietate fideles, ſancti appellabantur; & Epiſcopi ſanctiſſimi, quod nomẽ ſummo Pontifici deinceps perpetuo manſit. *Concil. Epheſin. Euagri. 1. hiſtor. 4. Ambroſ. de dignit. ſacerdotum.*

Pœnitentiæ quoque ratio eò erat exactior; in promptu erat cõfeſſio delicti, ex qua ſatisfactionis conſilium petebatur; ea propter-

nendi, & humiliſicandi hominis diſciplina erat; eadem mandabat ſacco, & cinere incubare, & corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere; illa per quæ peccauit triſti tractatione mutare; paſtum, & potum pura noſſe; non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa; plerumque ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies, noctesq; ad Dominum Deum; presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari; omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. Verba ſunt Tertulliani illius ætatis teſtis; has nunc ſatisfactiones, contritiones, adde exhomologeſim, ſeu confeſſionem tanquàm hypocriſim recens introductam rident eccleſiæ aduerſarij, ſed quàm rectè, & verè ipſi viderint. *Tertull. lib. de pœnitent. & apologet. Iuſtin. martyr. apologet. 2. & quaſt. 97. ad orthodoxos.*

Hæreſes.

MArcion Ponticus è ſacris bibliis expungit vetus teſtamentũ; recipit vnum Lucæ Euangelium, & epiſtolas Pauli non omnes; Chriſtum verè hominem eſſe negat; matrimonium quaſi inceſtum damnat; id quod prædixerat apoſt. hic aliquando obviam veniens ſancto Polycarpo, ſciſcitatus eſt, agnoſcis nos? cui Polycarpus apoſtolico ſpiritu accenſus, reſpondit; agnoſco primogenitum Sathanæ: his verbis docens à Sathana emitti hæreticos. 1. *Timoth. 4. Tertull. lib. 5. aduerſus Marcion. Iuſtin. apol. 2. Hieron. catal. ſub Polycarpo, Euſeb. 4. hiſtor. 14. ex Irenæo lib. 3.*

Sectatores eius ſunt Lucianus, Caini ſeu Chaldæi, Archontij ex Ariſtotelis ſchola, Blaſtus, Florinus, Apelles, Photinus, Baſilitus, Præpon, Python, & Hermogenes hæretici; *de his Prateol. & Onuphr. & Epiphanius hæreſi* 44.

Heracleon, & Marcus Valentinum ſectantur, additis de ſuo nouis figmentis. *Euſeb. 4. hiſtor. 11. Epiphan. contra hær.* 34. 36.

Bardeſanes doctus, eloquens & in diſputando vehemens, primò hæreſes omnes confutat; deinde nouas ipſe comminiſcitur, quem imitatus eſt Harmonius filius. *Hier. catal. Epiphan. hæreſ.* 56.

Apoſtaſia gentium aliquot à Chriſti religione ad idola retraxit. *Merman. in theatro.*

CAP. XVII. ANTONINVS. *II. Imperator & LVCIVS VERVS Collega.*

Anno 163.

MARCVS Aurelius Antoninus Verus, philoſophus Pio VII. Martij mortuo adoptatus, Lucium Verum Antoninum fratrem, & eo mortuo Lucium commodum Antoninum filium primus imperij collegas aſſumpſit; ſolebat illud Platonis è quinto de republ. proferre, aut philoſophos regnare, aut reges philoſophari oportere, vt ſalua reſpublica eſſet; quare non exiguum ipſe tempus vacabat literis; ad arma nihilominus promptus, aduerſus Parthos, Armenos, Aſſyrios, & Germanorum Marcomannos, nũc Morauos, bellum mouit; exhauſtus pecunia aliquando, ſua & vxoria ornamenta, veſteſq; diſtraxit, & vendidit; conſumptus eſt tetro admodum morbo. Imperauit annos. XIX. dies XI.

Parthorum res debilitatæ ſunt opera imperatorum, qui de iis cæſis & victis triumpharunt.

Viri docti Macrobius, Athenæus, Appianus Alexandrinus florẽt.

De Eccleſia Chriſti.

12 S. Anicetus.

SAnctus ANICETVS Syrus, ſummus Pontifex anno 167. munus apoſtolicum martyrii gloria cumulauit; præfuit annos VIII. menſes IX. dies XXI. *Baron.*.

Vnanimem vbique, & eandem fidei conſenſionem apud quoſque reperit Hegeſippus dum ex Aſia Romam proficiſcens, doctrinam Epiſcoporum vbique indagauit; qui Romæ deinde primitiuæ eccleſiæ acta elucubrauit. *Hieron. catalog. Euſeb.* 4. *hiſt.* 21.

De Paſchate quæſtio creſcit, in eccleſiis orientalibus; cuius gratia S. Polycarpus ſumma in ſenectute maximæ autoritatis Romam mittitur ab eccleſiis, ea de controuerſia cum Pontifice acturus: illuſtre teſtimonium primariæ poteſtatis Romanæ eccleſiæ. *Hieron. in catalogo Euſeb.* 4. *hiſtor.* 14. *Duraus lib.* 10. *confutat. Vitakeri.*

13 S.Soter. S.SOTER Campanus,ſummus Pont.anno 175. præeſt eccleſiæ annos IV. *Baron.*

Quarta perſecutio Chriſtianorũ per Aſiam, Galliam, & Romæ mota eſt ab Antonino Vero, anno ipſius ſeptimo. *Euſeb. Onuphr. in faſtis, Tertullian. ad Scapulam.*

S. Polycarpus Iohannis auditor extrema ſenecta noctes, atque dies precibus pro omnium per orbem eccleſiarum pace vacabat; quo Romæ pro Chriſti nomine occiſo, oſſa eius, & reliquias pretioſas Chriſtiani ſingulari cum reuerentia condiderunt, diemq; martyrij illius annua feſtiuitate celebrabant: vt iam hinc ſanctorũ feſta, & reliquias in veneratione primis Chriſtianis fuiſſe, diſcant nouatores. *Euſeb. hiſtor. lib. 4. cap.* 15.

Milites Chriſtiani bello Marcomannico in ſummo ſqualore precibus à Deo & aquam cœlitus, & victoriam imperatori Antonino impetrauêre, fulminibus hoſte repreſſo; quapropter edicto ille cauit, ne Chriſtiani infeſtarentur vltra. *Tertull. apolog. Oroſius Euſeb. hiſtor.* 5 *cap.* 5.

Pynitus epiſcopus Gnoſiorum in Creta, indefeſſo labore & cura eccleſiæ ſuæ fideles inſtituit; nec minus Meliton epiſcopus Sardenſis, qui vnaque Apollinarius Hierapolitanus ſcripto Imperatorem de reprimenda perſecutione monuerunt. *Hieron. catal. Euſeb.* 4. *hiſtor.* 22. *&* 25.

S. Dionyſius Corinthiorum epiſcopus magna prudentiæ, induſtriæ, & eloquentiæ laude in excolenda eccleſia ſua, aliisq; per epiſtolas erudiendis floret. *Hieron. catal. Euſeb.* 4. *hiſt.* 22.

Flandri, & Picardi, tum Neruij, & Morini appellati, in fidei Chriſtianæ rudimẽta concedũt. *Mermannus in theatro conuerſion. gentiũ.*

S. Benignus à Polycarpo in Galliam ad prędicandum miſſus, ab infidelibus ex tonſura agnitus eſt ſacerdos; delatus apud regem, quod homines lauacro tingeret, balſamo inungeret (baptiſmum volebant ſignificare, & ſacrum chryſma) & quòd de vita beata poſt iſtam alia plebem doceret, martyrio affectus eſt. *Gregorius Turonen. de martyr. cap.* 15.

Ritus

Ritus eccleſiæ, & traditiones apoſtolicas aliquot Tertullianus, vt eas ab ineunte ætate obſeruari viderat, deſcribit his verbis; Vt à baptiſmate ingrediar, ait, aquam adituri ibidem, & aliquanto prius in eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit; inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus; exq; ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus: Euchariſtiæ ſacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus; oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, die dominico ieiunium nephas ducimus, vel de geniculis adorare; eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus; calicis, aut panis etiam noſtri aliquod decuti in terram anxiè patimur; ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia quacumque nos cõuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum huiuſmodi diſciplinarum ſi legem poſtules ſcripturarum, nullam inuenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. *Hæc Tertull. contra nouatorum impudentiam, libro de corona militis.*

14 S. Eleutherus.

S. ELEVTHERIVS Græcus, Pont. maxi. anno 179. apoſtolicos doctores in Angliam miſit Fugatiũ, & Damianum; contra Montaniſtas hæreticos tanquam ſummus pontifex, & epiſcopus epiſcoporum, quo eum nomine Tertullianus nuncupat, conſtanter ſanxit, & quidem peremptoriè; pœnitentibus de quocunque peccato nequaquam negandam eſſe gratiam remiſſionis: & contra Encratitas, nullum cibum per ſuperſtitionem damnandum eſſe. Præfuit annos XV. dies XXIII. *Tertull. de pudicitia, Beda de temp. Onuphrius in faſtis.*

Diſſen-

Diſſenſione in Aſia,& Phrygia exorta de Montani prophetia,defertur cauſa ad Eleutherium Romanum pontificem, conciliandæ pacis gratia. Negent aduerſarij nunc priſtinam Romanam autoritatem. *Euſeb.5.hiſtor.3.*

In Anglia rex baptiſmum ſuſcipit, & religio Chriſtiana palàm floret. *Beda; Polydor. Sanderus de ſchiſmat. anglicano lib.1.*

Chriſti fides eò iam progreſſa erat, vt ciuitatum penè maior pars paſſim Chriſtum Dominum coleret; tanto tamen ſilentio, vt dignoſci Chriſtiani, niſi ex modeſtia, & emendatione morum non poſſent: ethnicorum ritus,& ſacra ſummè vitabant, cæterum vitæ, & naturæ commercia cum illis communia habebant, forum, macellum, tabernas, officinas, ſtabula, nundinas; ſimul nauigabant, militabant, ruſticabantur, mercabantur, artes, operam vſui illorum publicabant. *Tertull. in apolog. & de idololatria, & ad Scapulam.*

Theodotion celebris interpres ſacra biblia ex Hebraico, Græcè vertit.

Hæreſes.

MOntanus ſeductor inſignis, Paracletum ſe venditabat, & prophetam, cum mulierculis Priſcilla,& Maximilla; damnabat ſecundas nuptias, negabat pœnitentiam vllam poſt baptiſmum peccantibus prodeſſe. *Epiphan. contra hæreſim 48.*

Eneratitæ, autore Tatiano, non ſecundas modò, ſed primas etiam nuptias, vt malas inſectabantur; panem & vinum, & animatorum eſum omnem vt abominandum aſpernabantur, quod futurum prædixerat S.Paulus. 1. *Timoth.4. vide Epiphan. hæreſi 47.*

Cataphrygæ, Pepuziani, Montanum ſequuntur & eius deliria.

Alogi, Aſcodrogytæ, Artotyritæ, qui mulieribus ſacerdotia demandabant, Paſchitæ, quartodecimani dicti, Adamiani & ſimiles partim Montanum ſequuntur, partim de ſuo noua ingerunt. *Nicephor. Epiphan. hæreſi 49. 51. & ſequent.*

CAP. XVIII. COMMODVS *Imperator.*

Anno 182.

MARCVS Aurelius Commodus, Antoninus 17. Martij mortuo

tuo Antonino Vero, Imperator, Neronem quàm potuit optimè expreſſit, hoſtis pietatis, parricida Senatus, Romam de ſe Commodam appellari voluit; periit ſtrangulatus, imperauit annos XII. menſes IX. dies XV. *De Eccleſia Dei.*

HAlcyonei in eccleſia ſunt anni, pacatis & repreſſis vbiq; ethnicorum ſanguinolentis furiis; per quos omnis generis hominum mentes ad religionem veram liberius adductæ ſunt, & eccleſia aucta. *Euſeb.* 5 *hiſt.* 19.

15. S. Victor.

S. VICTOR Afer ſummus Pontifex anno 194. Dominicũ Paſcha die Dominico pleniluniũ Martij ſubeunte agi vbiq; voluit, cuius rei gratia Aſiaticos diutius in diſſidio pertinaces cum ſeueritate excludere à communione voluit; demum ſanguinẽ pro Chriſti confeſſione teſtem fudit. Præfuit annos IX. menſes II. *Euſeb.* 5. *hiſt.* 21. 23. *Onuphr faſtis.*

In Africa diſcrepantes de diuinis ſacramentis epiſcopus Victor per literas ad conſenſum adduxit. *Vict. epiſt.* 5.

S. Irenæus Policarpi auditor eccleſiæ doctor & martyr, epiſcopus Lugdunẽſis in Gallia, ſucceſſor Photini nonagenarij martyris, magna nominis gloria per eccleſiam clareſcit, & aduerſus hæreſes dimicat ſcriptis feliciter. *Hieron. catal.*

In Paſchatis controuerſia Victor pontifex beati Irenæi monitu anathema intentatum Aſiaticis continuit; ac ſequutæ ſunt Synodi per orbem variæ, vt Romæ, in Paleſtina, in Ponto, in Gallia, quæ Victoris pont. ſententiæ omnes adhæsêre. *Euſeb. in hiſt.* 5. *cap.* 21. 23. *Duræus lib.* 10. *confutat.*

Epiſcopi celebres, Polycrates Epheſi, Theophilus Ceſareæ Paleſtinæ, Palmas Ponti, Bachylus Corinthi, Alexander Cappadociæ; & Romæ Apollonius ſenator ſcriptis, & martyrio illuſtris. *Hieron. Euſeb.* 5. *hiſt.* 21. 22.

In Gallia, Romæ, in Græcia, Aſia, & AEgypto integræ multitudines & familiæ totæ ad fidem amplectendam ſe Chriſto dedebant. *Niceph.* 5. *hiſt.* 2.

Biſuntij in Gallia primus epiſcopus inſtituitur S. Antidius. *Merman. theatro.*

Scotiæ rex Donaldus à Victore ſummo Pontifice ſacerdotes & fidei Chriſtianæ magiſtros petit. *Duræus lib. 10. confutation.*

Panthenus Alexandrinus doctor egregius, epiſcopi iuſſu in Indiam ad Gymnoſophiſtas contendit, Chriſtum prædicat, codicem Hebræum Euangelij ſecundum Matthæum à S. Bartholomæo illuc deportatum reperit. *Hieron. catalogo.*

Symmachus nobilis interpres, Græcam bibliorum verſionem ex Hebræo adornat.

Peregrinationes religioſæ frequenter Ieroſolymam ſuſceptæ ſunt, quo animo quoque eò venit Alexander epiſcopus ex Cappadocia. *Euſeb. 6 hiſtor. 10. Hieron. catal. ſcriptor.*

Hæreſes.

THeodotus ſumma vir eruditione Byzantij in Græcia cũ Chriſtum in perſecutione negaſſet, perfidiam ſcriptis defendere, quàm reuocare maluit: nec diſſimilia Artemon docuit; plures ille ſectatores nactus eſt, & à Victore pontifice à communione eiectus. *Epiphan. hæreſi 54. Euſeb. hiſtor. 5. cap. 25.*

Angelici, angelos Deo in cultu æquant.

Apoſtolici, & Apotactici Encratitas imitando inauditam apoſtolorum benè viuendi rationem profitentur. *Epiphan. hæreſi 61.*

Valeſij in Arabia ſectatores ſuos eunuchos faciunt, & plura introducunt turpia. *Idem Ephan. hæreſi 58.*

CAP. XIX. PERTINAX *Imperator.*

Anno 195.

HELVIUS Pertinax, occiſo Calend. Ianuarij Commodo, coactus imperium ſuſcepit ferè ſeptuagenarius: hic ruſticani liberti filius, grammatica doctor factus, poſtea vrbis præfectus, ac demum imperator, à Iuliano obtruncatus eſt, fortunæ pila appellatus. Imperauit menſes III.

De Eccleſia Chriſti.

CLemens Alexandrinus Pantheni ſucceſſor inſignis doctor eccleſiaſticus floret, itemq; Heraclius, Maximus, Candidus. *Hier. catal.*

CAP. XX. IVLIANVS *Imperator.*
Anno 195.

DIDIVS Iulianus genere, & iuris ſcientia nobilis, animo excelſo, & præcipiti, occiditur à Seuero cum imperaſſet menſes II. dies V.

De eccleſia Chriſti.

TErtullianus Afer presbyter Carthaginenſis, celeberrimus autor, & apoſtolicarum traditionum teſtis locupletiſſimus, acer, & vehemens ingenio, argumentis denſus, ſolidus, expeditus, eloquentia exquiſitus, quamquam durior, in omnibus gentilium, Iudæorum, atque ſacris diſciplinis verſatiſſimus, multa ſcripſit; deceptus verò à Montaniſtis in illorum errores incidit, ex quibus poſt modum, cum Eccleſię immutabilem, & indubitatam ſententiam cerneret, ſeſe extricauit; ſcripto aduerſus illos de pœnitentia libro; vbi ſecundā poſt baptiſmum pœnitentiam, quam Montanus damnabat, ex profeſſo docet, & propugnat. *Hieron. catal.*

CAP. XXI. SEVERVS *Imperator.*
Anno 195.

SEPTIMIVS Seuerus, ſublato Cal. Iunij Iuliano, imperium obtinuit; bellum omnino ſpirans, vehemens in vtramvis beneuolentiæ, odiiúe partem; in ſententia conſtans, tyrannos debellauit; Parthos, & Arabes vicit; aduerſa æquè, ac fœlicia expertus, in omni vitæ ſtatu; ad extremum profeſſus eſt, omnia fui, ſed nihil expedit; tandem deſtitutus à ſuis eſt in Gallia, imperauit annos. XVII. menſes VIII. dies III.

Peſcenius Niger in Aſia, & Albanus in Gallia Tyranni imperium per vim occupant.

De Eccleſia Chriſti.

16 S. Zephyrinus.

S. ZEPHYRINVS Romanus Pontifex anno 203. ſanxit in ſacerdotibus ordinandis delectum habendum, maximè morum & eruditionis; ad ſacrificium myſticum calices vitreos adhibēdos, ligneis repudiatis; Chriſti fideles omnes paſchali tempore ad ſacram ſynaxim adducendos. Præfuit annos XVIII. dies XVIII. *Platina, Iacob. Faber contra Anatomen Caluini.*

Perſecutio quinta à Seuero, ſeptimo ipſius anno indicitur, in Aegypto, & Africa cruentiſſima, licet ſacro oleo ipſe à Proculo Chriſti famulo inunctus ex morbo conualuiſſet, & Proculum vnà ſemper ſecum ſeruaret. *Euſeb. Tertull. ad Scapulam.*

Romæ Seuerus parcens nobilitati, quam Chriſtianam eſſe nouerat, cædibus temperauit; in Africa adeò ſæuitum eſt, vt Dominica ſolemnia, quibus ad Dei cultum conuenire ſolebant fideles, interdiu diſturbata, noctu habere neceſſe eſſet. *Tertull. ad Scap. & de fuga in perſecutione.*

Tantis, tamque immanibus cædibus cum eccleſia infeſtaretur, extirpari ipſa nullo modo potuit, illudq; potius compertum eſt, ſanguinem martyrum eccleſiæ ſemen fuiſſe. *Tertull. ibidē, & Apolog.*

Hereſes.

BErillus Boſtrenſis in Arabia pius epiſcopus in errores prolabitur; ergo qui ſtat videat ne cadat; reuocatur deinde ab Origene. *Hieron. catal. Euſeb. 6. hiſtor. 32.*

Arabici, & Proculus errores quoſdam fouent. *Euſeb. 6. hiſtor. 36. Auguſt. de hæreſibus.*

Natalius probatus Chriſti cōfeſſor, munerum & honorum pollicitatione à Theodotione hæretico perſuaſus, illius ſectæ epiſcopus fit; verū monitus per viſum à Deo, atq; ab angelis flagello cæſus, reſipiſcit, ſaccoq; & cinere opertus Romam contendit, vbi in lachrymas profuſus, ad pedes ſe Pontificis Zephyrini abiicit, vix veniam conſecutus. *Euſeb. 5. hiſtor. 25.*

CAP.

CAP. XXII. ANTONINVS *III. Imperator.*

Anno 213.

MARCVS Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla, Seuero patri 4. Februarij mortuo ſucceſſit, fratrem Getam imperij conſortem peremit; proinde diras vltrices paſſus in furorem actus eſt. Occidit etiam Papinianum Iuriſconſultum celebratiſſimum; pueros Alexandriæ vno die ferè omnes iugulauit; inter Chriſtianos ab ineunte ætate educatus licet, religioni multum infenſus fuit; occiſus eſt à ſuis, cum imperaſſet annos VI. menſes II. dies V.

De *Eccleſia Chriſti.*

PAtriarchæ fiunt Antiochiæ Aſclepiades; Ieroſolymis Alexander Cappadox. *Hieron. catal.*

CAP. XXIII. MACRINVS *Imperator &* DIADVMENVS *collega.*

Anno 219.

OPILIVS Macrinus, occiſo Caracalla 7. Aprilis, & eius filius Diadumenus ab exercitu imperatores ſalutati, occiduntur cum imperaſſent annum I. & menſes II.

De Eccleſia Chriſti.

17 S. Caliſtus.

S. CALISTVS Romanus Pont. max. anno 221. ieiunia quæ vocantur quatuor temporum inſtituit; vt cum ordinandi eſſent ad ſacrum munus presbyteri, oratio prius cum ieiunio ad Deum fieret; ſanctis martyribus cœmiterium memorabile illud Calixti cognomine aſſignauit, de quo præclarè S. Hieronymus ſcribit: martyrium demũ pro Chriſti nomine ſubiit, cum præfuiſſet annos V. menſem I. dies XIII. *Platin. Onuph. de ritu ſepeliendi cap. 12. Blondus Roma inſtaurata lib. 3. cap. 96. Hier. in cap. 4 Ezechiel.*

CAP. XXIV. HELIOGABALVS *Imperator.*

Anno 220.

AVRELIVS Antoninus Heliogabalus, ex Caracalla nothus, Macrino ſeptimo Iunij occiſo, ſpurciſſimam in imperio

vitam egit. Imperauit annos III. menſes IX. dies IV.

De Eccleſia Christi.

SAnctus Hippolytus Portuenſis epiſcopus & martyr, ſimulq; Iulius Africanus ſcriptis celebres ſunt. *Hieron. catal.*

S. Pontamiena virgo martyrio coronata Deum in cœlo pro Baſilide milite precatur, fidei, martyrijq; gratiam ei impetrat. *Euſeb. hiſtor. 6. cap. 4.*

Origenes Adamantinus eccleſiarum magiſter, & chriſtianæ Philoſophiæ dux, ſummi ingenij, ſtudij ſuper omnes mortales indefeſſi primum Alexandriæ, dein Romę, in Aſia, & Europa latè floret, ſcripſit ſex millia librorum; Biblia hexapla, & octapla adornauit diuerſis linguis; obiit Tyri in Syria, de eo plura poſtea. *Hieron. paſſim. Euſeb. 6. hiſtor. libro toto. Epiphan. de ponderibus, & hæreſ. 64.*

Hæreſes.

CElſus philoſophus impius, chriſtianam religionem ſuggillat, & ſcriptis traducit, quē confutauit Origines. *Hier. in epiſtolis.*

Aſclepiadotus, & Metangiſmonitæ, hæreſum dogmatibus ſe item inuoluunt. *Euſeb. 5. hiſt. cap. vltimo. Auguſt. de hæreſ.*

CAP. XXV. ALEXANDER *Imperator.*
Anno 224.

ALEXANDER Seuerus Caracallæ fil. 10. Martij Heliogabalo occiſo, imperium ſuſcepit, anno ætatis duodecimo; in conſilium adhibuit viros prudentia graues, præcipuè Vlpianum Iuriſconſultum; bella geſſit grauia contra Perſas, Mauritanos, Armenos, Dalmatas; occubuit Moguntiæ in bello Germanico, imperauit cum laude annos XIII. dies. IX.

PERSARVM regnum, deleto Parthico, in Aſia oritur hac ratione; Artaxerxes nobilis Perſa contractis copiis Artabanum Parthorum regem expugnat, & occidit; eum verò nouum regnum molientem, & auctum copiis imperator vincit quidem, ſed non delet; quare digreſſo imperatore Artaxerxes ipſe vires reparat, nouumq; Perſarum regnum, quod orientis ſub imperio Romano ſecundum

cundum eſt, inchoat, anno Alexandri quarto; quo tempore Parthorum regnum finitum eſt; quod iam vſque ab Alexandri Magni monarchia ſteterat.

De Eccleſia Chriſti.

18 S. Vrbanus.

S. VRBANVS Romanus pont. maxi. anno 226. bona eccleſiæ poſthac non diuendenda; ſed ad annuos prouentus ſeruanda decreuit; ad altaris myſteria calices argenteos adhibuit; cultus Dei ſolemnia ob infidelium petulantiam in cryptis ſubterraneis, & cœmiterio Calixti habuit; martyrij gloriã vitæ exitu conſecutus. Præfuit annos VI. menſes VII. dies IV. *Vrban. Plati. Merman. Faber. contra Caluini anatomen.*

Imperator ethnicus licet, Chriſtianis plurimum virtutis amore fauebat: ac voluit Mammea ipſius mater quoque Originem audire; ille verò etiam Chriſtum in diuorum numero habuit: Præfecti tamen ipſius, inſtigatore maximè Domitio Vlpiano in Chriſti famulos & fideles admodum ſæuierunt. *Lamprid. in Alexand. Galeſin. martyrolog. 2. Martij, Lactant. lib. 5. cap. 11. Euſeb. 6. hiſt. 20.*

S. Cæcilia virgo Romana, SS. Tiburtius, Valerianus, Maximus nobiles ciues Romani martyrio coronantur. *Onuphr. in faſtis.*

19 S. Pontianus.

S. PONTIANVS, Romanus pont. maxi. anno 233. Chriſti fideles hortatus eſt ad animi puritatem, & innocentiam; epiſcopos ad animi demiſſionem, ouium curam, & oppreſſorum leuamen; per inuidiam pulſus in exilium. Præfuit annos IV. menſes IV. dies XXIV. *Pontian. epiſt. Onuphr.*

In Arabia ſtudio, & opera Origenis, qui à Demetrio patriarcha Alexandrino eò miſſus erat, ſancta euangelij religio palam exercetur; id quod alibi per ethnicorum ferociam non licebat. *Euſebius 6. hiſt. 19.*

Hæreſes.

HElcheſaitæ cum Ebione Moſaicam legem obſeruant, epiſtolas S. Pauli explodũt; Chriſtum in tormentis oretenus poſſe

præter

præter ſcrupulum negari,docent. *Epiphan.hær.53. Euſeb.6.hiſt.37.*

Melchiſedechiani ſacerdotem ſummũ Melchiſedech ſupra humanam naturam colunt. *Epiphan.contra hæreſim55.*

CAP. XXVI. MAXIMINVS *Imperator.*
Anno 237.

IVLIVS Maximinus,occiſo 17. Aprilis Alexandro, imperium cum filio Maximino obtinuit; ex gregario milite eò prouectus; vaſtus corpore octo pedum longitudinem excedente; animo etiã in inſontes crudelis, imperauit annos III.

De Eccleſia Chriſti.

PErſecutio ſexta Chriſtianorum Maximini imperio cæpta eſt,& cæde ipſius finita;qui quidem epiſcopos, & presbyteros, doctoresq́; & præſides eccleſiarum præcipuè inſectatus eſt, vt ſublatis de medio paſtoribus, facilius gregem dominicum diſpergeret, & enecaret. *Euſeb.6 hiſt.25.*

20 S. Anterus.

S. ANTERVS. Græcus pont. max. anno 237 in Sardinia electus Romam veniens martyrio ſublatus eſt, præfuit menſem vnum. *Onuph.faſtis.*

21 S. Fabianus.

S.FABIANVS Romanus pont.max.anno 238. columbæ candidæ,in populi frequentia capiti ipſius inſidentis, indicio electus, Chriſtum magiſtrum in vita ſalutari doctrina, & pietate; in morte fuſo ſanguine imitatus eſt. Præfuit annos XV. dies IV. *Platina. Euſeb.6.hiſt.28.*

S. Gregorius Neocæſarienſis epiſcopus in Ponto,elegans eccleſiæ lumen, miraculum mundi; Thaumaturgus cognomine, apoſtolici animi, & magnæ fidei, amnes profluentes retorſit, montes tranſpoſuit; in pietatis doctrina tam ſedulus, vt cum initio epiſcopatus ſeptendecim Chriſtianos in ſua eccleſia reperiſſet, è vita migrans ſeptendecim tantum reliquos habuerit infideles; cæteris omnibus

mnibus ad Chriſtum conuerſis; ac floruit deinceps multos annos eccleſia illa illuſtrium gloria epiſcoporum. *Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 29. & epiſtola. 62. Gregorius Niſſenus in eius vita.*

Schola fuit Alexandriæ tùm Philoſophiæ, tùm ſacræ theologiæ, ab ætate beati Marci doctoris theodidacti acutiſſima, & florentiſſima; in qua incredibilis ingenij magnitudine, exquiſitaq; doctrina viri plures ordine claruêre; Panthenus, Clemens, Origenes, Heraclas, Dionyſius, aliiq; ; ac videre in ea erat exercitium ſcholaſticæ Theologiæ, quæ ne apud veteres quidem ignota fuit, non ſpinoſis quidem quæſtionibus, quarum alia aliam in infinitum gignit, ſed grauibus, & ſacrarum ſcripturarum vi egregiè, & ingenij acumine modeſtè tractatis; quæ non argutos ſolum, ſed rerum ſacrarum pondere abſolutè inſtructos produceret doctores; quorum vires aduerſus hæreſum infeſtas phalanges poſtmodum ſumma cum admiratione perſpectæ fuêre. *Hieron. in catal. Euſeb. 6. hiſt. Canus de Theol. locis.*

Hæreſes.

ORigenes oblatum aliquando codicem aperiens, vt ſcripturam explanaret, cum in verba Salomonis incidiſſet, In multiloquio non deerit peccatum. Prouerb. 10. vehementer animo cōſternatus eſt, quod tot, tantaq; elucubraſſet; nec immeritò, ingenio enim excelſo, & in ſcripturis quaſi luxurianti nimium indulgens, peramplam ſuis libris ſuggeſſerat hæreſibus proteruè docendi ocaſionem, maximè Arrianis, aliiſq; , qui ab eo poſtea ſunt appellati Origeniſtæ: quod agnoſcens ipſe in Syria ad ſummum Pontificem Romanum de venia conſequenda ſcripſit, dolens admodum de erroribus excitatis; cuius rei verba B. Hieronymi hæc ſunt. Ipſe Origenes in epiſtola quam ſcripſit ad Fabianum Romanæ vrbis epiſcopum pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit. Quàm benè igitur cum Caluino, Luthero, aliiſq; actum eſſet, ſi vel hac in re per veteris eccleſiæ veſtigia incedere voluiſſent. *Hier. epiſt. de erroribus Origenis ad Pammachium & Oceanum. Suidas. Epiphan. hæreſi 64.*

CAP. XXVII. BALBINVS *Imperator,*
& PVPIENVS *Collega.*
Anno 240.

COELIVS Balbinus & Clodius Pupienus, interfectis Maximinis, imperarunt ſimul annum I. non expletum.

De Eccleſia Chriſti.

AMmonius Alexandrinus, Minutius Felix, Iulianus Africanus, Tryphō Origenis auditor, Methodius epiſcopus Tyrius ſcriptores eccleſiaſtici florent. *Hieron. catal.*

Miracula his temporibus varia narrat S. Cyprianus, quæ inter Chriſtianos in perſecutione inconſtantes acciderunt. Quidam quamprimum in Capitolio Chriſtum negaſſet, obmutuit. Mulier quædam cum arcam in qua ſacroſancta Euchariſtia corporis Dominici ſeruabatur, indignis manibus tentaſſet aperire, igne inde emicante repulſa eſt. Alius cura per communionem ethnicæ ſuperſtitionis pollutus, ſub ſanctæ miſſæ ſacrificio Euchariſtiam cum aliis Chriſtianis vellet accipere, euanuit corporis Dominici diuina præſentia, cinere in manu eius reliquo. Sed hæc eius verba ſunt; Et quidā alius, ait, & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum exteris auſus eſt latenter accipere; ſanctum Dei edere, & tractare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit; & documento vnius oſtenſum eſt, dominum recedere cum negatur; nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, cum gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente, mutetur.

Quid his facias igitur, qui negant vllum de Euchariſtiæ veritate miraculum apud veteres extare, vt ſunt Zuingliani libro confeſſionis fidei aduerſus Lutherum, ſecunda parte: ij enim aut veteres eccleſiæ doctores non legerunt; negantq; quod compertum non habent; quod impudentiæ eſt; aut ſi legerunt, negant agnitam veritatem, quod extremæ eſt impietatis. *S. Cyprian. libro de lapſis.*

Hæreſes.

POrphyrius Siculus philoſophus Athenienſis, quòd à quibuſdam Chriſtianis eſſet Cæſareæ verberibus affectus, apoſtata ex Chri-

ex Chriſtiano factus eſt paganus; blaſphemus admodum, & Chriſtianorum terror publicus, ſummaq; petulantia inuectus eſt in ſacros prophetas, apoſtolos, & euangeliſtas; adhæc in Chriſti Domini vitam, & doctrinam: quem ex eccleſia præſtantes viri plures, vt Origenes, Methodius, Euſebius, & Apollinarius egregiè confutarunt: contra verò Libanius ſophiſta eum vt ſenem venerandum Tyrium, & quaſi Deum tutatus eſt. *Hieron. epiſt. ad Magnum Niceph.* 10 *hiſt.* 36. *&* 5.13.

CAP. XXVIII. GORDIANVS *Imperator.*

Anno 240.

GORDIANVS Senior cum filio imperium occupauerat, occiſis Maximinis, quibus tamē ſublatis Balbinus, & Pupienus ſucceſſerant; his deinde trucidatis menſe Iunio imperium occupauit Antonius Gordianus ſenioris nepos, qui quidem aduerſus Perſas feliciter pugnauit, vrbibus pleriſq; receptis, & victo rege Sapore; verùm cum Saporis filium obſidem receptum per nephas ſtrāgulaſſet, à ſucceſſore Philippo ipſe quoque occiſus eſt, cum imperaſſet annos VI. circiter.

De Eccleſia Chriſti.

SAnctus Babylas epiſcopus Antiochenus illuſtris Chriſti martyr adduci non potuit, vt Gordianum imperatorem ad eccleſiæ ſolemnia intromitteret; captus itaque & catenis vinctus vitam pro Chriſti gloria vindicanda poſuit; præcipiens vt ſimul catenæ cum ipſo tumularentur, ne magiſtri Chriſti vinculorum erubeſcere videretur; miracula ad eius ſepulchrum crebra Dominus præbuit; ac venêre eò Chriſti fideles religionis ergo vndequaque frequentiſſimi, peregrinationibus iam tum in eccleſia piè vſitatis. *Chryſoſt. de S. Babyla aduerſus gentiles.*

Synodus celebratur Philadelphiæ, & altera Alberæ in Arabiæ ciuitatibus. *Onuphrius in faſtis.*

Hæreſes.

NOëtus in Aſia Moyſen ſe venditat, fratre ſuo Aarone

appellato, perſonas in Trinitate negat; docetq; eundem Chriſtum eſſe & Filium, & Patrem, & Spiritum ſanctum. *Epiphan. hær.* 57.

CAP. XXIX. PHILIPPVS *Imperator.* *Anno* 246.

MARCVS Iulius Philippus Arabs, Gordiano menſe Martio occiſo, cum Philippo filio Cæſare, primus imperator Chriſtianus fuit, & ea propter à Decio ſucceſſore occiſus eſt, cum imperaſſet annos VII menſes aliquot.

Herodianus hiſtoricus floret.

De Eccleſia Chriſti.

PHilippus imperator nocte reſurrectionis Dominicæ ob cædem præceſſoris, à Pontifice Fabiano ab eccleſiæ communione tamdiu eſt excluſus, dum ad pœnitentium ordinem ſe recepiſſet, & lachrymis crimen confeſſus eſſet; quod imperator magna animi ſubmiſſione præſtitit. *Euſeb.* 6. *hiſt* 33. *Oroſius: Hieron. catal. in Origene.*

Milleſimus vrbis Romæ annus in Philippi principatum incidit; quem quod Chriſtianus eſſet ludis quidem ſæcularibus, pompa, ac magnificẽtia inaudita celebrauit, ſed reſpiciente gloriam Chriſti magis, quam Iouis Capitolini, cui victimam cædi nullam paſſus eſt. *Oroſ.* 1. *hiſtor.* 20.

Philippus ſeueritate Pontificis non tam offenſus, quàm ſalutariter emendatus, theſaurum regium Fabiano Pontifici ad eccleſiæ vſum donat, cuius facti inuidia à Decio trucidatur, cum filio Quirino, *de quo Prudentius, & Chronicon Bergomatis.*

Hæreſes.

NOuatus Carthaginenſis presbyter, à quo Catharri, ſeu Nouatiani hæretici orti ſunt, docet lapſos poſt baptiſmum in peccata, aut Chriſtum in tormentis negantes, inuitari quidem debere ad pœnitentiam; verùm remiſſionem non à ſacerdotibus, ſed à Deo ſolùm petendam eſſe: à quo Lutherani didicerunt negare abſoluendi in eccleſiá poteſtatem, contra expreſſum Dei verbum; dicente Domino; Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

eis. Iohan. 20. Quam poteſtatem hęreticis impiè reclamantibus eccleſia Dei ſemper ſeruauit, exercuitq;: vt de priſcis illis temporibus perſpicuè teſtificatur S. Cyprianus, qui cum Nouati tempore viueret, in hæc verba de confeſſione, de remiſſione ſiue abſolutione ſacerdotis, & ſatisfactione ſcripſit; Confiteantur, ait, ſinguli, quæſo vos fratres delictum ſuum, dū adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dū admitti eius confeſſio poteſt, dūm ſatisfactio, & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt. *Cypr. lib. de lapſis. Euſeb. 6. hiſt. 42. Socrates 1. hiſt. 7. Sozomen. 1. hiſtor. 21.*

CAP. XXX. DECIVS *Imperator.*

Anno 253.

TRAIANVS Decius, occiſis per ſcelus Philippis Auguſtis, imperium cum filio Decio, conſequitur; contra Gothos pugnat infeliciter, & ab eis fuſus, cæſusq; eſt cum filio, cum imperaſſet annum I. menſes III.

Gothorum nomen primùm auditur, quorum trecenta millia imperium inuaſêre.

Romani imperij inclinatio cœpit ſtâtim à milleſimo vrbis anno ſub Decio tyranno, qui imperatorum primus ab hoſte turpiter in fugam actus, & cæſus eſt; & Armenia maior ab imperio ad Saporem Perſiæ regem defecit.

De *Eccleſia Chriſti.*

PErſecutio ſeptima & crudeliſſima Decio tyranno autore exercetur, qua ſimul copiæ chriſtianorum ingentes contrucidatæ ſunt, & exquiſita tormenta excogitata. *Ex Martyrologijs.*

Pòſt Fabiani Pontificis necem vacauit Romana cathedra ob paganorum atrociſſimas furias, amplius annum vnum. *Baron. Annal.*

S. Tryphon apud Germanos in Saxonia Chriſtianæ fidei myſteria docet, vbi adhuc eius memoria nonnulla viget. *Galeſin. martyrol.*

22 S. Cornelius.

S. CORNELIVS Romanus pont.max.anno 254. ſingulari amicitia D. Cypriano iunctus fuit, acceptis ab ipſo ſæpè pulcherrimis de eccleſiæ ſtatu epiſtolis; in exilium actus reuocatus eſt, & martyrij lauream adeptus. Præfuit eccleſiæ annum I. menſes aliquot. *Cypr.l.b.1.epiſt.4.3.& lib.2 & lib.3.*

Romæ tum, licet ſub ethnicis principibus, erant presbyteri, diaconi, aliiq; eccleſiaſtici ordinis centum quinquaginta quatuor. *Euſeb.6. hiſt.42.*

Armeniæ Chriſtiani, qui frequentiſſimi erant, ob prouinciæ ad Perſas defectionem grauiſſimis affecti ſunt incommodis; vt enim Armeni libenter Chriſto ſemper adhæſerunt, ita Perſæ hoſtes ſe fidei perpetuò præſtiterunt. *ex hiſt.eccleſ.*

Hæreſes.

NOuatianus presbyter Romanus excluſus à Pontificatu, quem mortuo Fabiano aſſequi ſperauerat, ad Nouati hæretici partes ſe transfert, epiſcopum ipſe ſe conſtituit, & ſchiſma ingens excitat; cuius in temeritatem, & arrogantiam inuectus eſt ex Africa Cyprianus, ex AEgypto Dionyſius: aitque inter cætera ille; Nouatianus in eccleſia non eſt, nec epiſcopus computari poteſt, qui euãgelica, & apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſe ipſo ordinatus eſt; habere namque aut tenere eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in eccleſia non eſt. Quod idem ſibi Lutherus, & Zuinglius, Caluinuſq; dictum putent. *Cyprian. 1. lib. epiſt. 6. & aliâs. Euſeb. 6. hiſtor. 42. Bellarmin. 2. Pontific. 5.*

CAP. XXXI. GALLVS *Imperator.*

Anno 254.

TREBONIANVS Gallus, cum Vibio Voluſiano filio imperator, imperatum ſibi tributum, turpi Romanorum nota Gothis pendit; qui quidem ſecundus inclinationis rerum fuit gradus; occiditur vnà cum filio à ſuis, cum imperaſſet annos circiter III.

De

De Eccleſia Chriſti.

SANCTVS Cyprianus epiſcopus Carthaginenſis beatiſſimus martyr Chriſti, Africæ deliciæ, ſuauiſſimus doctor eccleſiæ, admirabili cùm ingenij & eloquentiæ, tùm ſolicitudinis eccleſiaſticę, & vitæ puritatis laude per orbem floret; erat ingenio ait Lactantius facili, copioſo, ſuaui, & (quæ ſermonis maxima virtus eſt) aperto; vt diſcernere nequeas, vtrumnè ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit; opes ſuas, vt ad Chriſti imitationem expeditior eſſet, elargitus eſt pauperibus; & epiſcopus factus, poſt impenſam omnem in paſcendo grege dominico operam, etiam vitam in martyrio poſuit, anno 259. ſub Valeriano Imp. poſtquā in epiſcopatu vixiſſet annos 10. menſes aliquot. Huius eo chariora nobis eſſe debent ſcripta, quòd Catholicam fidem, quam nunc vituperant, & reijciunt criminatores, tantopere illuſtrant. *Ex Cypr. ſcript. Lactan. 5 cap. 10. Hieron. catal.*

23 S. Lucius.

S. LVCIVS Romanus pont. max. anno 255. conſolatorias literas in Galliam, & Hiſpaniam ſcripſit, exilium paſſus, & reſtitutus, Cyprianum in vinculis conſolatus eſt, ad quem etiam viciſſim Cyprianus ſcripſit, poſtea & ipſe martyrium Chriſto fecit. Præfuit annos. II. *epiſt. Lucij. Cyprian. lib. 3. epiſt. 1. & 3.*

SS Paulus, Ammon. Antonius primi eremitæ, ſpreta mundi vita, deſerta AEgypti petūt, vitam monaſticam acturi. Paulus à quintodecimo anno ætatis ad tredecimum ſupra centeſimum in eo, incredibili abſtinentia, & animi cum Deo coniunctione vixit, nulli hominum præterquàm Antonio, paulo ante exitum notus, à quo poſtea redeunte corpus eius exanime eſt repertum, fixis in terram genibus, erecta ceruice, manibus in ſublime extētis, quaſi mortuus Deo adhuc viueret. Ammonem ſenem admodum alia in regione cœleſti vita functum idem vidit in cœlum recipi, lætis angelorum choris ſtipatum. Antonius miraculis notior ad centeſimum quintum ætatis annum, qui in Conſtantini incidit principatum, peruenit. *lege Hieron. de vita Pauli; Athanaſium de vita Antonij.*

Mon-

Monaſticam verò vitam iam ante per AEgyptum plures, ab vrbibus,& vicis remotos egiſſe refert *eodem lib. Athanaſius.*

Hæreſes.

ANabaptiſmum eorum, qui ex hæreſi ad eccleſiam redibant introducere nitebatur Agrippinus Carthaginis nuper epiſcopus,& vnà plurimi in Africa epiſcopi, in quem deinde impegit quoque Cyprianus,quem beatus Auguſtinus excuſat; aitq́;,ſi quid in eo purgandum fuerit, charitatis luce fugatum, & martyrij falce amputatum eſſe. Mirum autem non eſt Cyprianum ea in re erraſſe, vt & Tertullianum in aliis, & Originem; quod temporibus illis propter perſecutionum procellas celebrari non poſſent concilia vniuerſalia, quibus plena, ſolidaq́; autoritate dubia definirentur, erroriſq́; occaſio priuatis hominibus amputaretur. *Auguſt. de baptiſmo contra Donatiſt. lib. 1. ad finem, & epiſt. 48. ad Vincentium. Cyprian. ad Iubaianum, & ad Pompeium.*

CAP. XXXII. VALERIANVS *Imperator, & Gallienus collega.*

Anno 257.

LICINIVS Aurelius Valerianus ſtupidus & iners cum Gallieno collega imperat infeliciter, à Sapore Perſarum rege captus,& indignè habitus cum imperaret iam anno VII.

AVRELIVS Licinius Gallienus Valeriani fil. aſſumpto fratre Valeriano,& filio Gallieno Cæſaribus,cum ſupina ſocordia res adminiſtraret, in tantum contemptum venit, vt tyranni triginta imperium aduerſus ipſum affectarent; occiditur à ſuis,cum omnino imperaſſet annos XII.

Franci Poſthumium imp. contempto Gallieno, appellant, quo victo regionem Galliam omnem vſque in Italiam populantur.

Gothi in Europa Macedoniam,& Græciam, adhæc Pontum & Aſiam vaſtant, ſuntq́; ſub iſtis imperatoribus imperij vires admodum labefactatæ.

Odenatus rex Palmyrenorum Orientis imperium Perſis eripit, quo per dolum occiſo,regnum adminiſtrat vxor eius Zenobia celebris regina.

De Eccleſia Chriſti.

PErſecutio octaua ſub Liciniis in Chriſtianam plebem graſſata eſt, quam tamen Gallienus, perſpecta emergente clade, per legem repreſſit *Euſeb. 7. hiſt. 9. & 12.*

24 S. Stephanus.

S. STEPHANVS Romanus pont. max. anno 257. vetuit ſacrata Deo vaſa, veſtesq; ad prophanos vſus adhiberi; errorem de anabaptiſmo ex hæreſi redeuntium ſuppreſſit, & reſtinxit; ſcriptis ſolita eccleſiæ Romanæ grauitate ad epiſcopos Africæ literis; in eccleſia nihil innouandum eſſe, ſed ſeruandũ quod traditum eſt; ſimulq; Aſiæ epiſcopos, ne prauam illam opinionem defenderent, deterruit anathemate; ita effectum eſt, vt optimi quique Stephani ſanum iudicium ſint ſequuti; quo nomine ei Dionyſius Alexandrinus Patriarcha eſt per literas gratulatus; tandem martyrio conſtanter facto cæſus eſt, cum præfuiſſet annos III. menſes. III. dies XXII. exemplum illuſtre ſummæ & vniuerſalis poteſtatis pontificis Romani. *Euſeb. 7. hiſt 2. 3. & 4. Cyprian. epiſt. ad Iubaianũ & Pompeiũ. Vincentius Lyrenenſis contra hæreſes. Platina.*

Septentrionales populi Scandiæ fidem Chriſtianam primum edocentur. *Mermannus theatro.*

25 S. Sixtus. II.

S. SIXTVS II. Athenienſis Græcus ſummus pont. anno 260. poſt piè adminiſtratam eccleſiam cum S. Laurentio Archidiacono martyrium fecit. Præfuit menſes XI. dies XIII. *Ambroſ. 1. officior. cap. 41.*

Ad ſacrum corporis & ſanguinis Dominici ſacrificium Miſſæ, cui in ſeruiendo S. Laurentius leuita Sixto vacabat, argenteis, aureisq; calicibus, candelabris, vaſibusq; aliis, adhæc cereis, & lucernis vtebantur. *Prudentius de Laurentio.*

Chriſtiana religio ex hominum commixtione, qua ex Romano imperio capti ſacerdotes, militesq; in barbararum gentium poteſtatem veniebant incrementa varia fecit, dum à captiuis barbari in fide inſtituuntur. *Merm. theat. Sozom. 2. hiſt. cap. 5.*

Gothi hac eadem via primùm Chriſti ſalutarem doctrinam didicerunt; nam longè ante Valentis principatum eos Chriſtum Saluatorem in notitia habuiſſe, & quidem incorrupta fide, vel ex eo liquet; quod Vlphilam, ſeu Theophilum epiſcopum in Concilio Niceno præſentem habuerunt. *Socrat. 2. hiſt. 32.*

26 S. Dionyſius.

S. DIONYSIVS Monachus pont. max. anno 261. Præſuit annos XI. menſes III. dies XIV. *Baron.*

Dionyſius Alexādrinus archiepiſcopus induſtria, & ſcriptis celebratur; qui cū in ſuſpicionem hæreſis veniſſet, ſe apud Dionyſium Romanum ſcriptis ad eum literis purgauit, vt etiam hinc pontificis Romani autoritas conſtet. *id quod teſtatur Athanaſ. epiſt. de decretis Nicanæ ſynodi.*

Quadraginta milites Sebaſtæ in Armenia Chriſti martyres facti; ab angelo ſingulis coronis donātur; quos deinceps populus Chriſtianus illic interceſſores, & patronos de more habuit: ne nouam eſſe inuocationem Sanctorum, hæretici calumnientur: de quibus beatus Baſilius ita ſcribit; Hi ſunt qui obtinentes noſtram regionē, quaſi turres contra aduerſariorum incurſum, refugium exhibent; paratum eſt hic Chriſtianis auxilium, eccleſia videlicet martyrum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum: ſæpe operam dediſtis, ſæpe laboraſtis, vt vnum pro vobis orantem inueniretis; quadraginta ſunt hi, vnam orationis emittentes vocem; & mox ad Sanctos, O communes generis humani cuſtodes, optimi curarum ſocij, precū & votorum inuicem ſuffragatores, legati apud Deum potentiſſimi. *Baſil. homil. in 40. martyres.*

Hæreſes.

SAbellius Noëti diſcipulus cum Praxea, & Hermogene perſonarum in Trinitate diſtinctionem tollit, confunditq;, docetq; impiè non ſolum vnum Deum, ſed etiam vnam & eandem perſonam eſſe Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum. *de eo ſcripſit Epiphan. hæreſi 62. Hilarius, Niceph.*

Nepos

Nepos, Chiliaſtarum docet paradyſum, fore vt pro benefactis homines mille annis cum Chriſto remuneratione terreſtri potiantur. *Euſeb.7.hiſt.22.23. Hieron.in Matth.19.*

Samoſatenus Paulus epiſcopus Antiochenus, in concilio illic coacto à Malchione presbytero publica diſputatione erroris conuictus, ab eccleſiæ communione pulſus eſt; id quod concilium Pontifici Romano, & aliis epiſcopis per literas ſignificauit; in vita ſuperbus fuit, & arrogans; negabat Chriſtum Deum eſſe, aut ante partum virginis extitiſſe. *Euſeb.7.hiſtor.cap.26.27.28.29. Epiphan.hær. 65. Hieron.catal.*

CAP. XXXIII. CLAVDIVS. *II. Imperator.*

Anno 269.

FLAVIVS Claudius 25. Martij Gallieno cum ſuis occiſo, cuius ſententia deſignatus imperator erat, induſtrium ſe præſtitit, AEgyptum recuperauit, Gothorum arma, impetumq́; fregit primus, occiſis illorum trecentis viginti millibus; ac imperij reſtituiſſet ſtatum, niſi fatalium librorum ſuperſtitioſa reſponſione deceptus morti ſe vltrò obiecìſſet, cum imperaſſet annum I. menſes X. dies XV.

De Eccleſia Chriſti.

ARchelaus Meſopotamiæ, Anatolius Laodiceæ, Victorius Pictauij in Gallia epiſcopi florent. *Hieron. in catal.*

Cum theologiæ ſtudiis philoſophia quoque, & eloquentia in magno precio habebantur. *Euſeb.7. hiſt.cap.vltimo.*

Hæreſes.

MAnichæi, quorũ autores ſunt Manes, & Buddas Perſæ, quorum ille ſe Paracletũ eſſe dicebat; duo principia, geminũq́; Deum comminiſcuntur, bonum, & malum; ab iſto vetus teſtamẽtum deducunt, ab illo nouum; aiunt Chriſtum non verè, ſed per externam ſpeciem inter homines eſſe verſatum, & paſſum; docent & alia contra matrimonium, contra liberum arbitrium, & peccatum, quæ ſectarij nunc ab ipſis mutuantur; in Aſia, & Arabia per ducentos annos extirpari non potuerunt. *Auguſt. plurib. libris*

Euſeb. 7. hiſt. 30. Hoſius capite de traditionibus humanis. Epiphan. hæreſi 66.

Sectatores huius ſunt Thomas & Addam, Apocaritæ, Brachytæ, Dicartitæ; diſſecti inter ſe: Manichæos ſe alij venditabant, alij Macaritas, alij Catharriſtas; quæ idęa eſt noſtri ſæculi hæreticorum. *Auguſt. de hæreſ.*

CAP. XXXIV. QVINTILIVS *Imperator.* *Anno* 271.

AVRELIVS Quintilius fratri Claudio. IV. Februarij mortuo, ſuccedit, occiditur imperij die XVII.

CAP. XXXV. AVRELIANVS *Imperator* *Anno* 271.

DOMITIVS Valerius Aurelianus XX. Martij occiſo Quintilio, imperiũ adminiſtrat, excelſus animo, ſtrenuus & ſeuerus; bella in Italia plurima confecit, Tyrannos & Gothos, & Zenobiam præpotentem reginam fudit; militarem diſciplinam accuratam habuit, cuius fidem facit epiſtola ipſius ad præfectum in hæc verba; Si vis tribunus eſſe, imo ſi vis viuere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nemo auferat, ſegetem nullus deterat, oleum, ſalem, lignum nemo exigat, annona ſua contentus ſit; de pręda hoſtium, non de lachrymis prouincialium diteſcant: arma ſint nitida, calceamenta fortia, veſtis noua veterem excludat, ſtipendium in baltheo, non in pompa habeat, torquem, armillas, & annulum deponat, equum ſagittarium ſuum defricet, alter alteri quaſi ſeruus obſequatur, à medicis gratis curentur, haruſpicibus nil dent, in hoſpitiis caſtè ſe habeant, qui litem fecerit vapulet. Verùm eædem leges inter ſuperiorum quoque acta reperiuntur. Primus verò Romanorum ipſe diadema, & auratam veſtem geſtauit. Imperauit annos VI. & ſupra.

Perſarum rex tertius eſt Ormisdates, qui extincta Zenobia imperium recipit.

De Eccleſia Chriſti.

27 S. Felix. S. FELIX Romanus pontifex maximus anno 273. de fide orthodoxa, & catholica aduerſus errores ſcribit, & pro Chriſto vitam ponit, cum præfuiſſet annos II. menſes V. *Felix in epiſt.*

28 S. Eutychianus. S. EVTYCHIANVS Thuſcus, Pont. maxi. anno 275. ſanctos Chriſti martyres ſuis ipſe manibus ſepeliebat; quos & morte imitatus eſt, cum præfuiſſet annos VIII. menſes VI. dies X. *Platina.*

Perſecutio nona indicitur ab Aureliano imperatore, anno eius ſexto: per quam inſignis vaſtatio eccleſijs Chriſtianis illata eſt. *Auguſtin. 18. de ciuitate Dei, cap. 52. Conſtantin. Magnus oratione ad ſanctorum cœtum cap. 24.*

Hæreſes.

HIerarcha improbat reſurrectionem carnis, oleum extremæ vnctionis, vitam monaſticam, errat de Deitate. *Auguſtin. de hæreſibus. Epiphan. hær. 67.*

CAP. XXXVI. TACITVS *Imperator.*

Anno 278.

CLAVDIVS Tacitus poſt interregnum occiſo Aureliano 29. Ianuarij, imperator eligitur. XXV. Septemb. imperat menſes VI.

CAP. XXXVII. FLORIANVS *Imperator.*

Anno 279.

ANNIVS Florianus mortuo. 13. Aprilis Tacito, imperat menſes tres non totos,

---

CAP. XXXVIII. PROBVS *Imperator.*

Anno eodem.

AVRELIVS Valerius Probus, occiſo à militibus 2. Iulij Floriano, ſuſcepto imperio victoriam ex Galliis, Illyrico, & Thracia reportat. Germanos, Francos, & Turringos cædit; pacem cum Perſis init; imperat annos IV. & amplius.

CAP. XXXIX. CARVS *Imperator.*

Anno 283.

AVRELIVS Carus Manlius, occiſo 2. Nouembris Probo, Meſopotamiam Perſis adimit, fulmine apud vrbem Cteſiphontem ictus, imperauit annum I.

De Eccleſia Chriſti.

HAlcyonea fuêre hactenus per eccleſiam, ſex & viginti annos pace fruentem, quibus & templa magnifica extructa ſunt, & Chriſtiani ad publica munia admiſſi, & fides egregiè ſtabilita; vitiis interea, vt fit rebus ſecundis, hinc inde repullulantibus. *Euſebius 8. hiſtor. cap. 1.*

29 S. Caius.

S. CAIVS Dalmata, Diocletiani propinquus pontif. max. anno 283. ordines ſacros minores, maioresq;, vt ante inſtituti erant, obſeruandos, & gradatim ante epiſcopatum ſuſcipiendos eſſe ſanciuit; ac recrudeſcente perſecutione notarios ad conſcribenda ſanctorum martyrum acta inſtituit, martyrio & ipſe coronatus, cum præfuiſſet annos XII. menſes IV. dies VI *Platina.*

Meletius Ponti epiſcopus, cognomine ob facundiam, mel Atticum; & Pamphilus presbyter Cæſarienſis celebrantur. *Hieron. catal.*

CAP. XL. CARINVS *Imperator, & Numerianus collega.*

Anno 283.

AVRELIVS Carinus & Aurelius Numerianus fratres mortuo Caro Patre, cum quo iam regnarant, imperarunt annum I. menſes aliquot.

CAP.

CAP. XLI. DIOCLETIANVS *Imperator, & Maximianus collega.* *Anno 284.*

VALERIVS Diocletianus Iouius, occiſo Numeriano, imperatoria maieſtate non contentus Deum ſe adorari voluit; AEgyptum ab Achilleo occupatam reſtituit imperio, quo poſtmodum, ſatur honorum ſe abdicauit, ac priuatus in prædiis propriis agens, mentis tandem inops vlulatibus caninis expirauit. Imperauit annos XX. non totos.

VALERIVS Maximianus Herculius, tertio anno à Diocletiano Auguſtus appellatus, & occidenti præpoſitus, ruſticorum factionem Bulgaridam oppreſſit, Galliæ motus ſedauit, Gentianos in Africa vicit, Britanniam recuperauit; poſito principatu priuatus contenuit, & vitam ſibi laqueo præfocauit.

FLAVIVS Conſtantius à Diocletiano Cæſar octauo anno factus Alemannos è Galliis ingenti ſtrage edita reiecit.

GALERIVS Maximianus Armentarius itidem Cæſar declaratus, infelici primum pugna à Narſete Perſa exceptus, refectis poſtea copiis Aſſyriam, Meſopotamiam, Armeniam & omnino quinque transtygritanas prouincias expugnauit; protenſis ad Indos vſque imperij finibus.

Viri docti Iulius Capitolinus, Flauius Vopiſcus, Trebellius Pollio, hiſtorici clarent.

AEra horum imperatorum, ſupputatioq; annorum per ipſos introducta incipiunt anno 283. Ab eccleſia AEgypti vocatur ſupputatio non imperatorum, ſed ſanctorum martyrum, quod tyrannorum memoriam horreret.

De Eccleſia Chriſti.

LVcianus Antiochenus presbyter diſertiſſimus, & martyr floret. Item Arnobius celebris rhetor contra gentes ſcribit.

S.MAR-

30 S Marcellinus.

S. MARCELLINVS Romanus fit pont. maxi. anno 296. cuius ob metum tormentorum ad paganiſmum lapſus, & pœnitentia, non videtur carere figmento, maximè quod Sinueſſanam ſynodum multa Baronio ſuſpectam faciant: præiuit ad martyrium vſque annos VII. menſes IX. dies XXVI. *Platina. Onuphr. Baron. in Annalibus.*

Perſecutio decima longè omnium ſæuiſſima Diocletiani, & Maximiani Auguſtorum mādato cæpit, ac per annos nouem in Chriſtianos latè graſſata eſt; præter plebem, & infinitum ſine nomine vulgus, præter plurimos quoque epiſcopos, & cæteros ſacri ordinis viros, pro Dei æterni, & Chriſti Domini noſtri confeſſione martyrium fecerunt SS. Petrus epiſcopus Alexandrinus, Dorotheus, Gorgonius, Felix & Adauctus, Sergius, Bacchus, Vitalis, Agricola, Caſſianus, Albanus, Quirinus, Romanus, Sebaſtianus, Pantaleon, Vincentius, Mauricius cum legione Thebæorum, Vrſus, Felix & Regula, Cyrus, Ciriacus, Fortunatus, & cęteri innumeri; adhæc SS. Agnes, Iulitta, Eulalia, Catharina, Anaſtaſia, Barbara, Lucia, & cæteræ. *Euſeb. 8. hiſt. cap. 2. & ſequent. Onuphr. Galeſin. martyrol.*

Hac ipſa perſecutione incredibile damnum eccleſia accepit, exuſtis vbique imperatorum iuſſu eccleſiaſticis ſcriptis, & libris; quo facto magna ex parte hiſtoriæ veteres, & primitiuæ eccleſiæ monumenta interierunt. *Euſeb. 8. hiſt. 2. Galeſin.*

S. Soſimus primus epiſcopus Auguſtanus in Germania eccleſiã illic Chriſti plantat; à quo epiſcopi perpetua ſucceſſione ad præſentem deſcenderunt. *Merman. theatro.*

Hæreſes.

MEletius epiſcopus in AEgypto ex eccleſia meritò pulſus, obſtinatè in officio perſtat; poſt Arrio ſe adiunxit. *Socrat. Epiphan. hær. 68. Athanaſius paſſim.*

CAP. XLII. CONSTANTINVS *Imperator & Galerius collega.*

Anno 304.

FLA-

FLAVIVS Conſtantius Chlorus,&Gallerius,abdicante Diocletiano,& Maximiano 21.Aprilis,Imperatores facti ſunt:Conſtantius Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam,vbi etiam obiit, prouincias pacatas retinuit; cæteris collegæ commiſſis; ac cum videret miſerabilem omnium tyrannorum finē, Deum ſummum alium ſupra idola eſſe auguratus, Chriſtianos in precio habuit.Imperarunt annos II. menſes II. dies XXII.

Galerius Maximianus imperator Illyricum adminiſtrat; cæteris prouinciis Cæſares duos præpoſuit.

Seuerus Cæſar Italiæ & Africæ præficitur.

Maximinus Galerius, Maximiani Gallerij ſororis F. Orienti Cæſar præficitur.

De Eccleſia Chriſti.

31 S.Marcellus.

S.MARCELLVS Romanus, Pontifex max. anno 304.in exilium truſus à Maxentio, ouiū Chriſti nihilominus curam geſſit,aſſiduis ad Deum precationibus,& literis ſuos admonendo; pædore & macie confectus in vinculis,martyrium fecit. Præfuit annos V.menſes VI. dies XXI. *Plat.*

Eccleſiæ per Galliam, Hiſpaniā, Britanniam & Germaniam immunes à perſecutione ſeruantur quod Conſtantij & Conſtantini bonitate protegerentur. *Martyrolog.*

Perſecutionem à Diocletiano inchoatam pari immanitate Galerius Maximianus,&Maximinus continuant;atque hic quidē præter ferrum & ſupplicia,etiam dolū & calumnias adhibuit;ac ementita à ſe de Chriſto ſaluatore crimina & facinora, in vulgus, & per ſcholas euulgauit, quibus pueros, plebemq; à Chriſti fidē abalienaret. *Euſeb.9.hiſtor.5.*

Hæreſes.

DOnatiſtarum primæ factiones in Africa exerunt ſeſe,quorum vaſtationes poſtea ſub Conſtantio ſunt ſubſecutæ.

CHRONICORVM

LIBER VII. DE AETATE. CHRISTIANA.

Sub Imperatoribus Romanorum Conſtantinopolitanis.

Procœmium.

SERIVS Romanum imperium, ſed cò viuacius cæpit, atque vt diuturnioris vitæ animantes quædam ſolent, migrationes ſuſcepit, quibus & vires per temporum difficultates abſumptas, opportunitate locorum recrearet, & dum ita velut in gyrum vertitur, ac in ſe redit, noui teſtamenti totam ſeriem faſtigij perpetuitate dimetiretur. Principes autem Romanos in Orientem traduxit Perſarum potentia, quorum res erant, deleto Parthico regno, nimium lætæ, quas vt commodius Romani reſecarent, in Græciam tranſtulerũt ſedem; ac falluntur qui, quod Conſtantinus locum imperij mutarit, nouum cum eo imperium comminiſcuntur; quando is, & ortu ipſe Romanus fuerit, & à S.P.Q. Romano Imperator dictus, & Romanum ipſe ſe, vt anteceſſores imperatorem ſemper habuerit, & a ſcriptoribus priſcis in eandem à Iulio Cæſare Romanorum principum ſeriem cum ſequentibus ſit connumeratus. Romani itaque hi ſunt, qui ſequuntur imperatores, non Græcanici; verùm non Ethnici amplius, ſed Chriſtiani; quamquam non propterea omnia

fuerint

fuerint in eccleſia ſalua; quæ quando cruce redempta eſt & parta; ſub cruce militatura eſt quoad hæſerit in mundo. Etenim prodiit illa quidem in libertatem ſub primo ex hiſce imperatore, qui etiã dum firmiora omnia eſſent facta, regnauit diuturnior. Sed quid tum? ſucceſſit ſecundus hæreticorum fraude dementatus, qui peruertit plurima; tertius ſuperuenit apoſtata, qui quæ potuit, etiam penitus euertit; quartus pius plurimùm exoptatus, prius ereptus eſt, quàm ſui experimentum dediſſet; quinti bonitas, aſciti collegæ malitia ſuppreſſa eſt; ſucceſsêre deinceps boni rari, cętera ferè ægra, languida, & quandoq; hoſtilia ſunt eccleſiæ præſtita; atque hic ferè ſtatus fuit Orientis, qui tamen inter grauiſſimas turbas, motusq́; tùm lumina doctorum illuſtria, tum turmas hominum ſanctè, & iuſtè viuentium frequentes produxit; Roma verò, Occidensq́; interea ſortem ſemper habuit mitiorem, tutiorem, magisque pace, & tranquillitate florentem: ſimulq́; ceſſit æternæ Vrbis ſedes æterno Chriſti regis regum ſpiritali regno, vt cum caput orbis eſſet, latius prę ſideret religione diuina, quàm dominatione terrena, ait Leo Magnus. Hîc itaque cum iſta imperatorum migratione, ingens per orbem mutatio ſenſim facta, eò etiam fuit inſignior, quod fides Chriſtiana, & eccleſiæ Chriſti gloria in apertam lucem quaſi prorupit, & quæ diu perſecutionum procellis compreſſa fuerat, nunc tandem liberiore via ſacra religionis exercitia propalauit. Etenim ex quo gentilium furor ſatis deferbuerat in Chriſti ſaluatoris omnis generis, & ordinis fideles, atq; adeo in Pontifices Romanos, quorum triginta fermè hactenus martyrium ſubierant, cũ iam imperatores fidem, pietatemq́; amplecti cœpiſſent, admirabile repentè lumen ſacroſancti euangelij è pectore hominum, è domeſticis laribus, è cryptis, & latebris in publicum prorupit, effulſitq́;; Principes & Monarchæ Chriſti hoſtes, Chriſti crucis iugo colla ſubmittere, tyranni in męcenates mutari; cultus Chriſti, ſanctaq́; in eccleſiis religio palàm introduci, Chriſtiani honoribus affici; Sathanæ, & Idolorum delubra occludi, deſpici, dirui; conuentus eccleſiaſtici publicè celebrari, ſacra concilia liberè cõuocari, adeoq́; orbis, quacunque Romanum patebat imperium, plena Numinis

gratia vireſcere in Chriſto cæpit, & flores quos gelida idolomaniç pruina decoxiſſe, & enecaſſe putabatur, in vberrimos vitæ æternæ fructus repullularunt; tametſi mala, & aduerſa, quibus eccleſia Dei exerceri perpetuò conſueuit, non tam ſublata, quam transformata fuerint, quòd ethnicorum crudelitatem, & diras procellas mox inteſtinum malum, hæreſum atrox pugna, peruerſitasq́; exceperit, qua eccleſiæ per Orientem, & Meridiem florida facies miſerè fœdata eſt, & dilaniata. Cernens enim princeps tenebrarum Sathan paganiſmum proſtratum eſſe, quò indignius id ferebat, hoc maiorem vim, veſaniam, furiasq́; hæreticorum in Eccleſiam immiſit, qui Lernça quadam fœcunditate, & improbitate poſthac in immẽſum excreuerunt; cui malo Deus, qua eſt in eccleſiam cura & benignitate, doctorum ſummorum phalanges inſtructiſſimas obiecit, & excitauit ſpiritu oris ſui ſacros doctores, ſanctiſſimos, doctiſſimos, clariſſimos, qui pro eccleſiæ catholicæ tradita à maioribus fide dimicando, non minora de hæreſiarchis, quàm de tyrannis martyres trophæa reportarunt; & quam à beatis Apoſtolis fundatam, à ſanctis martyribus ſtabilitam religionem acceperant, eam ſcriptis ampliſſimis illuſtrarunt, & poſteris certiſſimam conſignarunt. Ita factum eſt, vt manente prima fide, regnum Chriſti, quod eccleſia Catholica eſt, tam non fuerit occultum, ignotum, aut inuiſibile, quod nouatores malèſani ſomniant, vt magis euaſerit clariſſimum, & luce diuina quæ non ſub modio latet, verùm ſuper candelabrum ſole clarius ſplendet, mundum quaquauerſum illuminarit.

CAP. I. CONSTANTINVS MAGNVS *Romanorum Imperator.*

Anno Chriſtiano 306.

FLAVIVS Conſtantinus Maximus, Conſtantij imp. & Helenæ fil. Eutropij Romani Principis, & filiæ fratris Claudij Cæſaris nepos patre 25. Auguſti mortuo, imperium iniit anno ætatis trigeſimo quinto, Imperator Romanorum per ordinem quadrageſimus ſecundus cùm à patre teſtamento dictus, tùm eo defun-

cto

ćto à militibus appellatus, atq; eo nomine aduerſus Maxentium tyrannum à Senatu Romam vocatus è Britannia, quò militantem patrem fuerat ſequutus, Romam contendit magnis itineribus, Maxentium ferocientem centum octoginta millium exercitu ſtipatum, ad pontem Myluium ſupra vrbem vincit, ac Tyberino flumine mergit, Romam libertati aſſertam legibus communit, tyrannos cæteros debellat, Bizantium Thraciæ vrbem ampliſſimè auctam, nouam Romam dicit, ac de ſe Conſtantinopolim appellatam, ſedem imperij Orientis imminentē Perſis conſtituit; Scythas, Barbarasq; nationes alias bello infeſtat, & quod vel maximum eſt, pacato vbiq; imperio, eccleſiæ illuſtrandæ curam Principe digniſſimam ſuſcipit, qua in re diuinitus confirmatus plurimum & valuit, & promouit. Cæterùm ipſe, vt generoſæ & maieſtatis plenæ indolis, ita fuit ſummè pius, religionis amantiſſimus, altaq; in Deum fiducia animatus, & qui niſi conciliato multis precibus numine, nunquam quicquam attentaret. Imperauit annos XXX. menſes IX. dies XXVII.

Galerius Maximianus adhuc per conſenſum Conſtantini in Oriente imperat ad quartum vſq; ipſius annum.

Maxentius Herculij Maximi fil. Romæ à Prætorianis militibus appellatus Auguſtus, cum tyrannidem in Senatores, matronas, & Chriſtianos ſuperbè exerceret, à Conſtantino ſeptimo ipſius anno extinctus eſt.

Maximinus Galerius, Auguſtus cum Maxentio dictus, à Licinio, Conſtantini anno octauo, victus periit.

Licinius in Seueri locum à Galerio Cæſar, eoq; mortuo Auguſtus nominatus, cum à Conſtantino opibus, copiis, & ſorore in coniugem tradita auctus aduerſa machinaretur, prælijs à Conſtantino anno vndevigeſimo fractus ſe abdicauit, ac priuatus Theſſalonicæ viuens occiſus eſt

Sapores apud Perſas regnat annos LXX.

De Eccleſia Chriſti.

32
S. Euſe-
bius.

S. EVSEBIVS, Pont. Max. anno 310. Eccleſiæ præfuit annum I. menſes VII. dies XXVII.

Perſecutio à Diocletiano, Maximino, Licinio per Orientem, & Romæ à Maxentio mota plures adhuc annos exercetur.

33
S. Miltia-
des.

S. MILTIADES, aliis Melchiades, Afer Pont. Max, anno 311. præeſt annos III. menſes II.

Patriarchæ fiunt Alexandriæ Achillas, Antiochiæ Vitalis, Ieroſolymis Macarius.

Conſtantinus Imperator adhuc ethnicus dum ex Britannia Romam contra Maxentium mouet, & in itinere multa animo verſans veri Dei cognitionem, atque præſidium continuis votis expetit, pleno die Crucis ſignum multæ lucis claritate expreſſum in cœlo ipſe, vnaq; exercitus videt, cum hac inſcriptione, ἐν τούτῳ νίκα: ISTO VINCE: tùm nocte ſequente Chriſtus ei ſe cum cruce per viſum manifeſtat, atque vt crucis ſigno ad ideam præmonſtratam fabrefacto, in præliis ad præſidium vteretur imperat; quibus ille permotus, ſacerdotes Chriſti magiſtros fidei accerſit, à quibus de oſtento cœleſti, & ſumma euangelij edoceretur. Victoria deinde potitus, Romamq; ingreſſus Chriſtum Dominum palàm adorandum edicit, Crucis ſtatuam media in vrbe erigit, baſilicam Lateranenſem, templaq; alia extruit, Romanum imperium regi regum Chriſto nuncupat, & ſalutarem Chriſti fidem, ſimul cum imperio, ad imperatores poſteros, hæreditario iure tranſmittit. *Euſeb. de vita Conſtant. lib. 1. & 2. Ambroſ. de obitu Theodoſ. Sigon. de Imper. Occident. P. Nannius in epiſt. 29. Ambroſii.*

Fide-

Fideles Romæ nunc primum publicè ita vocantur, qui in Chriſtum credebant, quos ethnici hactenus pro ſuperſtitioſis habuerāt; ethnici verò deinceps per ignominiam vocantur infideles. *Ambroſius* 1. *de Sacram. cap.* 1.

Cæcilianum epiſcopum ex Africa apud Conſtantinum accuſant Donatiſtæ, cuius ille cauſam ad pontificem Miltiadem remittit, eiusq; iudicium poſtea ratum habet. *Auguſt. in epiſt. pluribus.*

34 S. Sylueſter.

S. SYLVESTER Romanus in monte Soracte ob perſecutiones delituit, Pont. Maxi. factus, anno 314. pro ſingulari ſua ſapientia, & ſanctitate Conſtātinum Imp. accuratius in fide inſtituit, confirmauit, & baptizauit, Helenamq; matrem, vt eadem ſacra ſuſciperet, perſuaſit. Præfuit annos XXI. dies IIII. *Niceph lib. 7. Plat.*

De Conſtantino Magno baptiſato ſunt qui aſſerant eum Nicomediæ ab Euſebio Arriano epiſcopo extremo vitæ tempore baptizatum: quæ opinio vel ex eo nata eſt, quod Euſebius hiſtoricus id adnotauit, qui etiam alia Conſtantini acta Romana ſilentio potius ſupprimere, quàm ad eccleſiæ eius commendationem perſcribere voluit; vel quod pro Conſtantio filio patrem intellexerint alij, quem rumorem Arriani auxerunt. Nam quod de Conſtantino Magno vulgo ferebatur, id S. Athanaſius diligentiſſimus Arrianæ factionis indagator de filio ſcribit, nempe Conſtantium hęreticum Euſebij impietatis anteſignanum, morientem voluiſſe non à piis viris, ſed ab Euzorio Arriano baptiſari. Nec etiam veriſimile eſt piiſſimum principem patrem initiationem ſalutis, rem tanti momenti; inter tot vitæ diſcrimina tamdiu diſtuliſſe: & ſi quod fingunt, in Iordane terræ ſanctæ fluuio baptiſari voluiſſet, profectus eò ſine dubio eſſet vel quo tempore beata ipſius mater Helena eò iter inſtituit; vel cum ætate grauis mortisq; vicinæ non ignarus baſilicā ſancti ſepulchri dominici Ieroſolymis à ſe excitatam extremis vitæ annis celeberrima ſolennitate dedicari Deo curauit. Nec verò ſtatim atq; Romam cum triumpho ingreſſus eſt Conſtantinus fidem Chriſtianam penitus eſt amplexus; anno enim imperij ſeptimo,

quo

quo viſa in cœlo cruce Maxentium vicit, Romæ crucis ſtatuam poſuit; anno decimo ſexto decreuit haruſpices ethnicos de fulminibus eſſe conſulendos: decimo octauo deinde, & iā decimo nono ineunte Criſpum filium, & Fauſtam vxorem interfici curauit; quod facinus cum flamines pagani ſacerdotes negarent expiari poſſe; è contra affirmaret Chriſtianus AEgyptius, omnia ſcelera remitti in eccleſia Chriſti poſſe, Conſtantinus tum demum ad religionem Chriſti ſaluatoris ſe totum tranſtulit; atque vt ſimul à lepra, qua correptus erat, curaretur, baptiſmum ſuſcepit, cum adhuc Romæ ageret; id quod eius rei monumentum clariſſimum, Conſtantini baptiſterium regium, quod hodieq; illic in Laterano viſitur, & Synodus Romana, eo ipſo anno celebrata ſatis teſtantur. Quam rem cum ſenatus Romanus ethnicus iniquè ferret, Conſtantinus relicta vrbe in Orientem ſe contulit; ac propter gliſcentes in eccleſia Arrianæ factionis diſcordias, eodem anno epiſcopos ad concilium generale conuocandos curauit. *Athanaſ. lib. de ſynodis Ariminiꝫ & Seleuciæ, Prudentius lib. 1. contra Symmachum.*

Concilium NICAENVM ſacroſanctum œcumenicum celebratur anno 325. ab epiſcopis 318. tot enim enumerauit expeditos vernaculos Pater cœleſtis ad filij ſui gloriam aduerſus Arrianos hoſtes vindicandam, quot ad liberandum filium fratris Pater Abraham olim produxerat. Imperator ad conuehendos ex omnibus prouinciis epiſcopos publica vehicula, & mulorum greges adhibuit; ipſe in concilio præſens non antè aſſedit, quàm conſediſſent epiſcopi omnes; interfuêre præterea viri principes, doctiq; egregij, à quibus variè etiam diſputatum eſt: epiſcopi tamen ſoli & iudices fuêre, & ſubſcripsêre: delatam ad ſe ſacerdotalis Concilij ſententiam Imperator, tanquàm à Deo prolatam veneratus eſt: Editi ſunt Canones, & capitula amplius ſeptuaginta, quos Concilium ad Syluestrum Pontificem Romam miſit per legatos ipſius Victorem, & Vincentium presbyteros primarios, quos ad Concilium ſuo loco deſtinauerat. Declarata eſt per eos Canones præter alia, ſacroſanctæ Trinitatis eadem, & coæterna eſſentia; Paſchatis ſolēnitas diei Dominicæ annexa; Romani epiſcopi eminentior cura, & poteſtas pro

pro more Apoſtolico agnita; libri quidam Bibliorum contra Hebræorum canonem probati, & anathemate damnati hæretici Arrius, cæteriq; eius ſectatores, qui per innatum odium canones illos, præter paucos omnes ſuppreſſerunt, & extirparunt, vt beatus Athanaſius poſtea coactus fuerit ex vrbe Roma à beato Marco ſequente Pontifice exemplum illorum repetere. Noſtro tempore apud Patriarcham AEgyptium repertos Arabicè, quam in linguam cum aliis diſciplinis ex Græco ſub Saracenorum principatu translati fuerant, latinè factos iterum habemus. *Ruffinus* 1. *hiſtor*. 2. 5. 6. *Socrat*. 1. *hiſtor*. 5. *Euſeb. de vita Conſt. Theodoret*. 2. *hiſtor*. 8. *Sozom*. 2. *hiſt*. 7. 9. *Athanas. epiſt ad Marcum Papam, & de vnita ſempiterna ſubſtantia Trinit. & diſput. contra Arrium: Hieron. præfat. in Iudith. Canus* 6. *Theol*. 4. *Turrianus præfat. in Nicænos canones Arabicolatinos.*

Patriarchę, quos vocant, qui ſunt eccleſiarum quatuor poſt Romanam præcipuarum archiepiſcopi, Conſtantini ætate fiunt Alexandriæ Alexander, & poſt eum Athanaſius: Antiochiæ ſuccedunt ordine ſinguli Philogonius, Paulinus, Euſtathius Sidites, Eulalius hæreticus, Euſebius Pamphili, qui recuſauit cathedram, Euphronius hæreticus: Ieroſolymis poſt Macarium, Maximus III. Conſtātinopoli quoque poſt ampliatam vrbem, Alexander ex epiſcopo, fit archiepiſcopus, & patriarcha primus.

Hoſius epiſcopus Cordubenſis Hiſpanus, clariſſimus Chriſti confeſſor, conſtantia, virtutum ſimplici ſplendore, & prouectæ ætatis veneratione præ cæteris epiſcopis illuſtris, à quibus per reuerentiam Pater Abraham nuncupabatur, Symbolum Nicænum ex præſcripto Concilij condidit. *Athanaſ. epiſt. ad ſolitarios, & paſſim, vt & hiſt. eccleſ.*

S. Nicolaus Myrenus Epiſcopus, orientalis eccleſiæ poſt ſacros doctores omnium celeberrimus, in vita grauitatem, abſtinentiam; erga Deum aſſiduam meditationem & orationem; erga proximū indefeſſum ſtudium, doctrinam & liberalitatem adhibuit; miraculorum, & ſanctitatis gloria tam illuſtris, vt etiam dum in corpore ageret, abſentibus viſione, & auxiliis prę ſto adeſſet. Eius ſcripta pietatis plena Melamber hæreticus exuſſit. *Metaphraſt. Theuet. coſmographं.* 9. *cap.* 10.

Paphnutius vir Dei, Epiſcopus AEgyptius ſanctitate & autoritate in Concilio plurimum excelluit; cuius acta hæretici ſumma vafritie ad ſuam indolem deprauant. *Socrat.1.hiſtor.8.*

Spiridion epiſcopus Cyprius paſtor hominum idem & ouium, vitam multa tranquillitate, modeſtia, & ſanctimonia traducebat, prophetico ſpiritu clarus. *Sozom.1.hiſtor.11.*

S. Iacobus epiſcopus Niſibenus in Aſſyria, Apoſtolici ſpiritus potentia plurimum in Deo valens, mortuos excitabat, regem Perſarum Saporem orationis ad Deum vi de muro & obſidione vrbis repulit, ſenio confectus, cum continui eccleſiæ in oriente motus animi quietem, & meditationes cœleſtes perturbarent, in Italiam migrauit. *Theodoret.1.& 2.hiſtor. Ambroſ.ep.57.*

S. Antonius adhuc ſuperſtes in Thebaide AEgypti agebat eremita, amicus Dei venerabilis, cuius precibus ſe ſuosq́; filios Imperator per literas commendabat, inuitabatq́; eum ad ſeſe, quos ille honores contemnendo, monachum extra monaſterium perire, non ſecus ac piſcem in arido, aiebat. *Athanaſ. in eius vita. Niceph.8. hiſtor.40.*

Lactantius Firmianus verborum elegantia alter Cicero, Criſpi Conſtantini filij præceptor floret, tam pauper, vt plerumq; neceſſariis indiguerit in vita. *Euſeb. in chronico.*

Dorotheus epiſcopus Tyrius, Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, Euſebius Emeſenus epiſcopus, Reticius epiſcopus Auguſtodunenſis in Gallia, Aſclepas epiſcopus Gazæ Paleſtinus, Iuuencus poëta presbyter Hiſpanus illuſtres ſunt. *Hieron. in catal.*

Conſtantinus porrò quanta poteſt maxima cura id agit, vt ſacrum Chriſti euangelium promulgetur; Biblia ſacra, quorum pleraque volumina perſequutionibus erant deleta, & alij eccleſiaſtici libri, ſuppeditatis ab ipſo membranis, deſcribãtur; feſta Dominica, & beatorum martyrum colantur; preces conceptæ etiam militibus præſcribantur; cœnobia virginum ſanctimonialium piis inſtitutis imbuantur; Sanctorum Andreæ Apoſtoli, Lucæ, & Timothei reliquiæ Conſtantinopolim aduehantur; templa vbique terrarum

rarum exædificentur, & quæ per tyrannorum atrocitatem deturbata erant, inſtaurentur; qua eius pia ſolicitudine permotæ gentes complures ſeſe ad fidem veri Dei receperunt. *Euſeb. lib.3. & 4. vita Conſtant. hiſtor. tripartita paſſim. Hieron. in catal.*

In Germania apud Treuiros fidei lumen ferè extinctum, reſtituitur per S. Agritium à S. Syluestro Pontifice, poſtulante Helena Auguſta, eò ex Antiochena eccleſia miſſum, *Galeſin. martyrol. 13. Ianuarij.*

In Armenia, & apud Iberos, Perſas, Philiſtæos religio feliciter per epiſcopos, & monachos propagatur. *Sozom. 2. hiſtor. cap. 4. & ſequent.*

Perſia etſi raras, tamen plures habebat eccleſias. *Euſeb. 4. vitæ Conſtant. cap. 8.*

AEthiopiæ interioris Patriarcha, quem alio nomine Catholicum appellabant, ſuberat Patriarchæ Alexandrino tanquam primati priori, à quo poſtmodum fortaſſe per Arrianas, & Mahometanas vaſtitates auulſus eſt; & cum ipſius curam, & communionem eccleſia negligeret, ipſe ſe caput eccleſiæ Africæ dixit, vulgo nunc presbyter Ioannes. *Concil. Nican. lib. 3. can 36.*

Belgici populi Veromandui, Nouiomenſis, & Tornacenſes euãgelio illuſtrantur, *Merman. theatro.*

Indi interiores per Frumentium ab Athanaſio epiſcopum eò miſſum Chriſto dant nomen. *Theod. 1. hiſtor. 22. Athan. apolog. ad Conſtant.*

Iudæi Romæ degentes Chriſtum incipiunt agnoſcere promiſſum patribus Meſſiam. *Merman. in theatro conuerſionis gentium.*

Iudæi Ieroſolymis templum ſynagogæ reſtaurare conati à Conſtantino grauiter puniti ſunt. *Chryſoſt. orat. in Iudæos.*

Barbaræ aliquot nationes Chriſtianis bellum inferentes fulminibus de cœlo profligantur, & delentur, *Baſil. in Pſal. 17.*

Ieruſalem altera, prope veterem conditur ab Imp. Conſtantino; qui locum montis Caluariæ & ſacri ſepulchri extra mœ-

nia vrbis ſanctæ ſitum latè muro cinxit,& ædificiis elegantibus cõpleuit ad formam oppidi peculiaris; quod ſuccedente poſtea tempore cum maiore in vnam coaluit vrbem. *Euſeb. de vita Conſtant. 3. cap. 31.*

Crux Chriſti ſacroſancta, cum clauis ferreis,titulo inſcriptionis, corona ſpinea,& lancea ſtudio & opera S.Helenæ, diuinis monitæ viſionibus Ieroſolymis eruuntur; ſanctum Domini Sepulchrum perpurgatum expolitur; baſilicæ ingentes excitantur,præcipua ad ſepulchrum,altera ad præſepe in Bethlehem;& tertia in montis Oliueti vertice, vnde cœlum Dominus Ieſus conſcendit impreſſis humi humanis veſtigiis. Refert autem S.Hieronymus,cum tertia eccleſia circum ſacra Chriſti veſtigia rotũdo ſchemate, & pulcherrimo opere conderetur,ſummum cacumen, quod tecta ſacris veſtigiis imminebat,propter Dominici corporis meatum,nullo modo contegi, & concamerari potuiſſe; ſed tranſitum eius à terra in cœlum patentem,&apertum relinqui oportuiſſe.Noſtro tempore baſilica S.Sepulchri vtcunque integra perſtat; Bethlehemitica ſupra chorum iam paſſa eſt ruinam ingentem: oliuetanæ præter rotundum parietem lacerum, humilemq; nil reſtat; niſi quod ſacra veſtigia fano, ſeu ſacello exiguo,& perelegante clauduntur: ac viſuntur iis locis ruinæ eiuſmodi complures; quæ,quod dolendum eſt,aut à Chriſtianis negliguntur, aut niſi ædificandi libertate ingenti auro coëmpta,refici nequeunt.*Euſeb. in chron. Rufin. 1.hiſtor. 7.8. Euſeb. de vita Conſtant.3. Ambroſ. in obitum Theodoſii, Hieron.de locis Hebraicis in Acta apoſt.*

35 S.Marcus

S. M A R C V S Romanus Pont. Max. anno 336. ſymbolum fidei Nicænæ ad ſacrum Miſſæ cantari,& Pontificem Romanum electum ab epiſcopo Hoſtienſi conſecrari iuſſit,quem S. Athanaſius Patriarcha Alexandrinus ſummè veneratus eſt, & ad eum ſcribens Romanam eccleſiam matrem, & caput dixit omnium eccleſiarum. Præfuit menſes VIII.dies XXII. *Volater. Athanaſ. epiſt.ad Marcum Papam.*

S.Iv

36 S. Iulius.

S. IVLIVS Romanus Pont.Max.anno 336. prudentiæ, & manſuetudinis ſingularis; ei de more Orientis epiſcopos paruiſſe ex hiſtoriis conſtat, Arrianis licet mandata, & correptiones eius, vt mos eſt hæreticis, contemnentibus; ab eo Athanaſius opem aduerſus epiſcoporum aduerſariorum inſolentiam petiit, quos Iulius vel ipſo Euſebio Nicomedienſe Arrianorum coryphæo conſentiente, Romam citauit in cauſa Athanaſij audiendos. Præfuit annos XVI. menſes V. dies XVI. *Athanaſ. apolog.2. Socrat.2. hiſtor.9 11. 13. Vincent. Lyrinens. parte.2.*

Monaſteria in AEgypto vtriuſq; ſexus plurima excitantur, in quibus diu noctuq; Dei laudibus, & carnis macerationibus vacatur. *Sozom 1. hiſtor.* 12.13.

Peregrinationes religioſæ ad ſanctorum martyrum monumēta ſalutariter frequentantur, & miraculis per Dominum confirmantur. *Sozom.2. hiſtor cap.2 13.26. Chryſoſt. ad popul. Antioch. homil. 66.*

Perſecutio atrociſſima in Perſide per Saporem regem mouetur; trucidantur pro Chriſti nomine Archiepiſcopus Simeones cum centum presbyteris; dein ducenti quinquaginta epiſcopi, presbyteriq;, ſedecim millia ciuium notatæ exiſtimationis, & promiſcuū vulgus innumerabile; quæ religionis vaſtitas excidium eccleſiis Perſicis tantum intulit, vt florere poſthac nunquàm ſint viſæ. *Socrat 2 hiſtor. 8.*

Conſtantinus Magnus expeditionem in Perſiam inſtituens, vt eccleſiæ labanti præſto eſſet, extremum Nicomediæ diem obiit, ſepultus Conſtantinopoli in veſtibulo eccleſiæ apoſtolorum, tanquam excubitor ſacri loci, quo S. Andreæ reliquias condiderat, vt quod imperatoribus ſunt in aulis ianitores, hoc in ſepulchro ſanctis piſcatoribus ſint imperatores, ait Chryſoſtomus, *homil.26. in 2. Corinth.* 11.

Hæreſes.

ARrius hæreſiarcha maximus, presbyter Alexandrinus, corpore procerus, ſpecie ſubtriſtis, blandus colloquio ad perſuadendum compoſito, verſutus ſerpens, cœpit virus ſuum contra

communem eccleſiæ fidem, anno 310. euomere ſub S. Petro archiepiſcopo Alexandrino, per quem à communione eccleſiæ pulſus eſt, dein ab Achilla ſucceſſore receptus; cum adhuc apertius & obſtinatius ageret, ab Alexandro ſequente Archiepiſcopo anathemate iterum percuſſus, & ab Athanaſio quarto ſucceſſore confutatus eſt. Negabat is præcipue Chriſtum eiuſdem, & coæternæ ſubſtantiæ cum Deo Patre eſſe, multis ad id ſcripturarum teſtimoniis detortis; damnatus itaque in Concilio Nicæno, & ab imperatore proſcriptus, callidè poſtea imperatori perſuaſit, ſe nequaquam cōtra Catholicam fidem ſentire; cuius autoritate fultus cum ad præſtitutam diem Conſtantinopoli in communionem omnino recipi vellet, Alexander eius eccleſiæ Patriarcha totam noctem in oratione poſuit, proſtratus humi ante altare Dei; tum verò iſte ſuperba ſuorum pompa comitatus mane ad conuentum veniens, deuia diuertit ad cloacam publicam, vbi cum aluo impius vitam fœdè profudit, & finiuit. *Athanaſ paſſim, Ruffin. Epiphan. hær. 69. hiſt. tripartita, & alij.*

Libri hæretici, præcipuè Arrij liber Thalîa, & vnà omnes cùm in Concilio, tùm ab imperatore prohibiti ſunt, & exuſti; qui occultaſſe aliquem depræhenſus fuiſſet, morte mulctabatur. *Socrat. 1. hiſt. 6 Euſeb. de vita 3. cap. 64. Athan. oratione 2. contra Arrium.*

Sabinus Concilij decreta, & epiſcoporum doctrinam naſutis ſcriptis eleuando deriſit, vt nunc Kemnitius Tridentinos Canones. Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla referunt, impudentiæ nunquam, & impietatis plus quam barbaricæ; ſcilicet adhuc ex gigantomachia Goliathæa ſuperſunt, qui caſtris Dei Iſraëlis inſultent. *Socrat. 1. hiſtor. 5.*

Per ludibrium Catholicos Homuſiaſtas appellabant Hæretici à verbo *ὁμούσιον*, quo eccleſia conſubſtantialem naturam filij Dei cum patre exprimebat; quo eodem modo, nunc Papiſtas, & Miſſiſtas appellant. *hiſt. trip. Baſil. epiſt. 73.*

Euſebius Nicomedienſis epiſcopus, Arrianorum coriphæus, & (vt ſolet hæreſeos malum lernæum indies latius peruagari) cum ipſo alij, mortuo Arrio eccleſiam miſerrimè dalaniarunt, maximè

Euzo-

Euzoius, Maris, Secundus, Theognis, Euſtathius, Menophantus, Menas, Theodorus, Narciſſus, Stephanus, Georgius, Auxentius, Vrſacius & Valens, omnes epiſcopi apoſtatæ, ſimulq; Aſterius philoſophus. *hiſt. trip. Athanaſ. paſſim.*

Conciliabula alia, atque alia ab Arrianis coguntur, ſymbola, & confeſſiones fidei ſubinde alia eduntur, recudũtur, mutantur, pror ſus vt nunc quoque apud Nouatores videre eſt. *Athanaſ. lib. de ſynod. Ariminí & Seleuciæ, trip. hiſt. paſſim.*

Colluthus hæreticus afflictiones hominum, & pœnas ob peccata obuenientes negat à Deo eſſe. *Epiph. contra hæreſ. Arrij.*

Marcellus Ancyranus ſcribit contra hæreticos, incidit ipſe in erronea quædam; à quibus per Iulium pont. liberatur. *Athan. apolog. 2. Baſil. epiſt. 67. Epiphan. hæreſi 72.*

Vrſacius & Valens epiſcopi Arriani, poſt longos, & varios motus in eccleſia per orientem excitatos Romam proficiſcuntur, vbi Romæ apud Iulium ſummum pontificem hæreſim abiurant. *Socrat. 2. hiſt. 19.*

Nouatiani ante centum annos enati adhuc vigebant, habebãtq; ſuos per vrbes epiſcopos ſeparatim, vt Aceſium. *Socrat. 1. hiſt. 7.*

CAP. II. CONSTANTIVS *Imperator.*

Anno 337.

CONSTANTINVS Conſtantino Magno patre XXII. Maij mortuo, vnà cum fratribus imperium adeptus, ſorte ſua Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæ, & Germaniæ non contentus, Conſtantem fratrem bello petens Aquilegiæ à militibus trucidatur, anno IV.

CONSTANS Occidenti præfectus Italiæ, Illyrico, & Africæ, Conſtantini quoque prouincias aſſecutus eſt, Francos ex Gallia eiecit, à Magnentio præfecto tyrannidem affectante, interficitur, anno XIV.

CONSTANTIVS Orientem, & fratre Conſtante interempto, imperium totum ſolus nactus eſt, Sarmatas & Quados, adhæc Saporem

porem Perſarum regem poſt longum & anceps bellum fudit. Imperauit annos XXV. menſes V. dies V.

Germani à Iuliano imperatoris præfecto ſubacti ſunt.

Viri docti, Victorinus Rhetor, & Donatus commentator florẽt.

De Eccleſia Chriſti.

PErſecutiones eccleſiæ Chriſtianæ à paganis & infidelibus Imperatoribus excitatas, quarum decem ordine fuerunt, præter Perſicas, ſequuntur aliæ ab hæreticis motę, nempe ab Arrianis, Donatiſtis, Vandalis, Eutychianis, Gothis, & Longobardis hæreſi item infectis, Monothelitis, Iconomachis, quibus acceſſerunt Perſicæ quatuor, & Saracenorum vaſtationes, de quibus ordine ſingulis ſuo loco.

Fœda eccleſiæ facies, & triſtiſſima excepit læta illa Conſtantini tempora, excitata per Orientem in Aſia, Syria, & AEgypto, noua & longa perſecutione à Conſtantio imperatore hæretico, non quidem Chriſti nomen, ſed eccleſiæ Catholicæ conſenſum oppugnãte, & epiſcopos conſtantes vi in hæreſim rapiente. Hinc ingens epiſcoporum diſcordia exorta, Antiepiſcopi contra genuinos epiſcopos per aduerſam factionem in eadem vrbe creati, Catholici proſcripti, pulſi, miſerè enecti, populuſq; turbatus, & canones in eccleſia aboliti. *Athan. apol. g. 1. & epiſt. ad ſolitar. Baſilius proœmio in Ethica, & cap. 30. de S. Spiritu. Socrat. 2 hiſtor.*

In Africa par ratio eccleſiæ fuit Donatiſtis hæreticis omnia vaſtantibus, & orthodoxos perſequentibus, vt mox recenſetur, paragrapho hæreſeon.

Conſtans Imp. ab Athanaſio martyr appellatus, ſæpe fratrem Conſtantium à tanta impietate abducere tentauit, occidentis eccleſias tranquille tutatus eſt, in quibus Concilij Nicæni profeſſio intemerata eſt cuſtodita. *Athanaſ. in apol. Socrat. 2. hiſtor. 2.*

37 S. Liberius.

S. LIBERIVS Romanus Pont. max. anno 353 Arrianorum hoſtis à Conſtantio ſede pulſus, exacto biennio reſtitutus eſt; omnia facere, & pati antè paratus, quàm ab orthodoxia deflectere. Euſtathium Epiſcopum eiectũ, ſcriptis literis ad epiſcopos Prouinciæ

uinciæ illius, Tyanæ congregatos Romana autoritate reſtituit; ſanctimonialibus pia decreta præſcripſit; eum Arriani paſſim ſuæ opinionis eſſe euulgabant, vt tanti viri nomine alios euerterent. *Athanaſ. ad finem apol. 2. Baſil. epiſt. 72. Ambroſ. lib. 3. Virgin. Hoſi. lib. 2. contra hæreſ.*

S. FELIX II. fuit pontifex abſente Liberio, quem inter pontifices non numerant, ſed Chorepiſcopum Liberij vocant.

Patriarchæ fiunt partim ſub Iulio, partim ſub Liberio tempore Conſtātij; Conſtātinopoli S. Paulus ab hæreticis ſtrāgulatus, Euſebius antea Nicomediēſis epiſcopus hæreticus, Macedonius hęreticus, vterq; viuēte Paulo Catholico, deinde Eudoxius Arrianus: Alexandriæ cōtra S. Athanaſiū Catholicū ſæpè pulſum Euſebius Edeſſenus, Gregorius Arrianus, Georgius Cappadox, Lucius Arrianus: Antiochiæ Euphronius, Placidus, Stephanus, Leontius, Eudoxius, Euzoius Arriani; contrà in eadē eccleſia ſedit Amianus, dein Meletius, & Paulinus II. Catholici: Ieroſolymis Heraclius, quo ſe abdicante, Cyrillus diu, contra quem Heronnius Arrianus, itemq; Heraclius II. *ex hiſt. eccleſ.*

S. ATHANASIVS Archiepiſcopus Alexandrinus, Doctor eccleſiæ, maximus pro fide athleta, hæreticorum fulmen, ad Nicænū Concilium diaconus adhuc cum Alexandro præceſſore ſuo venit, vbi cum Arrium hæreſiarcham ſpiritus, & orationis pondere, argumentorumq; vi vehementer refelliſſet, agitaſſetq;, tanto deinceps terrori hæreticis omnibus fuit, vt poſtquam quinto dimiſſi Concilij menſe Alexandro Præſuli Alexandriæ ſuffectus eſſet, in vnum eum obruendum, exterminandumq; certatim intenderent omnes vires, fraudesq;; illum ſcripta, conciones, pſeudoſynodi, exercitus infeſti, & imperatores ipſi ſiniſtrè perſuaſi impetiuerunt, obſederunt, truſerunt in exilium, reducemq; iterum, ac tertio repulerunt; quibus ille nihil animo conſternatus, ac vno Chriſti, cuius gloriā propugnabat, præſidio tectus, nunc ſuos docendo, nunc furori & dementiæ cedendo, itinera, vrbes, vicos, doctrina orthodoxa replebat; hæreticos cùm ſcriptis, tùm diſputationibus debellabat, nunc palàm conſpicuus, nunc delitefcens, quod aliquando

non in AEgypto, aut Aſia, non in inſulis, non in Græcia, aut Italia tutus, Treuiri in Germania quinquennio delituerit in puteo; tùm paterno in ſepulchro menſes aliquot; intentus iterum operæ quamprimum prodire licuiſſet; ſæpe per pietatem, quæ intima erat, Deo ſe totum deuinciebat: atq; ſpiritu confirmatus, ſemper animum ſpe bona fouebat, ſæpe de hoſte triumphabat; identidem alios monendo, magna in hæreſes vtendum eſſe libertate, quando non accepimus ſpiritum ſeruitutis iterum ad metum, vocante nos ad libertatem Domino; ac proinde iniuriis ipſe quibuſuis laceſſitus, Deo gratias agebat, perſonabatq; illud pſaltis regium; Inimici mei infirmati ſunt, & ceciderunt; ſi inſurgat aduerſum me prælium, in inexpugnabili Dei dextera ſperabo; quos agones cum annos ſex ſupra quadraginta ſuſtinuiſſet, domi vel inuitis hoſtibus in pace obdormiuit in domino, octauo anno Valentiniani. *ex Athanaſii operibus, Ruffino, hiſt. trip.*

S. Hilarius epiſcopus Pictauienſis in Gallia, celebris eccleſiæ doctor, ſumma & doctrina, & ſanctitate clarus, qui confeſſionis ſuæ merito, agendi induſtria, & eloquentiæ claritate toto imperio Romano prædicabatur; multa & contra Arrianos geſſit; & ab aliis perpeſſus eſt; eum ab exilio, & de prælio hæreticorum redeuntem Galliarum eccleſiæ publica lætitia exceperunt, vt enim Athanaſium in Oriente, ita Hilarium in Occidente athletam pro fide orthodoxa hæreticis Deus obiecit, illuſtrauitq;. *Hieron. catal. & ad Marcellam.*

Euſebius Emiſſenus, Triphyllius Cyprius, Theodorus Thraciæ, Fortunatianus Aquilegiæ, Serapion AEgyptius, Euſebius Vercellenſis martyr., Maximus Moguntinus epiſcopi ſancti, & docti viri florent; adhæc Maximinus Treuerenſis qui Arrianos egregiè repreſſit, Athanaſiumq; extorrem ardenti complexus eſt charitate, & poſt mortem multis miraculis claruit.

Vlphilas Gothorum epiſcopus literas Gothicas inuenit, & diuinas ſcripturas in illorum linguam conuertit. *Socrat. 2. hiſtor. 32. Vaſæus chronico.*

Monaſtica vita, cùm eremitarum per ſolitudinem, tùm monachorum in cœnobiis in AEgypto, & Syria, ac deinceps quoque per

Palæ-

Palæſtinam, Meſopotamiam, Cappadociam in Oriente ſimul, & meridie mira frequentia floret, dum multa hominum millia, ſuſcepta ſæculi fuga, piis, & angelicis commentationibus, precibus, ieiuniis, vigiliis, caſtimoniis Deo vnicè adhærētes, apoſtolorum perfectionem in vita exprimere conabantur. Hos ſanctos viros ludibrio mundus habebat; ſed nihil mirum, quando qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiantur prædictum ſit ab apoſtolo. De hac patrum vita ſcripsêre integra volumina D. Baſilius, Palladius, Caſſianus, Theodoretus, & quædam hiſt. tripart. & B. Hieronymus.

Romæ in monaſtica vita inſtituitur à B. Athanaſio auxilium à pontifice expectante, Marcella, quam imitatæ ſunt poſtea Sophronia, Paula & aliæ. *Hieron. ad Principiam.*

In tantis per Orientem epiſcoporū motibus liquidè ex ſcriptoribus cernere eſt, omnes eos ſummæ poteſtati, & communioni Romanæ eccleſiæ ſtuduiſſe, quotquot in orthodoxa fide perſiſtebant, eandem verò tum demum illos neglexiſſe, qui in hæreſeos partes eſſent abducti. *Socrat. 2. hiſt. 11. 16. 18. & alij.*

Hæreſes.

Conſtantius Imp. facilitate ſua, qua contra hæreticos agendū putabat, circumuentus ab illis, & perſuaſus, omnia poſtmodum contra eccleſiam ex illorum ſententia egit. *Theodoret. 5. hiſt. 7.*

Arriani in plures ſectas diſſecti, alij Arrium merè ſequuntur, alij ex parte Macedonium, alij Acacium, & Meletium, alij Georgium: ad Arrij dogmata addunt, demunt, mutant pro ſuo quiſque cerebro. *Epiphan. hæreſi 74.*

Arriani etiam in Occidentem ſeſe intrudebant, ac habebant ſuæ impietatis epiſcopos, in Italia Auxentium Mediolanenſem, in Germania Euphratem Colonienſem, à B. Maximino abdicare ſe coactum; in Gallia Saturnirum Arelatenſem, & alios, quorum tamen ſucceſſus nō fuit diuturnus. *Hier. catal. hiſt. trip. Lupus in vita Maxim.*

Hæretici ſe catholicos nominant, quod idem nunc noſtri imitantur. *Socrat. 2. hiſt. 29.*

Photinus Patrem tantum Deum docet, Chriſtum merè hominem; ſectas ipſe omnes ſcriptis impugnat, vt vnus ſapere videatur. *Vincent. Lyrenens. Socrat. 2. hiſt. 25. Epiphan. hær. 71.*

Aëtius Syrus primus ſubſtantiam filij, nec eandem, neque ſimilem cum Patris ſubſtantia eſſe contendit, quem imitatur Acacius, & Anomæi dicti, qui negant ὁμοιούσιον ſimul & ὁμοούσιον. *Baſil. lib. 1. contra Eunomium. Epiphan. 76.*

Macedonius Patriarcha Conſtantinopoleos Pneumatomachus, adoritur Spiritum ſanctum, quem creaturam eſſe blaſphemat. *Auguſt. de hæreſib. Epiphan. hær. 74.*

Eunomius Aëtij auditor tres in Trinitate perſonas ponit quidem, verùm non eiuſdem eſſentiæ, & ſubalternas ſibi creaturas; negat virginitatem matrimonio præſtare, & bona opera ad ſalutem meritoria eſſe; monachos poſt caſtitatis votum ad nuptias traducit; templa martyrū vitabat, ne illa ingreſſus idololatra haberetur: ſcilicet trepidabat timore vbi non erat timor, tam ſincerus Dei cultor. *Baſil. contra Eunom. Auguſt. cap. 54. hæreſ. Hieron. in cap. Iſai. 65. Epiphan. hær. 76.*

Donatiſtæ ante tempora Conſtantini Magni in Africa exorti, minorem patre filium, & filio Spiritum ſanctum aſſerebant, catholicos ad ipſos deficientes, vt impuros rebaptizabant; obſtinati ſuis in erroribus mortem gregatim obibāt citius quàm perfidiam proderent; eccleſiam affirmabant aberraſſe à vero vniuerſam, ac periiſſe ex omnibus gentibus, penes ſe verò vnos veritatem, fidem, eccleſiam conſeruatam; catholicos calumniabantur adhuc infideles eſſe, ac ſolicitabant ad ſeſe tranſire ſi Chriſtiani fieri vellent; ſuccedente tempore, auctis viribus & numero, horrendum in modum eccleſias cæperunt vaſtare, templa in horrea mutare, altaria euertere, calices, & huiuſmodi argentea in maſſas reuocare, ſacramenta conculcare, Chriſti redemptoris noſtri ſanctiſſimum corpus in altari percutere, ſurſum deorſum omnia miſcere; quæ quidem omnia eodem modo noſtris quoque oculis ab aduerſariis committi nunc videmus. *Optatus Mileuitan. lib. 3. & 5. & 6. Auguſt. paſſim præſertim libro de vnitate eccleſiæ cap. 9.*

Aërius Arrij ſectator docebat præterea epiſcopum non eſſe maiorem presbytero, nec eſſe pro mortuis ſacrificium offerendum; nec obſeruandos ſtatos ieiuniorum dies, neque quadrageſimam. *Epiphan. hæreſi 75. August. Philaſtrius. Bellarmin. 2. de Miſſa 7.*

Aceſius, Creſconius, Maiorinus, Luciferiani, Paterniani, Sathaniſtæ, Eupſychiani, Rhetorici, Bonoſij, & ſimiles hæreſes aliæ item vigent. *Prateolus de hæreſibus.*

CAP. III. IVLIANVS *Imperator.*

Anno 362.

IVLIANVS Apoſtata, mortuo 3. Nouembris Conſtantio, in imperio ſuccedit, aſtutus, varius, quo doctior hoc peruerſior; & qui ante Chriſtianus fuerat, in principatu prodita fide relapſus eſt ad idolomaniam: multa antè bella confecerat; periit verò in bello Perſico: imperauit annum I. menſes VII. dies XXVII.

De Eccleſia Chriſti.

PErſecutio per Iulianum in Oriente noua eſt ſuſcepta, non qua cædes faciebat, ſed templa ſpoliabat, exurebat, vaſtabat, Chriſtum non aliter quàm Galilæum vocitabat per contemptum; & quandoq; fabri filium; Chriſtianos honoribus mouebat, bonis & facultatibus exuebat, vim, fraudemq; obtegebat Chriſti verbis, dicentis, quæ Cæſaris ſunt Cæſari, quæ Dei Deo, proinde, aiebat, oportere Chriſtianos egentes egenum ſuum Chriſtum ſequi, quoniam pauperum eſſet regnum cœlorum; opesq; & theſauros referri ad ærarium Cæſaris; ſcholas Chriſtianis occludebat, ſanctorũ martyrum reliquias effodiebat, ac ſanctiſſimi Iohannis Baptiſtæ repertas apud Samariam contundi, & per arua conſpergi iuſſit; Iudæos quoque ad inſtaurandum templum, cultumq; Moſaicum inſtigabat, vt euangelij gratiam aboleret, ſpe tamen fruſtrata, diſiectis cælitus Iudæorum operis, materia, & inſtrumentis. *Hiſt. trip. Ambroſ. epiſt. 19. Baſil. de rebus ſæcularibus.*

Cum Græcas ſcholas, & diſciplinas Iulianus lege lata vetaret, affirmaretq; non decere Chriſtianos literas illas, quas pro fabulis ipſi traducerent; Gregorius Theologus, & Apollinarius ſenior

Laodicenſis presbyter tam varia, & elegantia carmina cùm Heroica tùm Lyrica è ſacra hiſtoria librorum Moſis elucubrarunt, & quidem iſte ad Homeri imitationem, per libros alphabeti ordine diſcretos, vt Græcarum inſtitutionum, & poëmatum rationem Chriſtianis ſcholis facilè reddidiſſe crederentur. *Hieron. in catal. Senenſis bibliothecæ ſanctæ lib. 4. Gregor. presb. in vita Nazianzeni.*

S. GREGORIVS Theologus, Nazianzenus epiſcopus, eccleſiæ Doctor eloquentiſſimus, acumine & vehementia felix, felicior etiam rerum diuinarum, & Theologiæ veritate, excellentia, ac ſublimitate exploranda; is & vnà B. Baſilius deuinctiſſimi comites primis adoleſcentiæ annis egregiè profecerunt in philoſophicis ſtudiis Athenarum, tùm in theologicis in monaſterio per annos tredecim; vbi diuinæ ſcripturæ intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ex apoſtolicæ ſucceſſionis maiorum autoritate aſſecuti, inde ad epiſcopatus vocati ſunt. Scripſit plurima verſibus, tùm etiam in Iulianum; translatus poſtremò ad Conſtantinopolitanam eccleſiam regendam, quæ ſopita hæreſibus videbatur, viua Spiritus doctrina breui tantum effecit, vt velut ex cineribus excitata illa mirificè reuiuiſceret; quam felicitatem cum inuidia aliorum epiſcoporum ſequuta eſſet, libenter diſceſſit, ruriſq; ſolitudinem repetens, rerum diuinarum contemplationi ſe totum tradidit: multa verbis, plura docuit exemplis; Baſilio fuit aliquantò iunior. *Ruff. 2 hiſtor. 9. hiſtor. trip. Hieronym. Gregor. presbyter de eius vita.*

Perſecutionem in Chriſtianos, qui non niſi catholici erant, mouet Rex Athanaricus in Gothia. *Auguſtin. 28. ciuitat. Dei cap. 52.*

Hæreſes.

ARriani ſacra bibliorum volumina vitiant, deprauant, & ad libitum recudunt. *Ambroſ. 3. de ſpiritu ſancto, cap. 11.*

Iulianus impius apoſtata per hyemem cum ſunt noctes productiores contra Chriſtum Dominum ſcribit, fidemq; totam impugnat, imitatus Porphyrium, ſeductus à Libanio, & Maximo Sophi-

ſtis,

ſtis, oracula Apollinis repetit, delubra idolorum recludit, ac propterea non diu felix, cum perſequentem ſe diuinam vltionem ſentiret, nempe infidelis in infidelium prælio cœlitus telo confoſſus, ſanguinem è vulnere profluentem exceptum manu in cœlum proijcit, atque his verbis, Viciſti tandem Galilæe, Chriſtum irridenter confitendo, ad tartara deſcendit. Mirum verò eſt, cum nec ab hoſte Chriſtiano vinceretur, neque militem Chriſtianum in exercitu haberet à quo ſe perimi vidiſſet, quænam eum cauſſa ad Chriſtum victorem tandem confitendum impulerit? cum vel in temeritatem ſuam, vel in hoſtium virtutem, vel in militis ſui perfidiam, potuiſſet culpam referre mortis. Cædes, & vltio profectò diuina fuit per angelum ſumpta, vel per ſanctorum quempiam è conſilio apoſtolorum & prophetarum digreſſo, vti per viſionem nonnullis oſtenſum fuit; quem ille in denſa aëris caligine, quæ ſimul accidit, potuit contueri telum in ſeſe contorquere. *Oroſ.7.hiſtor.*30. *Theodor.*3.*hiſtor.*25. *Sozomen.*6.*hiſt. cap.* 1. *&* 2.

CAP. IV. IOVINIANVS *Imperator.* *Anno* 364.

IOVINIANVS 26. Iunij Iuliano occiſo, ab exercitu imperator ſalutatus, imperare noluit, quoad exercitus per Iulianum apoſtatam deprauatus ſe Chriſtianum declararet; relictis à Iuliano rebus imperij iniquo loco, inducias fecit cum Perſis. Imperauit menſes V. dies XXII. immatura morte præreptus.

De Eccleſia Chriſti.

IMperator egregius & ſummæ ſpei vt primùm ad principatum venit, ne inter tantas hæreſes contra fidem catholicam temerè quicquam ſentiret, petiit à B. Athanaſio fidei inſtitutionem catholicam; pulſos epiſcopos ſuis eccleſiis reſtituit, & repullulantem idolomaniam reſtinxit. *Athan. epiſt. ad Iouinian. hiſt. tripartita.*

CAP.

CAP. V. VALENTINIANVS & VALENS *Imperatores.*

Anno 365.

VALENTINIANVS pius mortuo 17. Februarij, Iouiniano, imperio præfectus, fratrẽ impium Valentem conſortem fecit: in Occidentem ipſe profectus, multa bella in Germania geſſit contra Saxones, Francos, & Rheni accolas, Imperauit annos XI. menſes VIII. dies XXII.

VALENS Imper. Arrianus Procopium tyrannum confecit, contra Gothos Thraciam, & Epirum vaſtantes dimicans, vnà cum exercitu fuſus, in agreſti caſa concrematus eſt, imperauit annos XIIII. menſes IV. dies XIII.

Maximus tyrannus Britanniæ defectionem à Romano imp. mouet, cuius ſe regem facit.

Vandali gens Saxonica, ſuperato Rheno Burgundiam ſedem eligit, à quibus orti Burgundiones.

Gothi ab Hunnis pulſi in Pannoniam concedunt.

HISPANIAE nouum regnum, fractis Romanorum præſidiis, conditur ab Athanarico Gothorum, vel Getarum rege, à quo Hiſpani reges deinceps perpetua ſerie numerantur; cepit anno Chriſti 369. regnauit ille annos 13.

De Eccleſia Chriſti.

OCcidentalis eccleſia, Valentiniano pio res moderante in fidei pace, & conſenſu porrò floruit; Orienti verò per Valentem hæreticum afflicta eſt denuo, cuius ſtatum miſerrimum deſcribit Baſil. *epiſt.* 61. 69. 70. *Oroſius lib.* 7. *hiſt. tripart.*

38 S. Damaſus.

S. DAMASVS Hiſpanus Pont. Max. anno 366. multa in eccleſia præſtitit, ab eo tanquam ſummo epiſcopo tria Africana concilia petiuerunt ſua decreta confirmari, ab eo S. Hieronymus doctiſſimus licet, fidei ſinceræ iudicium petiuit, ipſe verò Antiocheno Patriarchæ fidei de Chriſto formulam præſcripſit; multum beati Hieronymi cùm in bibliis apparandis, tùm

alias

alijs piè inſtituendis opera vſus, præfuit annos XVIII. menſes II. dies XI. *Hier. ep. ad Damaſ. Theodor. 5. hiſt. 2. tom. 1. cõcil. Plat. Sigebert.*

Patriarchæ fiunt Conſtantinopoli Demophilus Arrianus, & Euagrius Catholicus à Valente in exilium pulſus, deinde Gregorius Nazianzenus, tùm Nectarius Catholici. Ieroſolymis Hilarius Arrianus contra Cyrillum Catholicum doctorem; Alexandriæ in locum Athanaſij Petrus II catholicus, cõtra Lucium Arrianum, dein Timotheus catholicus Antiochiæ Meletius, deinde Paulinus catholici, & contra eos Dorotheus Arrianus.

S. BASILIVS Magnus, Archiepiſcopus Cæſariẽſis Cappadociæ, orbis lumen, doctrinæ palatiũ, vox & tuba fidei triũphãs, vitæ beatæ dux, veritatis norma, fidei magiſter, & columen, facundiſſimus eccleſiæ doctor, deliciæ Aſiæ, magnanimi ſimul, & manſueti ſpirit⁹, doctrina ſacra, & ſanctitate mẽtis mirificè excellẽs, eloquẽtia tãta, & tã ſuaui, vt eius ſermo ſuadęmedulla rectè dici poſſit; in rebus diuinis ritè formandis, præſcribenda liturgia diuinæ Miſſæ, inſtituendis Græcorum monachis, arcendis ab eccleſia hæreticis lupis, maximè Cæſare Valente, magnam eſt adeptus laudem: in epiſcopatu minimè vſus eſt poteſtate, quod cum parcere ſciret, homines in ſuam ſententiam facilitate perduceret; cibo vtebatur permodico, tunica contentus vnica, & pallio detrito. Epiſcopatum geſſit annos octo: deceſſit Gratiano imper. Theodoſio nondum creato. Gregorium Nazianzenum ætate nonnihil præceſſit; verùm propter imperatorum Iuliani, & Valentis tempora, quibuſcum illis maximè pugnandum fuit, præpoſtero ordine locandos, eſſe viſum eſt. *Gregor. Nazianz. in monodia, & epiſt. 10. 26.*

Nicetius alter epiſcopus Biſuntinus in Burgundia floret; quæ tùm regio Chriſto palàm & nomen dare, & cultum deferre cœpit. *Merman. in theatro conuerſionis gentium.*

Septentrionales ſub Borea populi gratiæ calore per euangelium percepto ad vitam ęternam matureſcere incipiunt. Saracenis quoque Moſes eremita primus illorum epiſcopus prædicat; tùm etiam populi alij, gentium varia migratione, & permiſtione in Chriſti re-

gnum concedunt, *hiſtor.trip. Merman.*

In Africa epiſcopi plurimi, archiepiſcopi ſeptem; in AEgypto ſupra triginta epiſcopi erant. *Merman. Palladius diacon. in vita Chryſoſtomi.*

Monachorum inſtitutum diſperſum antea per deſerta, in Græcia, & Cappadocia inchoatur certis decretis & regulis frequẽtari in cœnobiis autore S. Baſilio, quorum adhuc ordo per Aſiam, Græciam, montibus Athos, & Sinai cernitur, vulgò Calohieri dicti. *Baſil. de conſtitut. monaſticis. Thenet. 6. coſmog.* 1.

Cardinales presbyteri iam tum Romę in vſu habentur, atque eò antiquius iam ſub Sylueſtro Pontifice. *Vide Volater. lib.* 22. *Anthrop. ſynodum Romanam ſub Sylueſtro. Onuphr. lib. de Cardinalibus.*

S. Ephræm Syrus, Chromatius epiſcopus Aquilegienſis, Euagrius, Philaſtrius, S. Maximus epiſcopus Moguntinus, Eutropius ſcriptores eccleſiaſtici clarent.

Hymni & cantiones ſacræ in eccleſiam Latinam à SS. Ambroſio, & Hilario ad Græcorũ ritum introducuntur. *Sigebert. in chron.*

Aphraates, Iulianus, Macarius, Iſidorus, Moſes, aliiq; monachi fidei claritate & magnitudine celebres relicto eremo in frequentes ciuitates commigrant, vt rebus fidei malè affectis opem ferant, ac populum in orthodoxia ſeruare iuuent. *Theodoret. lib. 4. hiſt.*

Valentinianus imp. præter cætera lege etiam cauit, ne ſe laici in res eccleſiaſticas dijudicandas immiſcerent; edixitq;, vt in cauſa fidei, vel eccleſiaſtici alicuius ordinis is iudicaret, qui nec munere impar eſſet, nec iure diſſimilis ait S. Ambroſ. *epiſt.* 32. *&* 33.

Hæreſis.

ORientis eccleſiæ per Græciam, Aſiam, Syriam, & AEgyptum ab Illyrico quaquaverſum corruptæ admodum erant, præter raras hinc, inde à magnis fidei conſtantia viris veritati aſſertas, & ſeruatas. *Theodoret. 5. hiſtor. & Sozomen. 7. hiſtor.*

Valens imperator hæreticus Arrianos, aliosq;, vt erant promiſcui, fouit, ad dignitates promouit, potentia auxit, & quouis modo iuuit: ac vulgo in prouerbium ceſſerat, hæreſes robur accepiſſe Conſtantij facilitate, & Valentis malitia. *Theodoret. 5. hiſt. 7. Sozom. 7. hiſt. 2.*

Gothi

Gothi iam tum Chriſtiani, aucti verò numero petunt ab imp. Valente plures epiſcopos, & presbyteros, à quo ſubſtituti Arriani, gentem eam vniuerſam peruerterunt. *Theodoret.*4. *hiſt.* 37. *Vaſaus in chron.*

Euchitæ, Maſſaliani, & Enthuſiaſtæ, ſupremam virtutem precationi conſignant; negant ſacramenta vllam gratiam, aut ſanctificationem in ſuſcipientibus operari, quod idem euangelici nunc repetunt. *Epiphan. hæreſi* 80. *Theodoret.* 4. *hiſt.* 11.

. Apollinarius inſignis poëta, Amantius, Palladius, Seleucus, Hermias, & Procliani hæretici variè de Trinitate, & Chriſti natura delirant. *Auguſt. de hæreſ. hiſt. tripart.*

Anthropomorphitæ, Audeani dicti, humana membra Deo affingunt. Nicephor. 11. hiſt. 14.

CAP. VI. GRATIANVS, & VALENTINIANVS *III. Imperator.*

Anno 375.

GRATIANVS, & Valentinianus iunior fratres, mortuo patre Valentiniano 17. Nouemb. viuente adhuc Valente imperium ineunt; ille ſingulari prudentia, & æquitate conſpicuus apud Argentinam triginta millia Germanorum cecidit, occiſus ipſe à Præfecto ſuo Maximo imperium inuadente. Imperauit diutius cum patre, eo verò defuncto, annos VII. menſes IX. dies IX.

VALENTINIANVS Iunior Cæſar dictus Gratiano fratre interfecto ad Theodoſium profugit, à quo reſtitutus, occidenti præfuit, atque ab Eugenio, & Arbogaſto tyrannis occiſus eſt, cum imperaſſet ſimul cum Gratiano & Theodoſio annos omnino XVI. menſes VI.

THEODOSIVS Auguſtus aſcitus eſt adhuc a Gratiano anno eius quarto inchoato, & ſimul tres imperatores regnarunt; huius temporis tres tantum anni cum menſibus aliquot Gratiano, & Valentiniano adnumerantur, cæteri Theodoſio illuſtriori.

De Eccleſia Chriſti.

TRes Auguſti, Gratianus, Valentinianus, Theodoſius edicto publico ad dignoſcendum Catholicos ab hæreticis edicunt, eam vnam orthodoxam religionem recipiendam eſſe, quæ Romæ a Beato Petro tradita vſque ad pontificem Damaſum perſeueraret, ijq; ſoli Catholici haberentur, qui & fidei & communionis Romanæ conſenſu cum Damaſo pontifice vniti eſſent. *Imp. Grat. Valent. Theod lib.1. codice de ſumma Trinit. & fid. Cathol. Theodor.5 hiſtor. 2. Ambroſ. orat. de obitu fratris.*

Gratianus imperator pulſos à Valente epiſcopos, eccleſiis reſtituit, petitq; fidei inſtitutionem à S. Ambroſio, ne fortè hæreticorũ opinionibus imprudens adhæreſceret; de eo & Valentiniano atque Theodoſio apud S. Ambroſium præclaræ orationes extant. *Theodoret. 5. hiſtor 2. Ambroſ.1. de S. Spiritu cap.1.*

S. AMBROSIVS præclarus eccleſiæ doctor, Mediolanenſis Archiepiſcopus ex vrbis præfecto electus, generis claritate, vitæ ſplendore, eloquentiæ facultate, & rerum externarum felicitate illuſtris, cum pro ſingulari ſapientia animaduerteret à Deo ſe ad potiora vocari, proiectis huius vitæ opibus vniuerſis, proq; damno habitis, vt Chriſtum lucrifaceret, commiſſa ſibi eccleſiæ gubernacula accepit; non tam ab hominibus aut euectus, aut euangelium Chriſti edoctus, quàm ab ipſo Domino, tanquam Amos quidam de grege caprarum, è medio iudicum deſumptus, & ad præſidentiam apoſtolicam translatus, pro fide Catholica labores, conſtantiam, & merita aduerſus hæreticos, & Iuſtinam Auguſtam etiam vſque ad ſanguinis profundendi periculum edidit; tantumq; in ſpiritu & virtute profecit, vt Arrianos admirãda doctrinæ vi tanquàm flagello cæderet, pelleretq; ex Italia; tyrannos imperterritus adiret, corriperetq;; ac Theodoſium imp. ob cædem Theſſalonicenſem communione eccleſiæ excluderet: cuius ille apoſtolicum pectus admiratus, vnum ſe Ambroſium epiſcopi nomine dignum repepriſſe prædicabat. Eccleſiæ porrò decorem peramanter procurans, ſacra præclarè interpretatus eſt, plebem commiſſam ſanctè inſtituit, & cantiones ſacras, hymnos, odasq; in eccleſia Latina ad Orie-

talium

talium concinniorem ritum ſuauiſſimè inſtituit. *Paulinus, & Coſterus in eius vita. Baſil. epiſt. 55. ad Ambroſ. Auguſt. lib. 1. contra Iulianum, Pelag. cap. 3. Ambroſ. in epiſtolis.*

S. Gregorius Nyſſenus epiſcopus Baſilij Magni frater, eloquentia, acumine doctrinæ, & ſanctitate ſpectatiſſimus: adhæc S. Pacianus Barcinonenſis epiſcopus Hiſpanus, & Aurelius Prudentius poëta florent.

Hæreſes.

IVſtina Auguſta, Valentiniani mater, Arrianorum fautrix Ambroſium apud imperatores traducit, & in exiliũ pellere nititur, niſi populus Mediolanenſis obſtitiſſet. *Ruffin. 2. hiſtor. 15.*

Priſcillianus Hiſpanus multa Manichæorum, Sabellianorum, & Montaniſtarum erronea renouat, à prouinciali ſynodo Toletana damnatus. *Auguſt. pluribus locis. Canus 5. theol. 4.*

Parmeniani in Africa, Montani, Donati, Arrijq; impietates conſarcinant. *Optatus Mileuitan.*

Heluidius negat beatam Dei genitricem poſt partum virginitatem ſeruaſſe: eius ſectatores ſunt Antidicomarianitæ. *Hieron. contra ipſum.*

Iouinianus negabat virginitatem coniugio, aut ieiunantem comedenti vllo merito præſtare; negabat baptiſatum quenquam in peccata relabi poſſe, & differentiam vllam eſſe in cœlo præmiorum; tollebat liberum arbitrium ad malum; monachis violato caſtitatis voto nuptias perſuadebat, abſtinentiam à carne, & vino ieiuniorum diebus, ſiue delectum ciborum damnabat, acerrimè à D. Hieronymo confutatus, *libris contra Iouinian.*

CAP. VII. THEODOSIVS *Imperator* *Anno 379.*

THEODOSIVS Magnus, Hiſpanus 16. Ianuarij à Gratiano ad imperij gubernacula aſſumptus, in oriente diu, viuente Gratiano & Valentiniano, poſtremò ſolus etiam in occidente imperauit, princeps fortiſſimus, ſapientiſſimus, ſummaq; religione, autoritate, & felicitate laudatiſſimus, atque adeo poſtremus qui

totum imperium adminiſtrauit ſolus. Gothos multis prælijs victos è Thracia expulit, tyrannum Maximum debellauit, Gratiani cædem vltus, Valentinianum reſtituit occidenti, quo etiam interfecto, congreſſurus cum Eugenio, & Arbogaſto tyrannis parricidis, cum eſſet longè copijs inferior, ad Dei imploranda præſidia conuerſus, totos dies ieiunijs, noctes precibus conſumpſit, atq; crucis Chriſti ſignaculo magna fide armatus ingentem victoriam eſt conſecutus, id quod Oroſius pręter alios ſcriptis prodidit; demum imperium magna laude pacatum reddidit. Imperauit omninò annos XVI. dies II.

Vandalorum primæ in alienas terras eruptiones fiunt, tum etiā Longobardi ex Scandia, & Hunni primum emergunt.

Rex Viſigothorum in Hiſpaniam tendentium eſt Athanaricus adhuc: deinde Alaricus anno 382. per annos 28.

De Eccleſia Chriſti.

THeodoſius imperator alter Ioſias, maximus hoſtis idolorum & hæreticorum, per Orientem eccleſiis tranquillitatem procurat, hæreticos antiepiſcopos, & antipatriarchas expellit, omnem hæreticorum vim, arrogantiamq; publicis legibus latis compeſcit, & eneruat; idolorum delubra non ſolum claudit, ſed funditus diruit, euertitq; ; tumq; demum idololatria è mediis eccleſiæ vrbibus penitus exulatum abiit. *Ambroſ. orat. de obitu Theodoſii. hiſtor. tripart.*

Gentiles abominando ſathaniſmo infecti paſſim in vrbibus adhuc reliqui erant, vt Antiochiæ, Athenis, Conſtantinopoli, Cyzici, Gazæ, Alexandriæ, & alibi, *vt conſtat ex Baſilio, & Palladio de vita Chryſoſt. & hiſt trip.*

Veſtalium, Pontificum, augurum, fæcialium, ſaliorum, & cæterorum paganorum ſacerdotum redditus publicos, priuatosq; vno edicto ſuſtulit Romæ Theodoſius. *Onuphr. libro 2. Reipubl. Romana.*

Symmachus Senatus Romani nomine idolorum cultum porrò permitti ab imperatore dato libello ſupplico, multis argumentis petit; confutatur ab Ambroſio, & Prudentio. Alexandriæ atrox ſeditio

ditio ob ſublatum iſtum deorum cultum mouetur. *Ambroſ. epiſt. 31. Prud. contra Symmach. Socrat. 5. hiſtor. 16.*

CONCILIVM Conſtantinopolitanum ſacroſanctum Oecumenicum II. anno 381. Theodoſij Auguſti hortatu celebratur centum quinquaginta epiſcopis Orientalibus, quo Nicæni canones confirmati, Spiritus ſancti eadem in diuinitate natura declarata, hæretici Macedonius, Photinus, alijq; damnati, & Conſtantinopolitano Patriarchæ ſecunda poſt Romanum epiſcopum ſedes delata eſt: euidens argumentum tùm contra Græcos ipſos, tùm contra noſtræ ætatis aduerſarios, epiſcopum Romanum, vt aliâs, ita & ab huius ſynodi patribus ſummum omnium epiſcoporum habitum fuiſſe; hactenus enim Conſtantinopolitanus Alexandrino, Antiocheno, & Ieroſolymitano patriarchis, vt tempore, ita autoritate poſterior fuerat. Porrò Concilium hoc Romæ cogi S. Damaſus cenſuerat; verùm cum eccleſiæ Græcorum vixdum orthodoxia reſtituta, longam epiſcoporum abſentiā non ferrent, conuenêre epiſcopi illi Conſtantinopoli, ac decreta cum excuſatione abſentiæ per legatos tres epiſcopos Cyriacum, Euſebium, & Priſcianum miſerunt Romam, quo ad concilium eo ipſo tempore congregati erant à Damaſo epiſcopi occidentales, quos inter ipſe S. Ambroſius erat. *Socrat. 5. hiſtor. 8. Theodoret. 5. hiſtor. 8. 9.*

39 S. Syricius

S. SYRICIVS, aliâs Vrſinus Romanus, Pont. max. anno 384. ſedulus eccleſiæ inuigilabat; ei de anathemate damnatis per ipſum hæreticis S. Ambroſius gratulatur epiſtola illa cuius eſt exordium; Recognouimus literis ſanctitatis tuæ boni paſtoris excubias, qui fideliter tibi commiſſam ianuam ſerues, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodias; dignus quem oues Chriſti audiant, & ſequantur: & mox; credatur ſymbolo Apoſtolorum, quod eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſeruat: quæ verba Ambroſij ſunt: qui idem Theophylo ſuaſit vt de lite eccleſiaſtica referret ad ſanctum Romanæ eccleſiæ ſacerdotem ſummum; quod tum non ſolum occidētalibus in vſu anti-

antiquitus erat, ſed etiam orientalibus; nempe pro neceſſitate eccleſiaſtica vel Romam ſcribendi, vt ex S. Baſilij epiſtolis conſtat; vel legatos mittendi, vt communi totius orientalis eccleſiæ nomine tum Romam venerunt ſummi & ſanctiſſimi Pontifices Paulinus Antiochenus, & Epiphanius Cyprius, & cum ipſis Hieronymus ex Bethlehem; vt non niſi calumnia impudens ſit, aſſerere Romani Pontificis primatum à Phoca originem habere, & ſi quæ ſimilia à criminatoribus confinguntur. Præfuit Syricius annos XIII. menſes I. dies XXV. *Ambroſ. epiſt. 81. 80 & 78. Baſil. epiſt. 61. & epiſt. 1. appendicis. Hieron. epiſt. ad Principiam.*

Cælibatum clericorum à Syricio introductum eſſe falsò nonnulli putant; cum eius autores potius ſint ſancti Apoſtoli: ſic enim ſtatuit Concilium Carthaginenſe II. Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineāt (quas ante initiationem duxerāt) vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus: & S. Epiphanius ait, presbyteros coniugio vacantes ab eccleſia non ſuſcipi, maximè vbi ſinceri ſunt canones. *Concil. Carth. II. can. 2. Epiphan. contra hæreſim 59.*

Patriarchæ fiunt Alexandriæ Theophilus; Antiochiæ Flauianus; Ieroſolymis Iohannes II. Nepos cognomine; Cōſtantinopoli poſt Nectarium Iohannes Chryſoſtomus vltimo anno Syricij.

S. HIERONYMVS celeberrimus eccleſiæ doctor Stridone natus, presbyter factus in ſcripturis diuinis à Gregorio Nazianzeno inſtitutus, fugiens mundi ſtrepitus, vt vnicè Deo vacaret, in vaſtam Syriæ ſolitudinem, deinde Bethlehem ſe recepit, vbi ſacræ cōmentationi, & ſcriptioni deditus, latinè, græcè, hebraicè tam in humanioribus, quàm diuinis doctiſſimus, & verſatiſſimus, nunc religioſos viros, fœminasq; pietatis monitis pulcherrimis, verbo aut ſcripto inſtruebat; nunc ad difficiles ſcripturarum quæſtiones è toto orbe ad ipſum delatas reſpondebat; nunc hæreticos confutabat; nunc ſacra bibliorum volumina vel emendabat, vel commentariis explanabat, vel integra in Latinum ſermonem Damaſi pontificis hortatu vertebat. Nouum, ait ſiquidem de ſe ipſe, teſtamentum

Græcæ

Græcæ fidei reddidi, vetus iuxta Hæbraicam tranſtuli. Viuendi ei ratio dura, & rigida erat, carnem longa inedia ſubiugabat, ſomnũ nuda humo capiebat, ſacco tantum indutus; ob cogitationes mũdi recurrentes pectus verberibus cedebat; concaua vallium illi, & aſpera montium locus erant orationis, qua diem crebro cum nocte iungenti, videbatur ſibi nonnunquam intereſſe agminibus angelorum. Cæterùm totus in lectione, totus in libris erat, nõ dies illum, non noctes ab oratione, aut lectione, aut ſcriptione vacantem deprehendebant. Romæ iam olim dum apud Damaſum ageret, ſanctus, humilis, diſertus dicebatur, & omnium iudicio dignus ſummo ſacerdotio; migrauit ad Dominum, natus annos vnum & nonaginta, anno Domini 422. *ex Hieron. ſcriptis & Sulpit. lib* 3.

S. Epiphanius epiſcopus Salaminę Cypri in omnes hæreſes, quæ hactenns ad octoginta primariæ fuerant, ſcripſit; tanræ autoritatis, vt nemo hæreticorum ipſum lædere auderet, tanta ſanctitatis, vt amore eius incenſi plurimi ex toto orbe Cyprum in monaſteria commigrarent: vixit annos centum quindecim. *Hieron. in epitaphio Paulæ. & Ioan. diſcip. in eius vita.*

SS. Martinus Turonenſis in Gallia vir admirabilis, quo inter epiſcopos occidentalis eccleſiæ nemo miraculorum gloria illuſtrior fuit: Exuperius Tholoſanus, Acholius Theſſalonius, Fulgentius, Carthaginenſis, Iſidorus Cordubenſis epiſcopi, Chriſti præceptis in omni vita conformati, ſanctitate & miraculis inſignes ſummo ſtudio, & labore fideles ad pietatem, paganos ad fidem erudiunt. *Sulpit. Ambroſ. Hieron.*

Peregrinationes religionis ergò celeberrimæ ſunt è toto orbe Ieroſolymam, magnis muneribus allatis, & adoratione facta ad Chriſti redemptoris ſepulchrum. *Hier. ad Paulinum, & Pammach. Epiphan. ad Ioannem Ieroſol. epiſcopum.*

S. Paula Romana vidua cum filia virgine Euſtochio, diſtributis in pauperes ampliſſimis opibus, Bethlehem proficiſcitur, vbi monaſteria virginum, & hoſpitium peregrinorum ædificat; ſanctè viuendo eius canticum pſalmi, ſermo euangelium, delitiæ continentia, vita ieiunium erat. *Hieron. in epitaphio ad Euſtoch. & Aſellam.*

Sanctimoniales porrò plurimæ à B. Ambroſio Mediolani, tum Alexandriæ inſtituebantur. *Ambroſ. lib. 1. & 3. de virgin. & ad virginem lapſam.*

Hæreſes.

AGapetani per mulierculam Agapem ad Veneris aras pelliciuntur; ieiuniis, & continentiæ infenſi. *Hieron. ad Euſtoch & ad Cteſiphontem.*

Collyridiani offerunt quotannis collyridem Beatæ Virgini, cultum ei diuinum exhibentes. *Epiphan. contra hæreſ 79.*

Sabbatiani Nouatianorum ſectam ſcindunt, Paſcha cum Iudæis agunt. *Niceph. lib. 12. hiſt.*

Arrianam hæreſim propagant Felicianus, & Dorotheus. *Prateolus de vita hæret.*

Vigilantius ſacras reliquias martyrum negat venerandas eſſe, id quod nunc quoq; hæretici docent. *lege Hierony. contra Vigilantium.*

CAP. VIII. ARCADIVS, & HONORIVS *Imperatores.*

Anno 395.

ARCADIVS Theodoſio patre 17. Februarij mortuo, in Oriẽte imperauit annos XIII menſes III. dies XV.

HONORIVS Arcadij frater occidentem rexit annos XXVIII. menſes XI. dies X.

Horum Præfecti Ruffinus in Aſia, Stilicon in Europa, Gildon in Africa tyrannidem attentantes poſt ſciſſum imperium, & varia prælia occiduntur; deinceps verò Romanum imp. per gentium barbararum eluuiones magis magisq; inclinare cœpit, ac dilacerari.

Burgundi, Nuitones, Sueui, Alani, & ſimul Vandali, Franciq; gẽtes immanes Rhenum tranſmittentes in Galliam irruunt; è quibus Sueui & Vandali etiam in Hiſpaniam penetrant: Burgundi nomen dant regioni vbi ſedem fixerunt poſtea; Nuitones Heluetiæ partem occiduam occupant ad vrbem Auenticum, vbi poſtea Friburgum & Berna ciuitates ſunt conditæ.

Rex Gothorum in Hiſpaniam tendentium eſt Alaricus adhuc.

De

De Eccleſia Chriſti.

EThnici confinxerant eccleſiam Chriſti interituram anno 365. ab eius ortu, qui ortus ab Aſcenſione Chriſti Domini ſumitur, triginta tribus annis poſt eius felicem natalem; ſed falſiſſimè; nam hoc ipſo anno florere latius cœpit, & Carthagine idolorum templa euerſa ſunt, vt annotauit S. Auguſt. *lib.*18. *Ciuit. Dei. cap.* 53. *&* 54.

40 S. Anaſtaſius.

S. ANASTASIVS Romanus Pont. max. anno 398. neminem, ex oriente veniẽtem, in communionem admittebat, niſi epiſcoporum plurium cõprobatum teſtimonio, vt videlicet Manichæis & cæteris hæreticis, qui Romam clam petebant, viam præcluderet; de quo S. Hieronymus ita ſcribit; beatæ ac ſanctæ memoriæ Anaſtaſius vir ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſtatim noxium perculit caput hæreticorum, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit. Præfuit annos III. dies XXI. *Hieron. ad Demetriadem. Platina.*

Alexandrina eccleſia legatum ad Pont. Rom. mittit Iſidorum multa ſenectute, & virtute venerabilem presbyterum, eccleſiæ negotia illic tranſacturum. *Pallad. de vita Chryſoſt.*

S. IOANNES Chryſoſtomus, Conſtantinopolitanus Patriarcha eodem anno quo Anaſtaſius Pont. factus, eccleſiæ ſplendidiſſimus Doctor, & lumen ſingulare, ſedulus Pauli apoſtoli imitator, & alter facundia Xenophon, perpetuus voluptatum, luxus, vitiorum hoſtis, ſeuerus presbyterorum corruptè viuentium cenſor, laboribus ipſe, vigiliis, & continentiæ perpetuò addictus; pecuniæ contemptu, ſobrietate, manſuetudine, miſericordia, iuſtitia; fortitudine, ſapientia præclarè excultus, ſolus comedere ſolitus, conuiuarum ſtrepitum, & apparatum quamlibet leuem exhorrens; domi contendebat vt nihil cum ſacrarum literarum præteriret; in publico magna in quoſuis dicendi libertate vtebatur, quibus cum Eudoxiæ imperatrici, aulicis, & ſacerdotibus leuioris ingenij ingratus eſſet, ab imperatore in exilium pulſus, ac populi tumultuantis deſiderio reuocatus; iterum in Ponti

exteras barbarorum terras à ferocibus militibus deportatus, cum & eas gentes Chriſto lucraretur, miſerè diu afflictus ad Dominum migrauit, decimo epiſcopatus anno, qui erat annus Chriſti Domini quadringenteſimus nonus. *Palladius de eius vita & hiſt. tripartita.*

41 S. Innocentius.

S. INNOCENTIVS Albanus Pont. Maxi. anno 401. inſtituit, vt ieiunium quolibet Sabbatho eſſet; Pelagium, & Cœleſtium hæreticos anathemate notauit, ſynodos Carthaginenſem, & Mileuitanam ex Africa ad ſedem apoſtolicam ſcribentes cõfirmauit, cuius rei epiſtolæ extant: ad B. Chryſoſtomi literas acceptas, ius, opemq; cõtra aduerſarios implorãtes, Theophilũ epiſcopũ, & Patriarchã Alexandrinũ, cuius fraude pulſus ille erat, Romam ad ſynodum citauit, Arcadiumq; imp. & Eudoxiam Auguſtam communione priuauit, vnde Romani Pontificis autoritas liquido iterum monſtratur. Præfuit annos XV. menſes II. dies XXI. *Platina; B. Auguſt. epiſtola* 42. *&* 90. *Chryſoſt. epiſt* 1. *&* 2. *Niceph. Palladius in vita Chryſoſt.*

Optatus epiſcopus Mileuitanus, Dydimus Alexandrinus, Sophronius, Ruffinus, Euodius, Marcus eremita ſcriptores eccleſiaſtici clarent.

Romæ adhuc, & in Hiſpania, quotidie ſacroſancta Euchariſtia à piis ſumebatur; Alexandriæ verò ſingulis diebus Dominicis: Conſtantinopoli diaconus præcedens paratos inuitabat: Græcos autem nonnullos ſemel duntaxat in anno communicantes obiurgat S. Ambroſius. *Hieron ad Lucinium: Athanaſ. apologia* 2. *Chryſoſt. homil.* 12. *ad Epheſ.* 3. *Ambroſ.* 5. *Sacrament.* 4. *Canus* 3 *theol.* 5.

S. Stephani reliquiæ Ieroſolymis reuelantur Luciano venerabili presbytero, & facta translatione, decentius conduntur. *Gennadij catalogus.*

Hereſes.

ORigeniſtæ ex Syria, & AEgypto extirpantur, quorum cauſa magni motus fuerunt. *Hieron ad Theophil. Canus* 7 *theolog* 3.

Abeliani populares per Africam, damnato matrimonio, liberos alienos adoptant, *Auguſt. de hereſibus.*

Arria-

Arrianorum fautor eſt Gainas tyrannus, ad quem Chryſoſtomus legatus imperatoris profectus eſt; ſunt quoque Maximinus, & Hilarius Arriani, *Theodoret.5.hiſt.32. & 33. Auguſt. contra hær.*

Petilianus, Gaudentius, Criſpinus, & Fulgentius in Africa Donatiſtarum partes tuentur. *Auguſtin.contra eoſdem.*

Felix, & Fauſtus Manichæorum errores renouant, poſt centum triginta ab autore annos. *Auguſt.contra eoſdem.*

Pelagius arrogans, & inſignis ſeductor, tantum liberæ hominis voluntati defert, vt hominem citra Dei gratiam benè, beateq; viuere, & peccatorum remiſſionem conſequi, & iuſtificationem cōparare ſuis conatibus, & naturæ viribus poſſe defendat; & alia eiuſmodi; cuius ſectatores fuêre primarij, Cœleſtius, Annianus, Iulianus epiſcopus Capuanus, & alij. *Auguſt. paſſim contra ipſos.*

Donatiſtarum multæ ciuitates in Africa principum Catholicorum edictis, & legibus ab hæreſi ad veritatem Catholicam reuocantur, non tam argumentis ſcripturæ, & rationis vi, quàm pœnarum comminatione; qua de re Auguſtinus, Mea, inquit, primitus ſententia erat, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus; ſed hæc mea opinio non contradicentium verbis, ſed demōſtrantium ſuperabatur exemplis; nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad vnitatem catholicam timore legum imperialium conuerſa eſt, quam nunc videmus ita huius animoſitatis perniciem deteſtari, vt in ea nunquā fuiſſe videatur; & paulò ante ait; Multas ciuitates fuiſſe Donatiſtas nunc eſſe catholicas, quæ timoris huius occaſionibus catholicæ factæ ſunt per leges imperatorum. *Auguſtin. ad Vincentium epiſt.48.*

CAP. IX. THEODOSIVS *II.* VALENTINIANVS *III. Imperator.*

Anno 408.

THEODOSIVS iunior, Arcadio patre primo Maij defuncto Orientem gubernandum ſuſcipit octennis ſub Pulcheriæ

ſororis tutela: mitis magis quam fortis; Attilæ ſe, & Genſerico primum oppoſuit, verùm fortiores expertus, induciis placauit. Imperauit annos XLII. menſes III.

Honorius Imp. occidentis adhuc imperauit per annos XVI. interim Romam perdidit, ac Rauennam migrauit, tyrannos paſſus plurimos.

VALENTINIANVS III. Honorio ſucceſſit in occidēte, ſublato Iohanne, qui biennio interea imperium occupauerat; dum is adoleſcit Placidia mater, quæ Honorij ſoror erat, diu rerum gubernacula tenuit, ac contra Bonifacium Africæ præfectum bellum geſſit. Valentinianus contra Gothos, & Attilam pugnauit; occiſus à Petronio Maximo, cum imperaſſet annos XXIX. menſes V. dies XXIII.

FRANCI nobilis Germanorum inter Saxones, & Allemannos gens ad Salam flumen, vnde Salica dicta, poſt longa cum Romanis bella Rhenum traijciens Treuirim vrbem cœpit, anno 410. vbi mortuo Marcomiro duce, regem primum denunciauit Faramundum anno 420. cui ſuffectus anno 431. Claudius è Gallia iterum exactus eſt; tertius Merouæus anno 449. ſtabilita in Galliis ſede, copias cum Romanis contra Attilam iunxit; quo initio facto paulatim quoq; aliæ Europæ nationes ab imperio defecêre.

Angli, Saxones Britanniæ oram orientalem magna manu, contra Scotos, & Pictos acciti, occupant, extremis ferè annis Theodoſij.

Dilaceratio imperij ſequuta eſt etiam grauior per ingentes & horrendas barbarorum Aquilonarium in orbem Chriſtianum excurſiones.

Gothi notiores, & primi fuerūt imperij Romani vaſtatores: hos veteres vocabant partim Getas, imminentes Iſtro, & Thraciæ; partim Sarmatas ſeu Scythas, qui bifariam in orientales Oſtrogothos, & occiduos Viſigothos diuiſi, cū Hunni in Oſtrogothos irruiſſent, Viſigothi primùm in Romanas prouincias irruperunt, temporibus Decij imperatoris; deinde Chriſtiani facti, ac poſt varium Martem preſſi

preſſi à Theodoſio Magno,ſtipendia ſub imperatoribus meruerũt, donec Stiliconis ſiniſtris conſiliis ab Honorio genero eius deficiunt; tum enim creato rege Alarico, ſeu Adelricho Radagaſtus alius Gothorum dux ſe ei cum ducentorum millium exercitu coniunxit,ac Italiam inuaſerunt cum omnibus copiis,vbi licet in Apẽnino deletus eſſet Radagaſtus idololatra, qui ſe litaturum diis ſuis Chriſtianorũ ſanguine prædicabat; tamen Alaricus longo detẽtus à Stilicone bello pacem ab Honorio,vnaq; Galliã,& Hiſpaniam ad ſedes figendas obtinuit, dummodo Vandalos inde exigeret; qui diſcedens cũ præter ſpem à Saule pręfecto exercitus per ſummam Stiliconis fraudẽ cæſus eſſet,Italiam repetiit, vaſtauitq;; ac Romã vrbem biennio obſidione cinxit, eamq; ad tantas difficultates, calamitatesq; adegit,vt fame rabidi ciues, ne humanis quidẽ carnibus pepercerint; quam tãdem captã diripuit,intactis tamen ſacris templis,& hominibus quotquot in tẽpla perfugiſſent; anno 410. Inde in Africam nauigans cum opulentiſſima pręda,& Placidia Honorij ſorore,naufragium fecit. Obmurmuratum eſt admodum Chriſtianæ religioni à Senatu Romano non ita pridem conuerſo,ac ſi deorum gentilium ira hæc tanta mala ob fidem, nomenq; Chriſto datum inuexiſſet;ſed errabãt adhuc miſeri;nec tàm puſilli,quàm peruerſi animi hęc ratiocinatio erat,quando potius Romam ob antea exercitam in Chriſtianos tantam vim, cædẽ, ſtragem,rabiem,tandem aliquãdo & ipſam obrui,inuoluiq; ſuis malis æquũ eſſet; cum ſonti vrbi cladẽ hanc tantam, non ab iratis idolis, ſed à Deo viuo, & vero illatam fuiſſe, vel ex eo conſtaret, quòd ſalui & incolumes euaſiſſent, quicunque in domum eius, tanquam ſub ipſius alas,ad aſylum perfugerant. Permouit hoc murmur S. Auguſtinum ad libros illos admirabiles de Ciuitate Dei elucubrandos, & Oroſium ad hiſtoriam ſcribendam.

Attila, Hunniq; ex Scythia Aſiæ fera gens, cum primum ex Hyperboreis montibus emergentes, Oſtrogothos vaſtaſſent, cedẽtes Viſigothos ſenſim inſequuti,Armeniam,Aſiamq; omnẽ Antiochiã vſq; inundarunt,ingenti vbiq; clade illata;vt S. Hieronymus ad O ceanum

ceanum præter alios narrat: qui cum in Europa Thraciam, Mœſiã, Pannoniã immanibus prœliis ſubiugaſſent anno 401. Pannoniamq́; de ſe Hungariam nuncupaſſent, quamuis poſtea fuerint inde ſępius repulſi; anno 426. ex ſuis regem dixerũt Attilam octoginta circiter annos natũ, ſtatura breui, depreſſaq́;, lato pectore, capite grandi nigricãte, oculis exilibus, naſo aquilino, barba raris pilis hiſpida, ſenẽ illum quidẽ, ſed vt rei militaris peritiſſimũ, ita omniũ ferociſſimũ, & caliditate, im̃anitateq́; crudeliſſimũ, qui flagellũ Dei ſe dicẽs, fratri Bledæ tradito regno, ipſe velut prædo gẽtiũ monarchiã affectãs, cũ quingẽtorũ milliũ exercitu, tũ in Theodoſiũ imperatorẽ, tũ per Germaniã ducit, obuia quæq; oppida exſcindit, obterit, vaſtat, maximè Baſileã, Argentoratũ, Coloniam, tum in Burgundia, & Gallia Biſuntium, Lugdunum, Aureliam, donec ab Aëtio duce Romani imperij iunctis cum Merouæi Franci, & Theodorici Gothi valida manu copiis, apud Tholoſam fuſus eſt, amiſſis centum octoginta millibus ſuorum; Aëtius porro quod effugium Attilæ permiſiſſet, à Valentiniano imperatore interemptus eſt: Attila verò hac inſigni ſtrage fractus in Vngariam recedit, exercitum reparat, fratrem iugulat, atque reſumpto animo per Illyricum Italiam petit, Aquilegiam triennio obſidet (quo tempore Venetiæ in mari à profugis ſunt conditæ) euertit Patauium, Veronam, Brixiam, Mantuam, atq; Ferrariam: inde Romam tendenti occurrit beatus Leo pontifex ſacro indutus habitu, clero comitatus, & ſtipatus apoſtolorum Petri & Pauli præſidio, quos tyrannus ipſe poſtea faſſus eſt ipſum minantes vidiſſe; qua abſterritus autoritate, Galliam repetens, repellitur à Gothorum rege. Itaque bellorum ſatur in Vngariam ſe recipit, nouis nuptiis vacat, ac indulgens genio, luxu nimio vitam præfocat, anno regni XXVII. anno Chriſti 453. cuius quatuor liberi pro regno digladiantes ſimul cum vita finierunt regnum.

Vandali extremi Germaniæ in Boream populi, ante Gothorum eruptiones, in alias demigrarunt regiones, pars in Poloniam, aut in Bohemiam, pars in Illyricum, ſeu Sclauoniam, pars etiam in Burgundiam ſuccedente tempore; alij porrò Vandali, & ſimul Sueui, Burgundiq́; Galliam petiuerunt, ex qua pulſi in Hiſpaniam euaſerunt

runt; inde in Africam tranſuecti ſunt à præfecto imperij Bonifacio, ſub ipſo contra Placidiam Auguſtam militaturi; qua occaſione ſedem illic ſtatuentes, anno Theodoſij viceſimo regem fecerunt Genſericum trucem Vandalum, qui per annos quinquaginta vnū ingentia bella contra imperatores confecit, Africam domuit, Romanos inde expulit; in Italiam traiecit, & Martiani principatu Romam vrbem cœpit, vaſtauitq;.

Sueuorum regnum in Galleeia Hiſpaniæ per Hermericum Sueuum inſtituitur anno 408. inde ſtetit annos 173.

Reges Viſigothorum Hiſpaniæ ſunt Alaricus adhuc; deinde anno 411. Athaulfus, vel Adolfus, qui cum in Hiſpaniam primus veniſſet, ſedem ibi fixit: tum anno 416. Sigrichus; tum anno 417. Vallia, qui Vandalos ex Hiſpania pellit: tùm anno 439. Theodoretus.

De Eccleſia Chriſti.

Fieri non potuit, quin tanta in populatione, & vaſtatione regionum, plurima, & grauiſſima incommoda paſſim acciperēt eccleſiæ; præſertim barbaris latè graſſantibus; qui, ait de Hunnis S. Hieronymus; inſperati vbique aderant; & famam celeritate vincentes non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant: conſonus inter omnes rumor, petere eos Ieroſolymam, & ob nimiam auri cupiditatem ad hanc vrbem percurrere; tunc & nos compulſi ſumus parare naues, eſſe in littore, aduentum hoſtium præcauere non tam propriæ ſaluti, quàm virginum caſtimoniæ prouidentes. Hactenus ille adhuc ſuperſtes in Bethlehem, vbi ſanctimoniales Chriſto plurimæ viuebant. Ieroſolymitana verò eccleſia ex populorum illuc toto ex orbe peregrinantium oblationibus, & pretioſis muneribus erat ditiſſima. *Hieron. epitaph. Fabiola, & aduerſ. errores Iohannis.*

Monachorum viuendi ratio aptiſſimo regimine in AEgypto fulciebatur, centenis ſub Abbatibus ſingulis conſtitutis, quorum cura, ſtudiumq; omne in eo verſabatur, vt quique ſuos monachos ad perfectionem Chriſtianæ ſanctitatis quàm poſſet maximè induceret; quod ſi adhuc obſeruaretur, maiorem multò ex Abbatiis laudem, fructumq; eccleſia caperet. *Seuer. Sulpit. dialogo.* 1.

Mm

42 S. Sozimus.

S. SOZYMVS Cappadox ex Aſia Pont. Max. anno 416. ad ſynodos Africæ legatos miſit, & literas ad Orientis, & Occidentis eccleſias, de damnãdis & vitandis Pelagianis. Præfuit annos III. menſes IV. dies VII. *Poſſido. vita S. Auguſt. cap.* 18.

43 S. Bonifacius.

S. BONIFACIVS Romanus Pont. Max. anno 419. vigilias, quas ad ſepulchra ſanctorum martyrum agebant, antiquauit; ieiuniis retentis, eius cenſuram in ſcripta ſua S. Auguſtinus, præcipuè in libros contra Pelagium ſcriptos, rogauit; tantus doctor in tanto precio habebat pontificem, quem ſcioli nunc contemnunt. Præfuit annos III. menſes IX. dies XXVIII. *Plat. Auguſt. lib. 4. contra epiſt. Pelagij.*

Concilia aliquot Carthagine habentur, quorũ tertio inter alia, libri bibliorũ ſacri ijdẽ declarantur, quos Concil. Tridentinum denuò probauit. Decreta Carthagine Romam mittuntur apoſtolica autoritate confirmanda. *Concil. Carth. 3. can. 47.*

S. AVGVSTINVS epiſcopus Hipponenſis Afer, eccleſiæ maximus doctor, lucerna in candelabro Euangelico latè ſplendens, vena fontis æterni, & aquæ viuæ, cuius in pectore gratia domini ſingularis inſederat, in dicendo felix, ingenio argutus, rerumq; diuinarum, & humanarum ſcientia omnium mortalium qui vnquã fuêre doctiſſimus; cum eſſet prima ætate ad trigeſimum annum ſcientia rhetorum & philoſophorum inflatus, adhæc Manichæorum erroribus imbutus, à D. Ambroſio conuerſus eſt; inde vero vt primum ſerio diuinas ſcripturas in manus ſumpſit, & ſanctiſſimam Antonij monachi vitam intellexit, horrens ſeipſum, continuo captus eſt cœleſtis ſapientiæ guſtu, &, quid agimus? inquit, ſurgunt indocti, & cœlum rapiunt; nos cum doctrinis noſtris in carne, & ſanguine volutamur. Quare mundo extremũm valere iuſſo, totum ſe cœleſti doctrinæ, & pietati tradidit, & paulò poſt epiſcopus eſt factus; quo in munere quadraginta annos eccleſiæ curam diligentiſſimè obiens, multa præclarè fecit, plebem ad pietatem aſſiduè inſtituit

inſtituit,ſacerdotes pro cuiuſque merito prouexit,aut remouit;hę reticos identidem cùm diſputationibus, tùm ſcriptis debellauit tanta felicitate,vi,& ſpiritu, vt nuſquam quenquam docere paſſus, Africam totam à Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum colluuie perpurgarit; paganos quoque tam dextrè de Chriſti regis gloria,& redemptione edocuit, vt vix paucos reliquos fecerit; ecclesiæ pacem tranquillitatemq; ſedulo procurauit; Honorio imperatore id ipſum per leges contra hæreticos,& nouatores iuuāte; ſcripſit interea libros admirabiles,plurimos;verbum Dei ad vltimā ſenectutem prędicauit;veſtis ei nec nitida nimium, neque abiecta erat, menſa frugalis, & parca,frequenter ex olere, & leguminibus, vino diluto vtebatur modicè; cæteroquin à curis ſæculi tam auerſus, tāq; ſolicitus, ne quam in capiēdo cibo ſuauitatem ſectaretur, vt edendi neceſſitatem,calamitatem diceret;mens ipſa arcto amoris nexu in Deum perpetuò reuincta erat,illum cogitabat,mirabatur,prædicabat;hic ſcopus vnus erat,illi placuiſſe,illiusq; quęſiuiſſe gloriam;Tantis verò ornatum virtutibus, & laboribus perfunctū, ingruente Vandalorum vaſtatione,& iam tertium menſem obſeſſa ipſius vrbe Hippone,natum annos ſeptuaginta ſex,Deus in cœlum euocauit anno 433.*ex Auguſt.lib.confeſſ & Poſſidonio.Cano.10.theolog.5.*

Facultates eccleſiæ ex redditibus poſſeſſionum, vel ex oblationibus fidelium conſtabant; quas cum inuideri Clero cerneret S. Auguſtinus, paratum ſe vniuerſa concedere laicis aiebat, dum tantum illi contribuerent,quātum clero ſuſtentando ſatis eſſet,quod illi abnuerunt.*Poſſidon.in vita Auguſt.cap.23.*

Ordo Eremitarum S. Auguſtini inſtituitur, & ab Innocentio confirmatur,alter item ordo à S.Auguſtino excitatur Clericorum, qui poſtea Canonicorum dictus eſt.*Ex ordinis hiſtoria.*

SS. Paulinus Nolanus, Maximus Taurinenſis, Petronius, Bononienſis, Eucherius, Lugdunenſis epiſcopi ſanctiſſimi, & doctiſſimi; adhæc Oroſius Hiſpanus,Lucianus Ieroſolymita-

nus, Seuerus Sulpitius Aquitanus presbyteri, ſcriptores eccleſiaſtici florent.

44 S. Cœleſtinus.

S. COELESTINVS Romanus Pont. Max. anno 423. ſanciuit presbyteros canonum peritos eſſe oportere, decreuit ipſe nonnulla; Galliæ presbyteros ob introductas quaſdam nouationes reprehendit; regno Scotorum primum epiſcopum dedit Palladium. Præfuit annos VIII. menſes V. dies III. *Volater. epiſt. pont. Beda cap.* 13. *Vincent. Lyr.*

Socrates, & Sozomenus, & Theodoretus hiſtoriam tripartitam eccleſiæ deſcribunt; adhæc Palladius, Sedulius, Poſſidonius, & Caſſianus florent.

Burgundi ab Arrianorum fermento ad Catholicam veritatem adducuntur. *Merman in theatro.*

Scoti iam in Chriſto Domino illuminati erant, ſed hactenus ſine epiſcopo. *Beda cap.* 13.

CONCILIVM Epheſinum ſacroſanctum œcumenicum tertium habetur anno 430. Theodoſij imperatoris ſtudio & hortatu à ducentis epiſcopis; contra Neſtorium: declaratur duplex Chriſti natura in vna, eademq; perſona; ac beata virgo Maria vocatur θεοτόκος Dei genitrix. Præſes fuit Cyrillus Alexandrinus à Cœleſtino Pontifice vicarius nominatus; vt fidem faciunt hiſtoriæ. *Concil. tom.* 11. *Vincent. Lyren. Marcell. comes in chronico. Euagrius* 1. *hiſt* 4.

45 S. Sixtus. III.

S. SIXTVS III. Romanus Pont. Max. anno 432. legatum Leonem miſit in Galliam ad conciliãdam inter AEtium, & Albinum principes pacem. Præfuit annos VII. menſes XI. *Sigonius de imperio occidentis.*

Cyrillus Alexandrinus doctor inſignis, Hilarius Arelatenſis, Proclus Conſtantinopolitanus epiſcopi, & Vincentius Lyrenenſis Abbas ſcriptores illuſtres, & percelebres florent.

S. Simeones Syrus magna fide, & claris virtutibus celebratur. *Euag.* 1. *hiſt.* 13.

Perſiæ

Perſiæ & Meſopotamiæ eccleſiæ diuturnis, & grauiſſimis perſequutionibus ad internecionem ferè delentur per Iſdigertem regem, ob delubrum idoli ab Audano Chriſtiano euerſum, deinde per Vararanem regem. *Theodor.* 5. *hiſtor.* 39 *Socrat.* 7. *hiſt.* 18. *&* 20.

Ieroſolymorum mœnia per Eudoxiam Auguſtam reparantur; & ſimul excitantur templum S. Stephani, & monaſteria aliquot in Laura. *Euagrius* 1. *hiſtor.* 21. 22.

46 S. Leo.

S. LEO magnus Romanus Pont. Maxi. anno 440. ſanctitate, magna fide, & ſumma prudentia apud Deum, & principes multum valuit, zizaniam hæreſum à genuino germine verbi Chriſti diſcreuit; Attilam tyrannũ ex Italia euertit; patriarcham Conſtantinopolitanum Anatholium magnitudine, & frequentia principum vrbis illius, primatum in alias eccleſias ambientem corripuit, ac veterum Conciliorum ſententiis abſterruit, multa contra Eutychetem hæreticum egit; diaconis æquè, ac epiſcopis, & ſacerdotibus cœlibatum indixit; ſingulari vigilantia ſolicitudinem omnium eccleſiarum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Græciæ, Aſiæ, Africæ geſſit, vt illius epiſtolæ declarant, decreta multa vtilia ſanciuit. Præfuit annos XX. menſes XI. *Leo in epiſtolis, Sigonius de imp occidentis, Bonfinius hiſt. Hungar. decade* 1. *lib.* 7.

Primatum Romani Pontificis, vt in alias, ſic in Orientis quoque & Græciæ eccleſias ſemper fuiſſe, id quoque argumento eſt, quòd Theſſalonicenſis epiſcopus Romani Pontificis per Orientem Vicarius erat, qua de re verba S. Leonis ſunt ad Anaſtaſiũ epiſcopum Theſſalonicenſem: Quoniam, ait, ſicut prædeceſſores mei prędeceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam vniuerſis eccleſiis principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus, adiuuares; & longinquis ab apoſtolica ſede prouinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes. *S. Leo epiſt.* 82.

Confeſſio in eccleſia peccatorum duplex erat, altera publica, qua peccata confitentium in congregatione publicabantur; altera

priuato ſacerdoti ſecreta; illam Beatus Leo ſuſtulit, hanc confirmatam retinuit. *S. Leo epiſt.78.*

Perſecutio Vandalica eccleſiarum in Africa atrociſſima exercetur per Genſericum Vandalorum regem Arrianum, qui Catholicæ fidei cultum plurimum labefaſtauit, vt fusè Victor Vticenſis epiſcopus deſcribit.

Anglia ad orthodoxiam à Pelagianorum perſuaſionibus reducitur, per SS. epiſcopos Germanum Altiſiodorenſem, & Lupum Trecenſem Gallum, quibus obſtitit miris technis, & difficultatibus Sathan; moti ſunt verò admodum homines miraculo quo ille cæcam mulierem ſanctarum reliquiarum attactu illuminauit. *Beda hiſt. Angliæ. Paul. diaconus lib.5. Gregorius Turonenſis.*

Communio ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſub altera tantum ſpecie frequentior, & pluribus locis introducitur, ad Neſtorianos dignoſcendos. *Hoſius Confeſſ. cap.40.*

Hæreſes.

NEſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus hæreſim inſignẽ excitat, aſſerentem in Chriſto Domino perſonas eſſe Deitatis, & humanitatis bipartitas, nudumq; hominem ex Maria natum, demum diuinitati iunctum eſſe; negatq; ſub ſpecie ſanctiſſimæ Euchariſtiæ alterutra ſimul diuinum corpus, & ſanguinem Chriſti contineri; aſſerebat enim Chriſtum diuiſum, corpore ſolo ſub panis ſpecie, ſanguine ſolum ſub vini ſpecie eſſe. *Vincent. Lyr. Niceph. 14. hiſt.13. Prateol. de hæreſibus. Hoſius contra Brentium.*

Arrianorum furioſa vaſtatio eccleſiarum per Genſericum Vandalum in Africa ſæuit annos plurimos; inter alia prohibebat ille exequias, & ſacrificia pro vita functis; Proculus quidam altaribus detractas pallas in femoralia, & induſia conſuebat, qui demum prodigiosè periit. *Lege Victorem Vticenſ. de perſecut. Vandalor. libr. 1.*

Eutyches Archimandrita, ſeu abbas Conſtantinopolitanus ingentes denuò, & grauiſſimas turbas, factionesque in Orientem inuexit; dogma illius præcipuum erat Neſtoriano contrarium, non ſolum non duas perſonas, ſed ne duas naturas quidem in Chriſto

Chriſto Domino eſſe; ac præpoſterè gloriam Dei quærens, indignum dicebat humanam naturam noſtri ſimilem in Chriſto credere: fuiſſe autem humanam naturam in ipſo conceptionis momento in vnam Deitatis naturam tranſmutatam atque confuſam; atque ob eam cauſam nec humanitatem, ſed diuinitatem Chriſti paſſam eſſe. Incredibile verò eſt quot populorum cœtus, quot principes, & epiſcopos ſpecioſa hæc, ſed peruerſiſſima opinio ſeduxit, aut certè ſuſpenſos tenuit, vt magna pars Orientalis eccleſiæ per eam corrupta fuerit. *Leo Magnus in epiſt. Euag. hiſtor.* 1. *lib. cap.* 9.10.

Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus Eutychianam hæreſim maximè promouet; nec tantum vnquam potuiſſet Eutyches, niſi iſte ſua autoritate ei ſocius acceſſiſſet. *Euagrius lib.* 1. *hiſtor.* 10.

CAP. X. MARTIANVS *Imp.*
Anno 450.

MARTIANVS mortuo 28. Iulij Theodoſio iuniore, cuius ſororem Pulcheriam duxerat coniugem, imperio præfuit, pacis amans tum imperij, tum eccleſiæ; illud dictitans, dum pax eſt arma ne induamus: imperauit annos VI. menſes VI.

Valentinianus adhuc in Occidente imperans, occiditur anno Martiani quinto ab amicis Aëtij patricij ſummi ducis, quem ipſe occiderat.

ANICIVS Maximus imperator Occidentis eſt menſes II. dies XXVII. quo occiſo interregnum eſt dies XXVIII.

MOECILIVS Auitus imperat in Occidēte menſes X. dies VIII.

Roma vrbs iterū capta, & direpta eſt anno quadrageſimo quinto à prima expugnatione, per Genſericū Vandalorum regē, & ornamenta imperialia, opesque vndequaq; congeſtæ in Africam transportatæ anno Chriſti 455. ab vrbe condita 1207. Quo loco Vectius nobilis augur Romanus quādam Balaami ſpiritus cōmunionē habuiſſe videtur, quem dixiſſe Varro refert, Quoniam CXX. annos incolumis prętermiſſet populus Romanus, ad MCC. peruenturum; vaticinij momentis è decupla numeri ratione ductis.

MAIO-

MAIORANVS in occidente poſt interregnum menſium X. & dierum XV. imperat annos IV. dies II.

Italia ferè vna,& ſola imperio occidentali deinceps paret, cæteris prouinciis ab exteris nationibus occupatis.

Pannonia poſt mortem Attilæ occupatur ab Oſtrogothis anno 455.

ANGLORVM regnum in Britannia inſula inſtituitur: deſtituti enim Britanni Romanis præſidiis,preſſiq; Scotorum & Pictorum armis,Anglos milites Saxones accerſunt anno 449 qui vbertate ſoli illecti ſedem ibi figunt, ius ſibi vendicant, regnumq; excitant,duce Hengiſto,anno circiter 451. Conanus dux in Armoricam Galliæ prouinciam è Britannia nouam coloniam militum traducit,Vrſulam Dionethi regis filiam,virginumq; multa milia ſibi,militibusq; ſuis nuptui petit, Britanniam Gallicam à ſuis denominat.

Rex Francorum adhuc eſt Meroueus.

Rex Hiſpaniæ Viſigothorum eſt Theodoretus,qui fuſo exercitu Attilæ in pugna Tholoſana cæſus eſt: regnabant enim cùm in Hiſpania, tùm in Aquitania Galliæ parte Viſigothi: ſucceſſit ei anno 453. Thuriſmundus;tum anno 454. Theodoricus,qui permiſſu imperatoris,pro nauata opera contra Gallos, regnum in Hiſpania firmat,regemq; Sueuorum Rechiarium illic prælio vincit.

De Eccleſia Chriſti.

MArtianus imperator,& Pulcheria Auguſta contra Anatholij Conſtantinopolitani patriarchę arrogantiam literis vbique edicunt, de Leonis Romani Pontificis autoritate ab omnibus ſequenda; quam in illum omnem, & ſummam contulerunt, & ſuſpexerunt. Quare licet Pontifex Romanus non ab hominibus,ſed à Chriſto ſummam autoritatem acceperit, tamen ne inter homines quidem Phocas primus imperator eſt,qui primatum Romani epiſcopi prouexit. *Theodorus Græcus Lector lib. 1. collect. cap. 3.*

CONCILIVM Chalcedonenſe ſacroſanctum œcumenicum IV. celebratur anno 455. petente id Martiano imper. à Sancto Leone pontifice Romano; interfuerunt ſexcenti triginta epiſcopi: Præſides Leonis vice ab ipſo miſſi fuerunt Paſcaſianus,

& Lu-

& Lucentius epiſcopi, cum Bonifacio presbytero; damnatur Eutyches hæreſiarcha, & epiſcopatu pellitur Dioſcorus Alexandrinus; declarantur ſaluatoris noſtri Chriſti duæ naturæ diſcretæ, vnā perſonam mirabiliter conſtituentes; formulam eccleſiaſticæ deciſionis S. Leo præſcripſerat, ad quam in Concilio prælectam, acclamationes patrum vno omnium ore conſequutæ ſunt; omnes ita credimus vt Leo papa credit, anathema ei qui Chriſtum diuidit, qui ipſius confundit naturas; & mox: Hæc fides patrum, hæc fides apoſtolorum, omnes ſic credimus, orthodoxi ſic credunt, anathema ei qui ſic non credit; Petrus per Leonem iſta pronunciauit. Quæ verba Concilij formalia ſunt apud Euagrium 2. *hiſt. cap.* 2. 4. *&* 18. *tom.* 11. *Concil.*

S. Proſper Aquitanicus celebris in eccleſia ſcriptor, Romæ Leonem Pontificem in epiſtolis eccleſiaſticis aliquandiu iuuit, à quo miſſus eſt primum ad concilium Chalcedonenſe contra hæreticos diſputaturus: deinde ad eccleſiam Regiēſem, cui epiſcopus magna ſolicitudine & ſanctitate præfuit. *Ioan. Ant. Flaminius in eius vita.*

S. Vrſula à primis annis Deo dedicata, ac præter mentem à patre rege Angliæ Britanniæ duci Conano nuptui tradita, dum vnà cum agmine virginum ampliſſimo, quæ militum nuptiis parabantur, in Britanniam traiicere putabat, in aliam oram vi ventorum delata, peregrinationem religioſam ſubit, atque per Baſileam ſecundum Rhenum rediens, apud Coloniam ab Hunnis barbaris cum vniuerſo comitatu etiam virorum, mulierumq; aliarum trucidatur, duplicatum virginitatis, martyriiq; trophæum conſecuta. *Ex Hermanno Fleieno, & Boethio 7. hiſt. Scotica*

S. Panthalus epiſcopus Baſilienſis fidelium cœtus per Heluetiā magno ſtudio auget. *Breuiarium Baſilienſe.*

H. eſes.

HAEſitantes Eutychiani οἱ διακρινόμενοι dubitabant an ſequendū eſſet Concilium: & Timotheus Alexandrinus occiſo à ſe apud baptiſterium Proterio patriarcha in Dioſcori locum ſuffecto, ingentes turbas mouet, ne qua Concilio autoritas, & fides habeatur. Hos noſtri æui Proteſtantes ferè exprimunt. Interea & Mar-

tianus Imperator, & Leo ſucceſſor omni cura Concilij partes tutati ſunt, & antagoniſtas repreſſerunt. *Leo in epiſt. Euagr. 2. & ... lib. hiſt. Sigonius de imp. Occidentis.*

CAP. XI. LEO *Imperator.*

Anno 457.

LEO, mortuo Martiano 25. Ianuarij, Græciæ gẽtis primus imperator Romanus, ab Anatholio patriarcha Conſtantinopolitano primus inauguratur, & coronatur; vacante in Occidente imperij ſede, præfectos eò miſit, poſtea Anthemium contra Vandalos iuuit, Baſilicum patricium exercitui contra Gentericum præfecit, Oſtrogothis Illyricum populantibus Pannoniam incolendam dedit; comperta epiſcoporum in fide vnitate ſedulam eccleſiæ contra hæreticos opem tulit: imperauit annos XVII.

MAIORANVS in Occidente imperat annos IV. menſes IV. dies II. interregnum fuit menſium III. dierum XVI.

SEVERVS in Occidente imperat annos III. menſes IX. inde ſequitur ſolitudo magiſtratus anno I. menſibus VIII.

ANTHEMIVS in Occidente imperat annos V. menſes III.

OLYBRIVS, in Occidente imperat, menſes III. dies XXIII.

GLYCERIVS in Occidẽte imperat annũ I. mẽſes III. dies XXI.

Rex Francorum adhuc eſt Meroueus; deinde Hildericus anno 459. qui ob inſolentiam pulſus, quinto anno reſtitutus eſt.

Rex Hiſpaniæ Theodoricus adhuc eſt, quo à fratre interempto ſuccedit anno 467. Euricus, vel Henricus occiſi frater, qui regnum auxit & leges præſcripſit.

De Eccleſia Chriſti.

47 S. Hilarius.

S. HILARIVS Sardus Pont. Max. anno 461. literis Orientales epiſcopos omnes ad Catholicam veritatem ſeruandam hortatus eſt. Præfuit annos VI. menſes III. dies X. *epiſt. pontificum.*

S. Petrus Chryſologus epiſcopus Rauennas, Muſæus presbyter Maſſilienſis qui precationum formas in Breuiarium redegit, celebres habentur. *Gennad. catalogo.*

Rogationes quæ vocantur primum introducũtur à S. Mamerte epi-

epiſcopo Viennenſi Gallo. *Gregor. Turonenſ.*

48 S. Simplicius

S. SVLPITIVS, aut Simplicius Tiburtinus Pont. Max. anno 467. cauit ne epiſcopi ipſi ſucceſſores ſubrogarēt, néue ad epiſcopatum capeſſendum quiſquam cogeretur. Pręfuit annos XV. menſes VI. dies XXIII. *epiſt pontiſ.*

Perſequutio Vandalica per Hunricum Genſerici fil. in Africa cōtinuatur; pellit ille in exilium epiſcopos quadringentos quadraginta, & Chriſti fidelium multa millia; poſtremo à vermibus viuus corroſus eſt. *Sigibert. chron.*

Ecdicius ſenator in Burgundia, vrgente orbem fame, pauperes ſolicitè conquirit, ac liberaliter fouet. *Gregor. Turonenſ.*

Hebraica lingua primum punctis, vocalium loco ad lectionis facilitatem notari cœpit, ſynodo à Iudæis in Tyberiade celebrata anno 476. *Geneb. chronograph.*

Hæreſes.

THeopaſchitæ deitatem in Chriſto paſſam eſſe afferentes, dicti ſunt Eutychiani illi qui ſecundum Petrum Cnaphæum deſcēderunt; diſſecti enim ſunt Eutychiani in ſectas duodecim; ac quò longius ſerpſerunt, hoc minus conſentiebant. *Niceph.* 15 *hiſt.* 28.

Sueui inter Vandalos Hiſpaniæ incolas à Gallo quodam Aiace Arrianiſmo inficiuntur, qua in perniciè fuêre annos nonaginta. *Vaſæus, in chronicis.*

CAP. XII. ZENO *Imperator.*

Anno 474.

ZENO ex Leonis filia Leonem iuniorem filium ſuſcepit, qui ab auo Auguſtus appellatus, auo mortuo menſe Ianuarij patrem Zenonem vnà imperatorem dixit. Verùm Leone iuniore item anno primo vita defuncto, Zeno ſolus imperio potitus, eodē poſtmodū exutus à Baſiliſco tyranno eſt: quo deuicto recuperauit imperiū; ac Theodoricū Oſtrogothorum regis filiū prouinciarum aliquot ceſſione ſibi conciliatum, cum exercitu in Italiā miſit contra Odoacrum regem. Imperauit omnino annos XVII. menſes III.

IVLIVS Nepos imperat in occidente annum I. menſes II. dies IIII. eo abdicante ſe, interregnum eſt menſes II. dies III.

AVGVSTVLVS Momillus imperat in occidente menſes IX. dies XXIII. itaque vt Romanum imp. ab Iulio, & Auguſto cœpit, ita quaſi de viriii robore in Italia ad ſenij deliquia tenderet, ac repueraſceret, in Iulio Sero Nepote, & Auguſtulo ad mamillas rediit, defecitq́; anno 476. 28. Auguſti anno à C. Iulio Cæſare 522.

Odoacer Herulus Germanus, valida Germanorum manu à S. Seuerino ſalutari benedictione accepta, Italiã inuadit, ſubiugatq́;, Auguſtulum abdicare cogit, regem ſe conſtituit, regnatq́; annos XVI. menſes VI. dies XI. à Theodorico poſteà victus.

Rex Francorum adhuc eſt Hildericus; qui Romanis Galliam eripit; deinde anno 485. Clodouæus, qui regni fines ampliſſimè protendit, in Germaniam; in Gallia Aureliam vſque; ac Hiſpaniam verſus ad montes Pyrenæos.

Rex in Hiſpania Viſigothorum eſt Euricus adhuc: cui ſuccedit anno 484. Alaricus II. qui poſt graues inimicitias cum Clodouæo Franco geſtas, fœdus cum ipſo init; quo violato, repetito bello, Clodouæi manu in conflictu confoditur.

Rex in Africa Vandalorum eſt Honoricus, & poſt eum Gundamundus.

Rex Burgundiæ eſt Gundobaldus, qui Italiam populatur.

De Eccleſia Chriſti.

49 S. Felix.

S. FELIX II. Romanus, Pont. Max. anno 483. Petrum Mongum Alexandrinum patriarcham hæreticum, & Acacium Conſtantinopolitanum eius fautorem excommunicatione ferijt, quod vt faceret, ab eo petiuerant Cyrillus, alijq́, Abbates Conſtantinopolitani, & Alexandrini; fuitq́; à ſynodo orientis omnium votis probata ea Pontificis ſententia; vt hinc etiam primatum Romanum criminatores addiſcant. Præfuit annos VIII. menſes IX. dies XVII. *Euag. 3. hiſt. 18 19*

S. Seuerinus Afer Germanorum apoſtolus nuncupatus, in Germaniam profectus, diuinis pręlucens virtutibus in Sueuia, Bauaria Rhetia,

Rhetia, Auſtria, & Hungaria plurimos ex paganiſmo greges Chriſto cœleſti paſtori adducit, & ſalutari fide inſtituit, ſæpe interim epiſcopali munere recuſato. *Engippus de vita ſanct.*

S.Paternus epiſcopus primus Conſtantienſis primam cathedrā apud Vindoniſſam in Heluetia locat, Ergouiam inferiorem fidei & ſalutis doctrina imbuit *Iacob Feuchtius præfat. homil. Merman.*

SS.Claudius archiepiſcopus Biſuntinus, Remigius Remenſis in Gallia, Vigilius Tridentinus, Fulgentius Ruſpenſis, in Africa, Antoninus Conſtantinienſis epiſcopi, aliiq; viri ſancti magno ſtudio, & labore fidem Catholicam contra hæreſes, & paganos tuentur, ac propagant. *Surius de ſanctis, Paul. Diacon. us lib. 7. hiſtor.*

Reliquiæ B. Barnabæ in Cypro repertæ fuerunt, habentes ſub pectore vnà conditum codicem euangelij B. Matthæi, ipſius Barnabæ manu ſcriptum. *Theodor. Lector. lib.* 2 *collect.*

Pagani, & infideles non ſolum in Africa, vt ex Auguſtini libris liquet, adhuc plures erant, ſed etiam in Gallia; elementa, & beſtias Deorum loco habentes; vt & in Germania, in qua raræ adhuc eccleſiæ erant; quanquam nec eæ quidem niſi ſecundum Rhenum, & locis Italiæ vicinis; quinetiam nec Francorum in Gallia reges Chriſto adhuc nomen dederant.

Hæreſes.

BAſilicus tyrannus conſilio Cnaphæi Concilium Chalcedonenſe publico edicto oppugnat, & eleuat; dictitans ſe Concilio Nicæno abundè fidem habere; quaſi verò Concilio vno ita continerentur omnia, vt ſequentibus nullis opus eſſet. *Euagri.* 3. *hiſtor.* 4.

Acacius Conſtantinopolitanus patriarcha pluris principum fauorem, quàm Catholicum conſenſum faciens, & ob id communione priuatus, ad Eutychianos deficit, longamq; in orientali eccleſia concertationem concitat. *Euagri. lib.* 3. *hiſtor.*

CAP. XIII. ANASTASIVS *Imperator.*

Anno 491.

ANASTASIVS mortuo Zenone VI. Aprilis ſufficitur;

tyrannos compeſcuit; Gethis Macedoniam, Epirum, Theſſaliam populantibus, aurum pro captiuis redimendis miſit; vixit octoginta octo annos. Imperauit XXVI. menſes III. dies III.

Saraceni vaſtant Syriam, & Phœniciam, Bulgari Illyricum, Perſæ Armeniam, & Meſopotamiam.

Rex Francorũ eſt adhuc Clodouæus: deinde Hildebertus an. 515.

Rex in Hiſpania Viſigothorum eſt adhuc Alaricus; cui ſuccedit anno 507. Genſalaricus nothus, quo à Burgundis victo, & a Theodorico pulſo, regni adminiſtratio ab anno 511. penes Theodoricum manſit.

Rex in Italia Oſtrogothorũ eſt Theodoricus Amalus, vulgo dictus Dietrichus Veronẽſis, ob deuictũ Odoacrum apud Veronam: regnauit verò Theodoricus cùm in Italia, tùm in Hiſpania.

De Eccleſia Chriſti.

50 S. Gelaſius. S. GELASIVS Afer, Pont. Max. anno 492. doctrina, induſtria, & liberalitate celeberrimus, hymnos, & collectas, ſeu orationes breues in eccleſia, & ſacrum Canonem concinnauit; varia autorem ſcripta cenſoria virgula notauit; apocrypha ſubmouit; hæreticos, maximè Manichæos profligauit. Præfuit annos IV. menſes VIII. dies XIX. *Platina, Genebr. in chronicis Canus* 11. *theolog.* 6.

S. Euchariſtiæ ſacramentum pro varia temporum ratione variè adminiſtratum fuit; nunc vna, nunc bina ſub ſpecie; ac Gelaſius, vt Manichæos detegeret, negantes Chriſto verum corpus ſanguine præditum fuiſſe, ob idq; calicem domini vili pendentes, præcepit publicis literis, ſacram ſynaxim ſub vtraque ſpecie fieri oportere: quod decretum obſeruatum eſt, quoad hæreſis illa euanuit. *De conſecrat. diſt. 2. cap. Comperimus.*

Caſſiodorus ſenator Romanos, Seuerinus Boëtius conſularis à Theodorico rege pulſus in exilium; Patricius Remigij frater; Auitus epiſcopus Viennenſis; Epiphanius Patauinus; Gennadius Maſſilienſis ſcriptores florent.

Perſecutiones plures mouentur in Catholicos ab Anaſtaſio imperatore

peratore;ab Alamundaro duce Saracenorum,qui tamen poſtea ad fidem acceſſit;adhæc in Palæſtina à Seuero hæretico contra eremitas; in Perſia a Cabade rege;& in Africa à Thraſimundo. *Theodor. lect.lib.2.Euagr.3. hiſt.30.*

52 S. Anaſtaſius.

S.ANASTASIVS II. Romanus Pont.Max.anno 496. pietate inſignis eſt: hunc falsò ferunt recepiſſe Acacium hæreticum in communionem; ob idque hæreſi fauiſſe; cum contra Acacium ipſe potius ſcripſerit; monueritq; imperatorem, ſupprimendũ eſſe in eccleſia nomen Acacij. Famam verò de recepto Acacio in vulgus ſparſit Feſtus legatus, qui quod imperatori hæretico eſſet pollicitus ſubſcriptionem ſe à Romano pontifice expiſcaturum;cum eum Romam veniens mortuum audiſſet,Laurentium illegitima electione à corruptis pecunia ſubſtitui curauit, cuius opera ſuſcriptionem conſequeretur; quam deinde de Anaſtaſio famam auxit Photinus diaconus hæreticus. Præfuit Anaſtaſius annum I.menſes XI. dies XXIV. *Theod. lect.lib.2.Hoſius lib.2. hæreſ. contra Brentium.*

52 S.Symmachus.

S. SYMMACHVS Sardus, Pont. Max. 498. æmulum habuit Laurentium quendam Feſti factione contra ipſum electum; vnde mota eſt concertatio non leuis. Is autem confirmatus egenos fouit, exules Afros veſte,& victu iuuit,captiuos multos redemit ex barbarorum manu; hæreticos extirpauit; Anaſtaſiũ imperatorẽ ferocientem epiſtola Apoſtolicæ grauitatis plena cõpeſcuit, in qua graphicè depingit, quãtò poteſtas ſpiritualis à Chriſto epiſcopis collata,imperiali potior ſit, & magis metuẽda.Huius pontificis fidei ſe,& præſidio cõmendauerunt epiſcopi Orientis, eumq; Petri ſucceſſorem, & in eccleſia Chriſti ſummum Præſidem agnouerũt.Præfuit annos XV. mẽſes VII.dies XXVIII. *Symmach. apologetico in Anaſtaſio & epiſt. eccleſiæ per Illyr. ad Symmachum tomo 11. Concil. in bibliotb. patrum. Paulus Diacon. lib.7. Platina.*

S. Fridolinus regnum Dei prædicat in Burgundia, & Heluetia apud Claronenſes, cuius vitam ſanctiſſimè actam, & res piè, & admirabiliter geſtas deſcripſit Caniſius.

Clodouæus è regibus Françorum primus fit Chriſtianus, quo à beato Remigio ſalutari fonte luſtrato, delatum cœlitus oleum ſacrum eſt, quo hactenus reges Franciæ diuinæ benedictionis munere primitus inaugurati ſunt. *Paul. Aemylius, Theuet. Genebrad. in chron.*

Francorum vnà tria millia baptiſmum, fidemq; ſuſceperunt; nec multò poſt ſecuti ſunt certatim cæteri; adhæc Landhilda regis ſoror ab Arrianorum fermento, quo infecta diu fuerat, reſipuit; & Mucuntina reginæ Clothildæ ſoror cænobium ingreſſa Chriſto æterno ſponſo virginitatem piè dicauit; Clodouæus verò nihil antiquius habuit, quàm vt hæreticos Arrianos benè multos è regno, & præcipuè Tholoſana vrbe profligaret. *Gregor. Turonen. A Emyl. lib. 1. Theuet. 15. coſmog. 14.*

Phryſij, & Saxones primam euangelicæ doctrinæ inſtitutionem accipiunt à S. Hildegario, & ſociis. *Merman. theatro.*

Argentoratenſis eccleſia fidei officiis auctus, templo cum ſacra dote à rege Clodouæo donatur; quam poſtea locupletatam ad epiſcopalem dignitatem euexit Dagobertus. *Naucler. in chronicis.*

Perſecutio Gothorum in Italiæ eccleſias feruet autore Theodorico & aliis, qui initio ethnici, deinde Chriſtiani, ſed Arrij fermento imbuti, per 77. annos multa mala catholicis intulerunt. *Sigon. de regno Italiæ.*

Saracenorum rex Alamundarus, populuſq; ſancti baptiſmatis lauacro purgati ad Chriſtum accedunt. *Theodorus Lector lib. 2. Naucler. in chron.*

Perſarum rex comperta ſacrorum myſteriorum, & ſacrificij altaris, crucisq; Chriſti virtute in fugandis dæmonibus, quos nec Magi, neq; Iudæi pellere poterant; poteſtatem omnibus facit Chriſtianam religionem amplectendi, ac Metropolim eccleſiæ Perſiæ, quæ penes Manichæos erat, Catholico epiſcopo permiſit. *Theod. lect. lib. 2.*

Macedonius orthodoxus patriarcha Conſtantinopolitanus Anaſtaſio imper. petenti vt ſynodum cogeret, quæ Chalcedonenſis Concilij decreta aboleret, reſpondit nil agendum niſi vniuerſali ſynodo, cui Romanus pontifex præſideret; hanc nempe eſſe viam legitimam canones condendi, & veritatem indagandi in eccleſia Chriſti, cui doctor veritatis Spiritus ſanctus promiſſus ſit. Quapropter imperator Macedonium, vt antea Euphemium in exilium ablegat, vbi is & martyrium fecit, & miraculis claruit. *Theodor. lib. 2. Nicephor. 16. hiſt. 26.*

53 S. Hormiſda.

S. HORMISDA Campanus, Pont. Max. anno 514. ab imperatore Iuſtino, & rege Clodouæo præclara munera eccleſię dicata accepit; decreuit multa perutilia. Præfuit annos IX. dies XVIII. epiſt. pont. *Platina de vitis Pontificum.*

Heluetij Nuithones S. Prothaſium primum epiſcopum, & fidei Chriſtianæ doctorem accipiunt, anno 517. eccleſia cathedralis cōſtituitur Auenticum, gentis caput: verùm S. Marius quartus epiſcopus poſt ſexaginta & amplius annos ſedem tranſtulit Lauſanam. *Ex archiuio.*

Hæreſes.

ANaſtaſius imperator hæreticus Eutychianis, Manichæis, Arianisq; fautor fuit; epiſcopos plures in exilium expulit, multa ad opprimendum Concilium Chalcedonenſe molitus eſt; ad extremum ei apparuit per viſum viri candidi ſpecies, cum codice aperto, in hæc verba ipſum compellantis; Ecce propter perfidiam tuam, deleo tibi quatuordecim; quibus in illo codice expunctis, tertio poſt die, tonitrui fragore exanimatus eſt; præciſa eius vita eodem modo, quo Balthaſaris Chaldæi apud Danielem, *Iohan. Moſchus Euiratus prati ſpiritualis cap. 38. Niceph.*

¶ Acephali variæ ſectariorum turmæ ſine duce, & capite, Chalcedonenſe Concilium reſpuunt; negant duas in Chriſto naturas, quorum incentor fuit Seuerus Antiochenus. *Nicephor. 16. hiſtor. Theodor. lector lib. 2.*

Xenaias Dioſcori diſcipulus, iconoclaſtes, primus Chriſti, & ſanctorum imagines oppugnat. *Idem Niceph. Euag.* 3. *hiſt.* 31.

Arrianorum in Italia patrocinium ſuſcipit rex Theodoricus Veronenſis, Catholicos vi in hæreſim impellit, templa illis ablata ſuis tradit; ipſe poſt mortem diuina vltione torquendus in ignitas voragines ad Liparam inſulam mergi viſus eſt ab eius loci eremita, vt narrat D. Gregorius. Porrò in Oriente Arriani multa edunt ſcripta falsò ſub nomine beatorum Athanaſij, Gregorij, & Iulij Romani pontificis, quibus ſimplices facilius decipiant, iuuante eam fraudem Xenaia: porrò Deuterius Conſtantinopoli, & Olympius in Africa epiſcopi Arriani diuinitus puniunur. Franci verò Arrianos ex Aquitania profligant. *Nicephor. Sigoni. de regno Italiæ. Euagr.* 3. *hiſtor.* 31. *Theodorus.* 2. *Paul. Diacon.* 7. *hiſtor. Genebrar. Greg.* 4. *dialog. cap.* 30.

CAP. XIV. IVSTINVS *Imperator.*

Anno 518.

IVSTINVS Thrax, Anaſtaſio X. Iulij mortuo ſuccedit; factus ordine ex ſubulco lignarius, miles, prætor, conſul, imperator, ad quod faſtigium euectus Vitalianum tyrannũ interfecit, & à pontifice Romano Iohanne, præſentibus conſulibus inaugurari, & coronari vóluit; imperauit magna cũ laude ann. IX. menſem I.

Rex Francorũ eſt adhuc Childebertus, cum fratribus Clotario Sueſſionum, Clodomiro Aurelianenſium, & Theodorico Mediomatricium principibus: ipſe verò Francis apud Pariſienſes præerat.

In Hiſpania regnat adhuc Theodoricus, qui idem in Italia regnabat, Amalarici nepotis Hiſpaniæ regis tutor.

In Burgundia regnat Sigiſmundus; cui etiã Nuithones parebãt.

In Africa Vandalorum rex eſt Hildericus.

Sclani gens Scythiæ Illyricum populantur; Longobardi irrumpunt in Pannoniam.

Procopius, Iornandes, Agathias hiſtorici florent.

De Eccleſia Chriſti.

PAcem recepit eccleſia Iuſtini imper. pia induſtria; is è Græcia lega-

legatum ad Hormiſdam pontificem quamprimum miſit, de aſ-ſerenda publicè catholica doctrina, & hæreticis coercendis: Hildericum Africæ regem in eaſdem cogitationes adduxit, & vt exules, quorum cùm plebis, tùm ſacerdotum erant infiniti, reuocaret hortatus eſt; petitionem hæreticam Theodorici Italiæ regis repudiauit. *Paulus Diac. lib.7. Plat. Naucler.*

54
S. Ioannes

S. IOHANNES Hetruſcus Pont. Max. anno 523. furente Theodorico ad imperatorem proficiſcens, multa de Chriſti Domini ſincera religione cum imperatore egit, quem etiam coronauit; templa Arrianorum in catholicas eccleſias ſacrauit; in Italiam reuerſus in carcerem à rege coniectus, illic vitam Chriſto Domino ſuo reddidit. Præfuit annos II. menſes IX. dies XVI. *Blondus decad. 1. libr. 3 Sigonius, Hermannus Contractus in chronic.*

S. Germanus Pariſienſis, S. Germanus Capuanus, & Ferreolus Vticenſis epiſcopi celebrantur.

S. Benedictus abbas cœleſtem in terris vitam imitatus, & prophetico ſpiritu à Deo illuſtratus, monachorum cœtus in Occidente, vt quondam in Oriente S. Baſilius, primus ad certam regulam, in commune viuendi perducit, quam ad rem cœnobia plurima inſtituit. *Greg. lib. 2. dialog. 34. Paul. Diac. lib. 7.*

55.
S. Felix III.

S. FELIX III. Samnis Pontif. Maxim. anno 526. ſacram extremam vnctionem ægrotantium in deſuetudinem lapſam, denuo inſtituit. Præfuit annos IV. menſes II. dies XVIII. *Volaterran. in Anthropologia.*

Eremitarum monaſteria in Palæſtina ſub beato abbate Sabba, imperatoris liberalitate inſtaurantur. *Metaphraſt. de vita S. Sabbæ.*

Hæreſes.

ARRIANOS, Neſtorianos, Eutychianos, Acacianos, & fimilis farinæ ſectarios Iuſtinus initio ſtatim imperij ingenti zelo, & felicitate repreſſit, ſpoliauit templis, & excidit. *Niceph. 17. hiſt. Blon. decad. 1. lib. 3.*

Oo 2

Arriani itaque hucuſque contra Dei eccleſiam ſæuieruntin Africa ad ſeptuaginta quinq; annos; in Oriente ſupra centum quinquaginta; deinceps perſeuerarunt quidem ſæcula aliquot, verum ignobiles,& fracti viribus.

Monophyſitæ, Theopaſchitæ, Aphtartodocitæ ex Acephalorũ impuritate naſcuntur; quorum ferè dogma erat, vnam in Chriſto tantum naturam fuiſſe *Niceph.lib.*17.

Monothelitæ in Chriſto Domino duas quidem naturas, vnam verò duntaxat voluntatem ponunt, ac ſi humana in eo voluntas otioſa fuiſſet; quorum autores erant Macarius Antiochenus, Sergius Conſtantinopolitanus,& Cyprius Alexandrinus, quibus etiam alij hæretici aſtipulabantur. *Niceph.lib.*17. *S.Thom.*3.*quæſt.*18.1.

Samaritani rege ex ſeſe creato Iuliano, eccleſiam Chriſti exſcindere tentant, Chriſtianos trucidant plurimos; verùm paulò poſt profligantur. *Metaphraſt. Niceph.*14.*hiſt.*24.

CAP. XV. IVSTINIANVS *Imperator.*

Anno 527.

IVSTINIANVS Iuſtini ex ſorore nepos, eo mortuo Calend. Auguſti imperium ſuſceptum priſtinæ Romanorum virtuti, & gloriæ reſtituit, excelſo ipſe,& generoſo animo, tria omnino præclarè præſtitit; priſtinam patrum in eccleſia fidem ſequendã edixit; iuris dicundi formam, rationemq; quàm optimam conſcribi à Triboniano, Theophilo,& Dorotheo iuriſperitis doctiſſimis curauit; eamq; iuris ciuilis normam quam hodieq; habemus, ex veterum imperatorum, & Romanorum legibus innumeris concinnatam, velut Inſtitutiones, Pandectas, Codicem, Digeſta edidit; adhæc animo quoque ad militiam verſo, tres clariſſimos bello duces præfecit; quorum Belliſarius primus pugnauit contra Perſas, Syriam, cõtra Saracenos tutatus eſt; in Africa Gilimerium regem deuicit; Siciliam ſubiugauit; Romam, Italiamq; Gothis extorſit: Vitigem illic regem apud Rauennam cœpit: Romam à Totila iterum captam denuò expugnauit, patriciosq;, & ciues à Gothis eiectos, diſperſoſq; quos potuit, priſtinis laribus reſtituit; ac multa præterea præclarè

clarè geſſit. Narſes alter dux Totilam tyrannum, Teiamq; ſucceſſorem vicit, & interfecit; Italiæ regnum Gothis ereptum imperio reſtituit. Non caruit verò vitiis grauiſſimis Iuſtinianus; nam præter alienatam poſtmodum à pia religione mentem, Bellisario, leui ſuſpicione motus, oculos erui imperauit: Narſen falsò delatum proſcripſit: Iohannem tertium ducem poſt multa fortiſſimè facta, fortunis omnibus ſpoliatum ad ſtipem redegit. Imperauit annos XXXVIII. menſes III. dies XIII.

In Gallia adhuc regnat Childebertus; deinde anno 560. Clotarius frater Solus.

In Hiſpania ab anno 526. Amalaricus, iniurius admodum in Clotildem vxorem Catholicæ fidei addictam: ei ſuccedit anno 531. Theudius, vel Tiodes cuius ætate Franci Hiſpaniam inuaſerunt: deinde anno 548. Theudiſcus: tum anno 549. Aguilla, qui dum catholicos bello infeſtat, cæditur; tum anno 554. Athanagildus catholicorum fautor.

In Italia Gothorum rex eſt anno 526. Athalaricus cum matre Amalaſuenta; deinde anno 533. Theodatus à regina aſcitus: cuius anno ſecundo Gothos imperator bello reprimere cœpit; ac porro annos octodecim infeſtauit: ſuccedit ei anno 535. Vitiges; deinde anno 539. Hildebaldus vel Theudibaldus: tum anno 540. Araricus; tum anno 541. Totilas Gothorum immanis dynaſta, qui poſt illa tam variis regnis ingentem cladem, anno 545. Romam vrbem expugnauit; & anno 548. iterum: qui cum ingente cum ſuorum ſtrage occubuiſſet; ſucceſſorem accepit anno 552. Teiam quem Narſes dux fuſum proſtrauit; ac pulſis tandem ex Italia Gothis, regio ad imperium rediit per Exarchatum.

Turcæ primum emergunt è ſeptentrionalibus remotis partibus, Abares vel Auares ſedibus pellunt: Auares Pannoniam inundant, cum Hunnis, vnde exturbant Gothos.

Vandali victi à Belliſario, captusq; rex Gilimerius finem regni Africani fecêre, anno eius regni 105.

Roma vrbs à Totila tyranno expugnatur tertiò; turres, mœnia, ædes tertia parte diruuntur, & conflagrant; patricij, & ciues ex pri

ſco Romanorum ſanguine reliqui per Italiam diſpelluntur ; vrbs ipſa quadraginta dies deſtituta incolis, profunda ſolitudine, & vaſtitate deſerta ſtat; recuperata verò à Belliſario, tertio poſt anno iterum barbaris in prædam,& ſpelæum ceſſit;quibus denuo repulſis,vtcunque reſarcita eſt; nec vnquam ab eo tempore ad priorem ſplendorem rediit; quando ne nunc quidem, cum populoſiſſima eſt,& gentium vndequaque concurſu plurimùm frequentatur, ac mœniorum ambitu ampliſſimo clauditur, non niſi tertia parte ædificiis conferta ſit; & quicquid extra eam partem intra mœnia reliquum eſt,demptis eccleſiis, & martyrum monumentis per pontifices identidem inſtauratis, totum id ferè horti, vineta, vetuſtæ, vaſtæq; ſtructuræ,ruinæ, rudera, puluisq; occupent; & Roma hodieq; ſuis ipſa ruinis ſepulta in puluere conſideat.

Hunni in Europæ regiones Conſtantinopolim vſque denuo inuadunt,& ſimul abducunt hominum centum viginti millia.

Polonicarum rerum origines incipiunt circiter annum 550. per Lechum,& Cechum Polonorum,& Bohemorum duces.

De Eccleſia Chriſti.

IVſtinianus Romano pontifici profeſſionem ſuæ fidei, ne qua in re tot ſectis obſtrepentibus erraret,per duos epiſcopos ex Oriēte mittit, & vnà precioſiſſima dona; tamq; falſum eſt Phocam demum ad Primatum erexiſſe Romanum epiſcopum, quàm vani ipſi ſunt etiam in aliis,qui id comminiſcuntur;nam Iuſtinianus,præter ſuperiores, ei vel plurimùm detulit; ad eum enim cum ſcriberet, caput eum nūcupauit omnium ſanctarum eccleſiarum; tum alibi, non dubitandum dixit, quin vt Cæſarei iuris origo, ex vetere Romanorum vrbe eſſet; ita quoque ſummi ſacerdotis dignitas in ea ipſa vrbe conſtituta eſſet; tum alibi: Romanum Papam, inquit, ſedem ſuam prę patriarchis,& epiſcopis omnibus primam habere oportere: vt eius verba in iuris corpore extantia, clarè, & perſpicuè loquūtur. *Epiſt. Iuſtin. ad Ioan. pont. Cod. de ſumma Trinit. & fide Cathol. item in Prin. authent. vt eccleſia Romana centum annis gaudeat praſcript. & in Conſtit. nouell. CXIX. parag. 2. ad Iul. Patricium. Fuklerus in Theolog. Iuridica. Platina.*

S.BONI-

56 S. Bonifacius. II.

S.BONIFACIVS II. Romanus, Pont. Max. anno 530. Præfuit annum I. dies II. vacauit ſedes menſes III.

Dionyſius abbas Romanus computum eccleſiaſticum deſcribit; primus docet annos ſupputare à Chriſti Domini noſtri natiuitate. *Sculſetus in chron.*

57 S. Iohannes. II.

S. IOHANNES II. Romanus Pont. Max. anno 532. fidei profeſſionem cum donis à Iuſtiniano accepit, cæco viſum reſtituit. Præfuit annos II. menſes IV. dies VI. *Gregor. 3. dialog. 4.*

58 S. Agapetus.

S. AGAPETVS Romanus Pont. Max. anno 534. inſtituit proceſſiones religioſas circum templa; Iuſtinianum iam aures Eutychianis præbentem coràm adiit, ac ferocientem licet ad veritatem reduxit; Anthemium Conſtantinopolitanum Patriarcham, quod Eutychianus eſſet, ſede mouit. Præfuit menſes II. dies XIX. *Gregor. 3. dialog. 3. Paul. Diacon. lib. 7. Volater.*

Gentes aliquammultæ Chriſti fidei dant nomen; Heruli; Germani Aquilonares, qui in Græciam excurſiones fecerant: Abaſgi Scythæ miſſis eò imperatoris cura ſacerdotibus: Moſcouitæ Sarmatæ ad Tanaim flumen, petito ab imperatore epiſcopo, & doctoribus; adhæc Hunnorum rex, vnaq; regina alia cum populo vniuerſo Herulis ſociato; & Lazari in Perſia cum illorum principe. *Euagr. 4 hiſt. Paul. Diacon. 7.*

59 S. Syluerius.

S. SYLVERIVS Campanus, Pont. Max. anno 435. à Belliſario, inſtigante Theodora Auguſta Eutychiana, in exilium truditur. Præfuit annum I. menſes X. dies VII. *Volater.*

S. Rupertus in Germania ardēs in Dei amore, & laude, plenus ſpiritu, armis manſuetudinis, ac virtutū variarū munitus ex vrbe Moguntina,

guntina, cuius eccleſiæ erat epiſcopus, virgis cæſus, & pulſus, accitus verò à duce Bauaro Theodo, ſublata illic idololatria, Chriſti Domini incarnationem catholicè promulgat; ducem Theodum lauacro ſpiritus ſancti luſtrat, primusq; Salisburgenſis epiſcopus ſedit. *Surius & alij ex Auentino.*

S. Emmeramus in Gallia audiens Auſtriam adhuc in cæcis idolorum ſuperſtitionibus volutari, relicta ad exemplum Abraham patria, apud Germanos Chriſti euangelium per interpretem prædicat, & epiſcopus Ratiſponæ ordinatur. *Cyrinus de eius vita, apud Surium.*

Syriæ, & Ciliciæ fideles à Coſroë Perſarum rege infeſtantur; cõfirmati autem ſunt à Thoma epiſcopo ſancto, cùm ſacra adhortatione, tùm oſtenſo ſanctæ crucis ligno, quod mirabilem de ſe fulgorem iaculabatur: viſo deinde ſanctorum ſpirituum ſtupendo exercitu mœnibus inſidente, & vrbem propter ſanctorum reliquias tutante, permotus Coſroës Chriſti fidem cum gloria profeſſus eſt. *Euag. 4. hiſt. 25. & 27.*

60 S. Vigilius.

S. VIGILIVS Romani conſulis fil. Pont. Max. anno 537. factus, ei ſancta apoſtolica ſedes cor ita permutauit, vt cum ante electionem mala quædam inſtituiſſet, nihil horum perficere electus voluerit, licet ab imperatore verbera, & carcerem ſit perpeſſus patiente prorſus animo, vt ſtultum conſilium priſtinum expiaret. Præfuit annos XVIII. menſes VII. dies XV. *Blondus. Volater. Hoſius lib. 2. hereſ.*

S. Martius abbas Galliarum inſtituit fugam mundi, vt eò propior angelorum ſocietati eſſet, vinctus catena abſtinẽtiæ, & ieiunij, ſæpe pernox in diuina oratione perſiſtebat: monachos ita erudiebat, vt ad opus Dei eſſent perfecti. *Gregor. Turonenſ.*

In Africa Adad rex Azumitarum, inter AEgyptum, & AEthiopiam, epiſcopum ab imperatore petit; conuertitur ad Chriſtum per Iohannem Alexandrinum ſenem cum populo vniuerſo. *Func. comment.*

S. Kentingerus Scotus, Iuſtinianus epiſcopus Valentinianus, Iuſtus

ſtus Vrgellitanus, Fortunatus Pictauienſis, Gildhardus Rotomagenſis, Medardus Nouiodunenſis; adhæc Nebridius, & Elpidius viri tum doctrina ad plebem Dei, tùm ſcriptis clari ſunt.

CONCILIVM Conſtantinopolitanum II. ſacroſanctum celebratur anno 553. ab epiſcopis 165. quo comprobantur concilia quatuor generalia ſuperiora, & damnantur errores Origenis, Theodori, Theodoritis, & Ibæ. Vigilius pontifex Conſtantinopoli in vinculis exiſtens ſcripto ſententiam ſuam ſynodo aperuit. *Euag* 4. *hiſt* 37. *tom. Concil.*

S. Sophiæ templum Conſtantinopoli omnium ampliſſimum, & ſumptuoſiſſimum imperator Iuſtinianus ad gloriam ſapientiæ æterni Dei extruit. *Paul. Diac.* 8. *lib.*

Conſtantinopoli vrgente fame præcipit imperator Quadrageſimæ tempore carnes palàm proponere venales; verùm maluerunt pij ciues inediam ad pœnitentiam perferre, quam carnis libertate cõtra apoſtolorum traditiones quouis modo vti. *Niceph.* 17. *hiſt.* 32.

61 S. Pelagius. S. PELAGIVS Romanus, Pont. Max. anno 556. ſeptem horarum Canonicarum preces ſacerdotibus iniunxit; Concilium Conſtantinopolitanum confirmauit. Præfuit annos IV. menſes X. dies XVIII. *Blond. Volater.*

Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus vir ſingularis prudentiæ, magno animo imperatoris errores reprehendit, plebemq; in orthodoxia conſeruat. *Euag.* 4. *hiſt.* 38 39.

Nicetius Treuirenſis, Dacius Mediolanenſis, Fœcundus Harmienſis epiſcopi ſcriptis clari ſunt.

62 S. Iohannes III. S. IOHANNES III Romanus Pont. Max. anno 561. ad Germaniæ, & Galliæ epiſcopos ſcripſit contra chorepiſcopos. Præfuit annos XIII. dies XVI. *epiſt. pont.*

Iuſtinianus deinceps, ſeu per ſe, ſeu Vigilij permiſſu electos pon

tifices ab imperatore voluit confirmari, accepta inde ſumma à ſingulis pecuniaria, conſilio parum laudabili. *Onuphr. in Plat.*

S. Magnus, & Ciriacus cum ſocijs in Germania apud Auguſtam Vindelicorum Chriſti euangelium annunciant. *Merman.*

Perſarmeni maioris Armeniæ populi imperatoris ſe dominio permittunt, vt liberè Chriſti doctrinam ſalutarem ſequi poſſint. *Euagr. hiſtor. 5. cap. 7.*

Septētrionales Europæ populi Daniæ, Suediæ, Noruegiæ, Gotlandiæ denuò ad gloriam Dei, & ſalutis æternæ agnitionem adducti, in ea immobiles permanſerunt ad Lutheri vſque tempora. *Merman. Olaus Magnus.*

Barbaras gentes continuis motibus, bellis, victoriis inſolentes conati ſunt multo labore, ſtudioq; ita inſtituere ſancti epiſcopi Germanus inter Francos, Fortunatus inter Gallos, atque Germanos, Paulus Aquilegienſis, Felix Taruiſiēſis, & Barbatus inter Longobardos, vt ſubactæ verbo Dei, quod penetrabilius eſt quouis gladio ancipiti, rigidas ceruices ad iugum Chriſti ſuaue ſubmitterent, & in eccleſiæ ſinum ſuſcepti manſueſcerent. *Blond. decad. 1. lib. 8. Plat Merman.*

Hæreſes.

SEctarios omnes ad reſipiſcentiā impulit legibus Iuſtinianus, vt primùm imperator eſt lectus, qui iterum viribus labi cœpit, nihil memorabile amplius præſtiterunt; & quanquam poſt eius obitum annis minimè ipſe ſincerus fuerit, exiſtimant tamen eum vltimo in vitæ pœnitentiam habuiſſe, vt propterea eius etiam honorificè mentionem faciat Concilium Conſtantinopolitanum quod proximè ſequitur. *Niceph. 18. hiſt. 45. Euagri Sigonius.*

Arriani in Hiſpania ex Cæſarauguſta aliisq; oppidis à Francis exturbantur. *Gregor. Turonenſ.*

CAP. XVI. IVSTINVS II. Imperator.

Anno 566.

IVSTINVS iunior, mortuo Iuſtiniano XIII. Auguſti, eius ex filia nepos, cum Perſis bellum geſſit: per Iuſtinum ducem cōtra Abaros,

Abaros,& Hamoxobitas Scythas pugnauit; incurius ipſe, & mollis; adhæc in religione malè ſanus; quam poſtremò ſtultitiā agnoſcens, Tyberium ſucceſſorem officij grauiter admonuit. Imperauit annos X. menſes X. dies XX.

Longobardi qui in Pannonia ſedem poſuerant à Narſete falſa delatione proſcripto principe acciti, Pannonia Hunnis conceſſa, in Italiam migrant, vbi per hanc occaſionem occupatis aliquot ciuitatibus regnum diuturnum inſtituunt, rege Alboino; tam fera & inhumana gens, vt Alboino poculum eſſet cranium Soceri ſui Cunimundi, limbo aureo incluſum. Inuaſit verò Alboinus vndecimus iam Longobardorum rex Italiam anno 567. ac quinto poſt anno Galliam ciſalpinam ſubiugauit, rexitq́; ; quæ ab eo tempore Lombardia nuncupatur.

Exarchatus ab Imperatore in Italia inſtitutus eſt, anno tertio Iuſtini. Sic autem magiſtratus ille dictus eſt, qui imperatoris vices gereret, cujus ſedes Rauenna ferè fuit. Primus mortuo Narſete Romanorum in Italia Exarchus eſt factus Longinus, homo Græcus, qui, vnaq; ſucceſſores in Italia adminiſtrauit, quod Longobardi reliquum faciebant.

In Gallia regnum in tetrarchias denuo diſpeſcitur à Clotarij filiis anno 565: rex Franciæ apud Pariſios eſt Herebertus, Sueſſionū Hilpericus, vel Hilfrich: Aurelianenſium Guntranus: Metenſium Sigebertus: anno deinde 574. Hilpericus fratri ſuccedit.

In Hiſpania Athanagildo ſuccedit anno 568. Luyba, deinde anno 569. Leongildus, qui deleto Sueuorum in Hiſpania principatu, regnum auxit; ac primus illic purpura, regioq́; throno vſus eſt.

In Pannonia excedentibus Longobardis, Auarius Hunnorum rex ex pacto ſucceſſit.

De Eccleſia Chriſti.

PErſequutionem in Italia, & Sicilia mouent Longobardi, quorum etſi nonnulli Chriſtiani eſſent, tamē potior pars ferocior, & paganiſmo ſathanæ adhuc deuincta erat, rege ipſo Chriſtianis extremè infeſto. *Gregor. epiſt. ad Maurit. Blond. lib* 8.

Gregorius patriarcha Antiochenus vir miræ induſtriæ, prudētię,

& virtutis, nullum negotium in alterum diem procraſtinare ſolitus, multa præclara in eccleſia perfecit. *Euagri. lib. 5 hiſt. 6. 18. & lib. 6. cap. 7. 11.*

63 S. Benedictus.

S. BENEDICTVS alio nomine Bonoſus appellatus, Romanus Pont. Max. anno 575. Præfuit annos IV. menſes II. dies XV.

Hæreſes.

IAcobitæ à Iacobo Syro exorti, vnitatem Dei non etiam Trinitatem admittunt, vnam Chriſto naturam tribuunt, non binam, confitentur peccata vni Deo, non etiam ſacerdoti, baptizant in igne cauterio in frontem infantis inuſto. *Prateolus de hæreſ.*

Seuerus Patriarcha Aquilegienſis in hæreſim abductus, à Gregorio magno reuocatus, ad vomitum reuertit. *Nauclet. in chronic.*

CAP. XVII. TIBERIVS *II. Imperator.*

Anno 576.

TIBERIVS Anicius, mortuo Iuſtino II. Octobris, ab ipſo adoptatus, vt corpore eleganti, & procero, vultuq; maieſtatem ſimul, & gratiam efflante fuit; ita pietate, liberalitate, bellorum felicitate gloriam ſummam adeptus, dignus iudicatus eſt, qui diutius rerum gubernacula tenere debuiſſet, tantum ſui deſiderium reliquit. Perſis duce Iuſtiniano, & Mauritio profligauit, veteres ciuitates Romanorum, & Meſopotamiam recepit, Perſarum captiuos benignè habitos, & donatos honeſta veſte liberè dimiſit. Imperauit annos VI. menſes X. dies VIII.

Reges ſunt Francorum Hilpericus, adhuc.

Hiſpaniæ Leongildus adhuc.

Longobardorum Clephes duodecimus ordine, ſecundus in Italia rex creatur anno 571. quo iugulato, anno ſequente ſucceſſerunt triginta tyranni per interregnum

Latina lingua in Italia, immutatis, perturbatisq; ingeniis, moribus,

bus,& linguis per barbarorum tam crebras illuuiones, in deſuetudinem abit, vel certè in Italicam linguam degenerat, multis etiam Gothicis vocabulis permixtam.

De *Eccleſia Chriſti.*

64 S. Pelagius II.

S PELAGIVS II. Romanus Pont. Max anno 579. ab eo epiſcopi Galliarum, & Germaniæ præfationes Romani ritus ad venerabile ſacrificium cantandas petūt; miſit S. Gregorium leuitam pro more Apocryſarium tanquam legatum Conſtantinopolim ad imperatorem. Præfuit annos X. menſes III. *Blond decad. 1. lib 8. Iacob Faber. hyſper. ſp ſtc.*

Patriarchatus Aquilegienſis Gradum ſiue Venetias transfertur; verùm duobus per contentionem electis Claudiano Gradenſi, & Iohanne Aquilegienſi, vtraque eccleſia ſuum Patriarcham deinceps habuit. *Palmer. in Chron. Paul. Diacon. ſub Phoca.*

Hæreſes.

COnonitæ Alexandrini, & Theodoſiani, Damianiſtæ, Angelitæ, & Contobanditæ Trinitarij, ex Acephalis promanant. *Prateolus de hæreſ. ex Niceph.*

Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus errores de reſurrectione carnis profert, quem D. Gregorius refutatum ad orthodoxiam reducit. *Beda de tempor.*

Hilpericus rex Francorum à Sabellianis infectus epiſcopos vi in ſuam ſententiam inducere tentauit, Catholicos indignè habuit.

CAP. XVIII. MAVRITIVS *Imperator.*

Anno 583.

MAVRITIVS, Tiberio Soccio X. Auguſti mortuo feliciter primo imperauit, Perſas repulit, receptis oppidis, & ingenti præda; Auares ex Mœſia, Hunnos ex Pannonia; adhæc per Hildebertum Francum Longobardos in Italia profligauit, multaq; præclare per Theodoſium filium & Germanum ſocerum alterum geſſit; poſtea pecuniarum cupiditate captus, cum & militi ſtipendium ſubduceret, & prouincias in diſcrimen venire pateretur, atque a B

Gregorio admoneri ſe officij agrè ferret, felicitatem ſuam in ſummam perniciem permutauit; Roma itaque militem præſidiarium auocauit, Gregorium cædis inſimulauit, patriarcham Conſtantinopolitanum contra Romanum Pontificem œcumenicum, ſiue vniuerſalem epiſcopum nominauit: interim etiam militibus exoſus à Phoca centurione, cum liberis & cōiuge trucidatus eſt, agnito prius iuſto Dei iudicio. Imperauit annos XIX. menſes III. dies XI. *ex Blondo.*

In Gallia Hilperico ſuccedit anno 588. Clotarius quatuor menſes natus infans, bellis regni inteſtinis preſſus.

In Hiſpania Leongildo ſuccedit anno 586. Ricaredus inter Hiſpaniæ reges primus Catholicus; regnum auxit, leges Gothicas in compendium redegit; Romanos exercitus ſæpe fudit; hæreſes è regno profligauit.

Longobardorum in Italia rex eſt Autharis anno 583. deinde anno 588. Agilulphus.

Hunnorum rex eſt Auarius: Auarum, item & Hunnorum rex alter eſt Caianus, ſiue Caganus.

Sueui deleto ipſorum regno ex Hiſpania repulſi in Germaniam demigrant, occupantq́; regionem Saxonum, quæ tum inter Danubium, & Alpes erat; vnde ſe Saxones Longobardis ex Pannonia per Noricum in Italiam tranſeuntibus, iunxerant; qui poſtea diſceſſione ab illis facta fruſtra patrias ſedes reperiuerunt, nam cæſi, pulſiq́; Sueuis eam regionem deinceps reliquerunt.

Caianus, & Auares, Hunniq́; Thraciam, & Conſtantinopolim infeſtant; tributum imperatori imperant. Saraceni, & Arabes Siciliam vaſtant: Roma toto anno à Longobardis obſidione premitur, vnde tandem imbribus hoſtis repulſus eſt.

Portenta, fames, bella, terræmotus, calamitateſq́; variæ vbique gentium maiorem in modum graſſantur; portendentes haud dubiè ingens illud malum Machometē hoc tempore in lucem editū.

Sclaui Ruſſorum gens idolis dedita, iuncti Hunnis, & Longobardis Illyrium populantur; ac repulſi licet eodem redeunt ſub Phoca, ſedeſq́; illic fixas locant.

De *Eccleſia Chriſti.*

65 S. Gregorius.

S. GREGORIVS MAGNVS, Romanus, Pont. Max. anno 590. doctor eccleſiæ inſignis, vir iuxta cor Domini, afflictis maximè temporibus opportunè à Deo datus, Romano populo mediis in calamitatibus conſtituto officioſè adfuit; multa cum hoſte barbaro vtiliter egit, epiſcopos Siciliæ; & Illyrij miſerè afflictos Chriſti Domini doctrina conſolatus eſt; Lōgobardos hoſtes ad fidei Chriſtianæ lumen adduxit; Gothos innumeros ab Arrianiſmo ad veritatem reuocauit; Arrianos ex Hiſpania, Donatiſtas ex Africa, Agnoitas Alexandria expulit; Angliā nobile regnum per Euangelij ſalutaria dogmata regno Dei addidit; Conſtantinopolitanum patriarcham intempeſtiuè primatum ſibi arrogantem compeſcuit; noctu diuq; nunc ſcriptis, nunc precibus in ſpiritu laborauit; peregrinos quotidie, & inter eos aliquādo angelum, ad menſam ſuam excepit; pauperes benignè inuiſit, aluitq́;; ſacra, cultumq; diuinum, & cantica cum litaniis aptè, & ordine ad optimam formam redegit; demiſſo ipſe ſemper & humili animo, licet fide magnanimus eſſet; atque vt amore in Chriſtum eximiè incenſus erat, ita in ſolicitudinem omnium eccleſiarum vigil, & attentus excubare ſolitus, charus plebi, Deo intimus, & per vniuerſam eccleſiam vitæ ſanctitate, ſcriptorum doctrina, miraculorum gloria fuit illuſtris. Ei libros lucubranti columbam capiti inſidentem ſpiritus ſancti dictamina referentem Petrus Diaconus & vidit, & ſanctè teſtatus eſt *Iohan. Diacon. de eius vita Blond. lib. 8. decad.* 1. *Volater. Gregorius ipſe in epiſtolis.*

Hoc tam præclarum eccleſiæ lumen qui obſcurare nituntur, nę illi criminatorum crimen incurrunt. Atqui inquiunt, Ceremonias primus in eccleſiam inuexit: falſum eſt; nam ceremonias ab apoſtolorū ætate deductas eſſe, teſtes ſunt doctores, qui hunc præceſſerunt omnes, vt vel ex Tertulliano liquet; Cæterum ſi ipſe ea quæ collapſa erant, aut minus decenter in eccleſia fiebant, ſuo nitori, & dignitati reſtituit, vt ſecundum apoſtoli Pauli præceptum, omnia honeſtè & ſecundum ordinem fierent, peccatum id minimè dici

mè dici debet. At litanias, aiunt, inſtituit: imo litanias quas alio nomine ſupplicationes vocamus in eccleſia viſitatas longe ante fuiſſe Baſilius ad Neocæſarienſes, & Auguſtinus capite 40. meditationū & alij teſtantur; quòd verò bellis, obſidione, peſtilentia vexatum populum Romanum in ſeptem ordines pro cuiusq; ſtatu, & ſexu diſtinctum paſtor ſanctus proceſſione ad templa perduxit, vt vno omnes ore Dei clementiam implorarent, hoccine quiſquam vitio vertat? hæ enim illius litaniæ fuêre. At idem adiecit quædam ad Miſſam, aiunt: Recte: Chriſtus Dominus namque glorioſiſſimi ſui corporis, ſanguinisq; ſacrificium inſtituit ipſe; præter ſacrificij verò actionem, preces, laudesq; Dei, & lectiones ſacras Euangelij, quæ ad tanti myſterij maiorem venerationem facere videbantur, adiūxerunt tam Gregorius, quam ante ipſum ſanctiſſimi Pontifices alij, & inprimis traditio apoſtolica; nihil mutato ſacrificio, id quod etiā vulgo ex precationum libellis notum eſt; ſed bene habet, quod cū tam ſtudioſe omnia inquiſierint aduerſarij, ſciantq; recenſere quæ quiſque Miſſæ ſacro ex ceremoniis adhibuerit; tamen quis ſolum ſacrificij actionem, & eſſentiam, quod caput Miſſæ eſt, primus inſtituerit, præceperitq́;, neminem, nec hominum, nec Angelorum reperiant; vt velint, nolint, neceſſe ſit ad Chriſtum filium Dei eius autorem deuoluantur; habet enim tres autores Miſſa, primum Chriſtum Dominū, actionis ſacrificij ſcilicet cōſecrationis, oblationis, & conſumptionis: eius verò quod reliquum eſt partim traditionē apoſtolorum, partim inſtitutionem pontificum. Eandem planè rationem habet, quod de ſanctorum veneratione, & inuocatione falſiſſimè Gregorio affingunt, quum qui eum anteceſſerunt ſancti doctores, & beati martyres, ſemper eam in eccleſia Chriſti fuiſſe celebratam, communiter teſtentur. Nunc ad rerum ſeriem.

Epiſcopi per orbem doctrina, ſanctitate, & pia ſollicitudine celebres ſunt hoc tempore Leander in Hiſpania Gregorius Turonēſis, Prætextatus Rotomagenſis, Fortunatus Pictauienſis; item Venantius Honorius presbyter poëta in Gallia, Nicetius Treuerenſis, Remaclus Tungrēſis in Germania; in Oriente viri inſignes Heſychius Ieroſolymitanus, Michaël Syngelus, Olympiadorus, Nicephorus Carthophylarius.

Hiſto

Hiſpaniarum rex Ricaredus cum S.Gregorij monitu,tùm regni præſulum opera,Arrianorum abiurata hæreſi ad Catholicam veritatem cum populis ſuis Gothicis redit;templa per regnum, & monaſteria plura excitat, bona eccleſiarum & ciuium rapta,fiſcoq; illata reddit; munera ad pontificem Romanum præclara mittit; ex quo tempore Hiſpania ſectarum virus ſemper deteſtata eſt:præmonuerat verò regem pater Leongildus, qui ante mortem agnoſcens cùm errorem hæreſeos, tum impietatem à ſe in catholicam eccleſiam Dei commiſſam,filio iniunxit,vt epiſcopos exules reuocaret, & ſanctum Leandrum vt patrem obſeruaret. Mirùm autem eſt, quoties eius vitæ cùm alij,tum epiſcopi Arriani ſint inſidiati, detecto ſemper maturè eorum conſilio. *Vaſæus in chronicis Hiſpaniæ, Beda,Gregor.*3.*dialog.*31.

Longobardi in Italia Arriani partim,partimq; pagani ad orthodoxiam euangelicæ fidei accedunt opera & ſcriptis B.Gregorij; is enim miſſis ad Theodelindam reginam libellis,primò ipſam, tum per eam regem,& huius deniq; mandatis populum conuertit; quo religionis lumine magno ſe beneficio affectum agnoſcens rex Agilulphus,calices,ornamenta,& quæcunque ex eccleſiis abegerant prædatores reddi imperauit,*ex Blondo,Iohan.Diac.*

Angliam adire B Gregorius ante pontificatum ipſe ſtatuerat,reuocatus verò à Pelagio pontifice, poſtea præclaros viros cùm doctrina,tùm vitæ ſanctitate apprimè excellentes Auguſtinum, & ſocios Melitum, Paulinum, Iohannem, aliosq; eò ad prædicandum miſit; quibus conuerſi ſunt ad Dei notitiam populi illi; quæ enim plantata illic ante fides fuerat, per populorum migrationes conciderat; quin etiã illi qui trans Vmbrum flumen incolũt,nihil quicquàm de Chriſto adhuc acceperant. *Greg. epiſt.lib.*7.*cap.*30. *&* 112. *Beda, Polyd.*4.*lib.hiſtor.Anglicanæ.*

In Sardinia, & Campania, aliisq; locis plebs ruſticana, vt alibi, adhuc idolorum errore detinebatur;quam Gregorius multum ad ſalutem prouexit.*Greg.epiſt. Iohan.Diaconus in vita Greg.*

Conſtantinopolitana eccleſia primitus epiſcopalis, deinde ad patriarchalem, tum inter patriarchas Orientis ad primam ſedem

ſecundùm Romanum pontificem euecta, hoc tempore primatum œcumenicum in vniuerſam eccleſiam, & ſuper Romanum pontificem affectauit ſecundò; id enim primò iam ſub Leone Magno fecerat; quaſi verò cum imperatoria ſede etiam B. Petri Cathedra Conſtantinopolim translata eſſet; qua in re Mauritius imperator infenſus B. Gregorio, anſam Iohanni patriarchæ, viresq; ſuppeditabat; verùm Gregorius Iohannem grauiter corripuit, atq; vt hanc arrogantiam reprimeret, ſe ipſe non vniuerſalem pontificem, ſed ſeruum ſeruorum Dei ſcripſit; quod poſteri adhuc imitantur. Sublato cæde Mauritio, & Iohanne ſubita morte, Cyriacus ſucceſſor ſub Phoca rem iterum tentauit. *Blond. lib. 8. decad. 1. Greg. epiſt. lib. 4. de Iohanne, & lib. 6. de Cyriaco. Onuph. in Plat. Simoneta lib. 4. cap. 31.*

Cardinales presbyteri, & inter hos nonnulli epiſcopi iam à longo tempore in eccleſia Romana in vſu erant: vt ex Gregorij ſcriptis liquet, *lib. 2. epiſt. 52. 53. & lib. 7. epiſt. 5.*

S. Columbanus ex Hybernia veniens in Galliis Chriſtum prædicat, tum in Burgundia; vnde eiectus veritatis odio à rege, ad Sueuos contendit, quos à cultu idoli Nudan ad euangelium Chriſti traducit, ac per Germaniam rem Chriſtianam, pietatisq; monaſticæ exercitia mirificè auget. *Aemyl. lib. 1. Speculum Vincentij. Sixtus Senenſ. biblioth. ſancta.*

Hæreſes.

TEtraditæ ex Acephalis nati pro Trinitate quaternitatẽ in Deitate machinantur. *Prateol. de hæreſibus.*

Pſeudochriſti in Gallia ſe pro Chriſto venditant, ac magicis ſignis, & portentis homines dementant. *Gregor. Turonen. lib 9. & 10.*

Agnoitæ, Monophyſitæ, Frontiniani, Donatiſtę dum rebus prolatandis ſtudent, à B. Gregorio profligantur. *Greg. epiſt.*

Serenus Maſſilienſis in Diuorum imagines incurrit, quem Gregorius caſtigat. *Greg. epiſt.*

CAP. XIX. PHOCAS *Imperator.*

Anno 602.

PHOCAS, occiſo à ſe Mauritio 24. Nouembris, inuaſit imperiũ: initio

initio Europæ, Aſiæ, & Africæ aliquot prouincias reſtituit, poſtea per ignauiam,& luxum ſe, & imperium perdidit; interfectus à ſuis pœnas particidij dedit, imperauit annos VIII. menſes IV. dies IX.

Imperiũ in Oriente inclinatione facta vehemẽter imminutũ eſt.

Perſarum rex Coſdroes Orientem vaſtat,Meſopotamiam,Syriam,Palęſtinam,Armeniam,Galatiam,& circũ omnia, Chalcedonẽ vſq; populatur,ſubigitq;; Romanũ exercitum obſiſtentẽ profligat.

Regnant in Gallia Clotarius;in Hiſpania Richaredus; tum anno 601. Loyba;tum anno 603. Victericus;inter Hunnos Caianus; inter Longobardos Agilulfus.

In Anglia rex primus Chriſtianus eſt Edelbertus:anno 601.

Auares,& Hunni Dalmatiam occupant,è qua, & Pannonia pulſi Auares,poſtea Bauari dicti,Noricum inuaſerunt.

66 Sabinianus.

De Eccleſia Chriſti.

SABINIANVS Thuſcus,Pont. Max. anno 604. præeſt menſes V. dies XIX.

67 S.Bonifacius III.

S.BONIFACIVS III. Romanus,Pont.Max. anno 605. ad exemplum ſanctorum pontificum Leonis Magni, & Gregorij, pro beati Petri in eccleſia primatu contra Cyriacum patriarcham Conſtantinopolitanum temerè primatum ſibi arrogantem egit;quem cum nec Chriſti Domini per Petrum ordinationi,nec patrum exemplis, nec conciliorum decretis acquieſcere velle cerneret, alia via refellendum putauit, vt cum eccleſiaſticam autoritatem floccifaceret, ſæculari retunderetur; itaque precatus imperatorem, vt ſuam interponeret autoritatem, obtinuit, vt palam imperator ediceret, Romanam eccleſiam, quod & Cathedra B. Petri, & caput omnium eccleſiarum hactenus fuiſſet, eo loco, & gradu à quibuſque porrò habendam eſſe. Quapropter cum ſe etiã ab imperatoris fauore deſtitui Cyriacus videret,à concepta opinione deſtitit. Præfuit verò Bonifacius menſes VIII.

dies XXIII. vacante ſede menſes amplius nouem. *Blond. lib. 9. Plat. Onuphr. in Platinam.*

Sed hic meritò Lutheri, & aſſeclarum leuitas, atque inſolentia demiranda venit, qui magno ſtomacho hîc demum aiunt primatum Papæ cœpiſſe, ſcilicet Phocę imperatoris edicto; friuolum enim hoc hæretici ingenij commentum eſt, & impudens ſycophantia, adeoq; indigna, quæ pluribus refellatur; imo malignitas eſt infinitis partibus maior, quam Cyriaci illius fuit, qui cum poteſtatem ſummam eccleſiæ ſibi communicatam, aut translatam vellet, iſti ſublatam penitus, & exploſam cupiunt. Nam de S. Bonifacio quid demum habent quod carpant? eiúſne electionem tanquàm nouã, peregrinam, inauditam? at idem maiorũ pontificum via, & modo, non à ſectis, aut externis, ſed à Romano clero, & populo electus eſt; num vitam, quæ pietate, fide, & ſanctitate in eo laudatiſſima fuit? num opes, quæ iam priorum pontificum ætate latiſſimè ſecũdum B. Petri patrimonium ſpectabant in Italia, Sardinia, Sicilia, Gallia, Africa, Dalmatia, vt ex vetuſtioribus autoribus, & B. Gregorij ſcriptis conſtat? num poteſtatem hic nouam demonſtrabunt, quam non ſuperiores pontifices habuerint? num eccleſiæ Chriſti primatum, & ſacram hierarchiam homini imperatori acceptam referent? Non hæc tanta poteſtas, crede homo, ab hominibus, aut ab imperatore terreno venit; in regno Dei, quod eſt eccleſia, poteſtas ſumma non eſt niſi à Deo, & Ieſu Chriſto eccleſiæ capite, qui eam cumprimis Vicario ſuo tantam dedit, vt quod in terris iudicio ageret, ratum, firmumq; eſſet in cœlis; quam deinde eandem in eccleſiæ Romanæ epiſcopo Petri ſucceſſore agnouerunt, & venerati ſunt ſanctiſſimi, & antiquiſſimi martyres, doctores, Concilia, populi, eccleſiæ catholicę apoſtolicæ, vt vel ipſa temporum ſeries pulcherrimis exemplis euincit. Quorum ſi exempla pro tua arrogantia omnia contemnis, & vt vna in autoritate imperatorum hæreas, omnes retro hiſtorias ad Phocam vſque perlegiſti, ne in Phoca attonitus perſiſtas; perge modo bonis auibus ad antiquiora, & ad ipſum eccleſiæ florem; vbi reperies non primum ex imperatoribus eſſe Phocam, qui ſummi pontificis autoritatem edicto agnoſcendam,

dam,atq; ſequendam quibuſuis eſſe cēſuerit, ſed multò ante eum, Martianum, Iuſtinianum, Gratianum, Valentinianum, Theodoſiū, & Conſtantinum Magnum: quos tam illuſtres principes per oſcitantiam præteriiſſe, vt in vno Phoca hęreas, te iure pudeat. Sed age, num apoſtolicam fidem Bonifacius vitiauit, aut nouam prædicauit? profectò nunquam tātum nefas probaueris. Ac cum per octoginta iam annos, hæretici vulgo prædicēt, doctrinam apoſtolicam à Pontificibus corruptam eſſe; tamen tanto tempore ne tantillum quidem in fidei Chriſtianæ dogmatibus ab eis vitiatum fuiſſe vnquam demonſtrare potuerunt. Et audent nihilominus, ſathanæ ſpiritu incitati per ſummum ſcelus calumniari, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, qui à temporibus magni Gregorij in Petri cathedra ſederit, ô blaſphemiam. Quam tamen ad aſtruendam, nō niſi plauſtris conuitiorum, mendaciorum, & ſcripturæ deprauationum vtuntur. Quibus qui fidem adhibēt, non minus à veritate, & communione Chriſti, quàm ipſi, aberrant. Per Phocam igitur priſcæ Pontificum autoritatis aſſertio noua facta eſt: in doctrina apoſtolica nihil immutatum eſt: cathedræ Petri nihil additum eſt.

68
S.Bonifanes IV.

S. BONIFACIVS IV. Valerienſis Italus, Pont. Maxim. anno 606. præeſt annos VI, menſes VIII, dies XII.

Ieruſalem elegantiſſimis ædificiis, & templis exornata per Coſdroen regem Perſarum laceratur; Chriſtianorum ad quinque millia occiduntur, multa tum inde, tum ex toto Oriente millia in captiuitatem abducuntur; templa paſſim euertuntur, quæ perſecutio in eccleſia miſerrima fuit. Intactum tamen tyrannus ſanctum Dei ſepulchrum reliquit, diſponente ita, & terminum ſæuitiæ ponente Domino: lignum precioſiſſimæ Crucis vnà ſecum, & patriarcham Zachariā in Perſiam abſtulit; ſed tāto cum ſtupore, vt id in throno ſuo auro, gemmisq́; ſplēdidiſſimè fabrefacto, ſupra ceruicem ſuam locaret. *Blond. lib. 9. Sigebert. in chronico.*

Perſecutio in Perſia multò maior cœpit, templa direpta, Catholici in hæreſes compulſi ſunt. *Bonfin. lib.* 8.

Hæreſes.

IVlius Halicarnaſſeus multas, & varias ſectas inchoat; multis ita perſuaſis, licere quæ pro ſe quiſq; vellet de fide credere, aut improbare. Aphthardocitas iuuit, incorruptibile, & impaſſibile corpus Chriſto ante paſſionem dantes. *Niceph.* 18. *hiſtor.* 45.

Iudæi Antiochiæ atrociter in Chriſtianos debachantur, & patriarcham Anaſtaſium præfocant. *Paul Diac. lib* 8.

Sergius Syrius patriarcha Conſtantinopolitanus poſt ſchisma, hæreſim infert, Monothelitas iuuat. *Niceph.* 18. *hiſt.* 54.

CAP. XX. HERACLIVS *Imperator.*

Anno 611.

HERACLIVS occiſo 27. Martij Phoca, imperium armis occupauit, à Sergio patriarcha coronatus eſt, & Conſtantinum filium imperij conſortem fecit; initio pro viribus, quæ tum à Perſis admodum labefactæ fuerant, optimè ſe geſſit, Italiæ regno per Exarchum Eleutherium maturè prouidit; regem Perſidis Coſroen victoriis inſolentem, bis pacem, induciasq; recuſantem comparato exercitu, magna in Deum fide incenſus, domuit, & ſimul Aegiptum, Lybiam, Africam, Syriam cum egregio triumpho recuperauit: poſtea ducta in vxorem fratris filia, verſus ad ſuperſtitiones, aruſpicinam, hæreſes, & ad ſpoliandas eccleſias, deſtitutus diuina ope, à Saracenis occupari, diripi, vaſtari imperium permiſit. Imperauit annos XXX. menſes II.

Perſarum regnum toto Oriente potentiſſimum, occiſo Coſdroe cum filio Medarſe à filio Syroe natu maiore, deinde poſtquam regnaſſet Adheſer, tum Hormiſda, qui in Saracenorum poteſtatem venit, finitum eſt anno 640. cum ſtetiſſet annos ſupra quadringentos.

In Gallia regnat adhuc Clotarius: tum anno 632. Dagobertus in eccleſiis dotandis munificentiſſimus, qui fratri Ariberto principatum Aquitaniæ permiſit, & Sclauos vicit.

In Hi-

In Hiſpania regnat anno 610. Gundemarus, qui Vaſcones fudit; tum anno 612. Siſebutus Chriſtianiſſimus, doctus, eloquens, victoriis felix, Iudæos qui Dominum nollent Meſſiam agnoſcere, toto regno exturbauit: tum anno 620. Ricaredus II. puer: tum anno 621. Cintilla, vel Suintilla primus Hiſpaniarum monarcha, Romanorum exercitus regno exuit; regni collegam Rechimirum filium fecit: cæterùm cum ſceleribus grauibus laboraret, deſertus à ſuis eſt, & ab epiſcopis ſacra communione excluſus: cui ſuccedit anno 631. Siſnandus: tum anno 635. Cintilla II.

Lombardorum rex eſt adhuc Agilulfus; tum anno 614. Adelualdus cum matre Theodelinda: tum anno 624. Arioaldus: tum anno 636. Rotharis Arrianus.

In Anglia regnat adhuc Edelbertus: tum anno 624. Edbaldus. In Burgundia Theodoricus: apud Hunnos adhuc Caianus.

Rex Northumbriæ Eduinus regnum init anno 616. & fidẽ Chriſtianam amplectitur anno regni vndecimo: eſt verò ea prouincia ſita in Anglia.

SARACENI ex Arabibus, & Iſmaelitis permixti, nouum regnum Mahometanum excitant, quo deletum eſt Perſicum in Oriente: qui cum ex Agare Abrahami ancilla, & Iſmaele orti ſint, Saraceni dici malunt, quàm Agareni, tanquam ex Sara legitima coniuge orti; poſt aliquot excurſiones ſuperiore tempore factas, funeſto Mahometi opportunè modò oblato duci ſe coniunxêre, cuius auſpicio in Syriam primùm inuaſerunt, deinde Damaſcum, Ieruſalem, Antiochiam, mox Perſarum regnum occupauêre. Quã ob cauſam à Perſis exciti Turcæ, qui ſupra Caſpium mare trans Caucaſum incolebant, ſenſim ex eo velut effractis portis in Aſiam, tum in Europam inuolarunt: mortuo Mahomete, de quo iam iam apud hæreſes, regnarunt ordine Bubecer, & Homar, ſeu Haumar; Amyrates dicti.

De

69 S.Deodatus.

S. DEVSDEDIT, aut Deodatus Romanus, Pont.Max.anno 613.leproſum,quem charitatis affectu complectens, cum deoſculatus eſſet, mirabili gratiæ diuinæ teſtimonio, mundum reddidit. Præfuit annos III. dies XIX. *Volater.*

S. Iohannes cognomento eleemoſynarius patriarcha Alexandrinus liberaliſſimus, cùm in pauperes, tùm in captiuos ſub Perſis Chriſtianos celebratur. *Mataphraſtes in eius vita.*

Iſidorus Hiſpalenſis,Fulgentius Aſtigitanus, Leontius Cyprius, Lupus Senonenſis, Maximus, & alij præſules vita, & doctrina clari ſunt.

70 S. Bonifacius. V

S. BONIFACIVS V. Neapolitanus, Pont. Max. anno 617. aſyla reis ſancta eſſe voluit. Præfuit annos V. menſes X. *Platina.*

S.Lupus in Auſtraſia quæ nunc eſt Lotharingia, ducem Boſon baptiſat,& de regno Dei cum illis populis erudit. *P. AEmyl. lib. 1. ſpecul. Vincentij.*

71 S.Honorius.

S.HONORIVS Campanus,Pont. Maxim. fit anno 622. hunc piè eccleſiam adminiſtrantem hæreſeos Monothelitarum non verentur inſimulare aduerſarij,quam is ipſe damnauit; nã quod ex Græcis ſynodis adferunt inſperſum à maleuolis fuit, vt Anaſtaſius bibliothecarius ex Theophane Iſauro Græco probat,& Græci alij palam euincũt, & fraudem huiuſmodi hæreticis Græcis familiarem fuiſſe,ſuperius tempore Anaſtaſij imp. ex Euagrio demonſtratum eſt, vbi pſeudepigrapha nomine Iulij Pontificis venditabant. Præfuit annos XII. menſes XI. dies VII. *Blond. 9. Onuphrius in Platinam.*

Ieroſolymorum eccleſia à Heraclio, reportante ex Perſia ſacræ

crucis lignum, liberato vnà Zacharia patriarcha, & plebe captiua, reſtituitur priſtinæ libertati; verùm populantibus omnia Saracenis, ſanctæ Crucis lignum Conſtantinopolim translatum eſt, & mox Ieruſalem in Saracenorum poteſtatem venit. *Blondus libr. 9. Bonfin. lib. 8. decad. 1.*

Epiſcopales cathedræ Conſtantiæ, & Argentorati fundatore Dagoberto Franco eriguntur: in hac S. Arbogaſtus, & Florentius euangelicæ doctrinæ ſemina iaciunt. *Feucht. præfat. de indulg. Surius.*

S. Cunibertus epiſcopus Colonienſis in doctrina verax, in charitate ad omne opus bonum paratus floret. *Surius.*

S. Paulinus magnæ induſtriæ archiepiſcopus Eboracenſis, Cantuarienſes, & Northumbros in Anglia de Chriſto Saluatore, vt & Berino ab Honorio pontifice miſſus Angloſaxones occiduos edocet. *Beda lib. 2. Sigibert.*

S. Amandus & Eucharius Gandauos, Chilenus Arteſios depulſa idolorum caligine, Chriſtiano lumine ad Deum introducunt. *Genebrard. chron.*

72 Seuerinus.

SEVERINVS Romanus, Pont. Maxi. anno 637. Præfuit annum I. menſes II. dies IV.

S. Gallus regnum cœlorũ in Heluetia prædicat, ac cœleſti amore ſuccenſus, mundi delitias fugit, cilicio, & catena ænea carnem premit, vt ſpiritu liber in Deo exultet; obit diem anno ætatis nonageſimo quinto. *de eo ſcripſit Valafredus Strabo.*

73 Ioannes. IV.

IOANNES IV. Dalmata, Pont. Max. anno 639. Scotos Pelagianiſmo infectos ad veritatem gratiæ cœleſtis per literas reuocat. Præfuit annum I. menſes IX. dies XVIII. *Beda de temporibus.*

In Hiſpania regis iuramento additur, neminem à rege in regno

ferendum eſſe, niſi Catholicum. *Concil. Tolet. 6. can. 3.*

Iudæi ab imperatore, tum à Francorum rege, vt paulò ante ab Hiſpano coguntur aut Chriſtum benedictum agnoſcere, aut finibus excedere. *Blond. Aemyl. lib. 1.*

74 Theodorus.

THEODORVS Ieroſolymitanus, Pont. Max. anno 640. liberalis in pauperes; patriarchas Conſtantinopolitanos ab hæreſi abducere conatus eſt. Præfuit annos VI. menſes V. dies XIX. *Blondus. 9.*

Hæreſes.

ORientalis eccleſia iterum ingentem ruinam fecit, principibus eccleſiæ certatim in hæreſis præcipitium abeuntibus. Pyrrhus patriarcha Conſtantinopolitanus, æquè ac Sergius qui ipſum præceſſerat, ad Monothelitas deuolutus eſt, quem, hortatu & ſententia Honorij pontificis, pellens Heraclius Auguſtus, mox eum in eandem perniciem & ipſe ſecutus eſt, & vnà Cyrus Alexandrinus patriarcha, qui concertationum, & miſeriarum longam catenam contexuit. *Blond. lib. 9.*

Iacobitæ, Georgiani, Armeni, Neſtoriani, aliiq; latè per Aſiam ſuos errores euulgant; Anaſtaſius Antiochenus patriarcha Iacobitas prouehit; Coſdroes in Perſia Neſtorianos locupletat; Armeni Catholicum ſibi, quem vocāt, ſeu ſummum archiepiſcopum præficiunt; Georgiani pariter ſuis partibus ſtudent. Catholici quidem non pauci adhuc perſiſtebant in orthodoxia, ſed diſperſis locis, vt ferè nunc agimus in Germania, & alibi. *Niceph. Prateol. de hæreſ. Burchard. de Terra ſancta.*

Pyrrhus Conſtantinopolitanus præſul ad Theodori Romani pontificis pedes reſipiſcens ſe abijcit, hæreſim abiurat, Catholicam communionem petit. *Blondus 9. decad. 1.*

De Mahomete.

MAhomet pſeudopropheta maximus, dirū mortalibus omē, anno 592. obſcuro loco ortus, patre Perſa idololatra, matre Arabo

Arabe Iſmaelitide Iudaiſante, adoleſcentiam ſeruili opera ſub mercatore traducens, multum inter diuerſos Iudæos, paganos, Chriſtianos verſatus, heri vita functi, vxorem ſibi iunxit, ac nouum doctrinæ genus Chriſtiano orbi pernicioſiſſimum inuexit. Multa ſunt quorum ope virus illud tantas terras quaquauerſum, vel præter illius ſpem felicius peruaſit; erat ingenio ipſe vafer, arrogans, audax, verſutus, vt etiam animi deliquium, & Herculeum morbum, qua eum Deus impotentia notauerat, ad maiorem ſui admirationem verteret; rapi ſe inquiens ſpiritu in extaſim; adiutus verò eſt, & eruditus à decem Iudæis exitiū Chriſtianæ fidei machinantibus, itemque ab altero Iudæo noctu per viſum, angeli ſpecie eum dementante: adhæc ab hæreticis duobus Iohanne, & Sergio Græco monacho apoſtata, quorum ope doctrinam ita ſuam è biblicorum, & ethnicorum ſcripturis conſarcinauit, ex ſingulis ſingula decerpendo, vt ſimul Paganis, Iudæis, & Chriſtianis appareret plauſibilis, atque hac via, & ratione in eam omnes pelliceret. Quæ etiam eò facilius à quibuſq; accepta eſt, quòd per Arrij, & Eutychis infelix dogma Orientis eccleſia horrenda confuſione turbata eſſet, & homines miſeri quid tandem crederent, pleriq; dubitarent. Hanc Stygiam hydram deinde in orbem terrarum longè, lateq; prouexerūt alæ geminæ illi agnatæ, Saracenorum, & Turcarum armati exercitus; tantò magis formidabiles, quantò iuſta Dei ira viribus indies magis valebant; his namque, ferro, flamma, perfidia, & truculentiſſima ferocitate cum imperij, tùm eccleſiæ Dei vaſtatum, & occupatum eſt, quicquid terrarum Arrio hæretico adhærebat, Græcia, Thracia, Pontus, Aſia, Cilicia, Meſopotamia, Perſia, Syria, Palæſtina, Arabia, AEgyptus, Africa, & longo tempore Hiſpania. Atque hos fructus attulit hæreſis Orienti; quis verò non idem malum ex tanta hæreſum illuuie noſtra memoria Occidenti ominetur, metuatq; ? Porrò inſanus ille Mahometes coacta hominum perditorum manu, primò excurſiones fecit, deinde iuſto milite vicina quęque adortus, dux factus, Saracenorum regnum excitauit, ac regnauit in annum vſque decimum. Natus eſt ſub Mauritio; pſeudoprophetam, & ducem egit ſub Heraclio; diſcipulos prophetas habuit

præcipuos Homar,& ſchiſmaticum Haly, quem nunc Perſæ Sophi ſequuntur, tum alios præterea ſuper viginti millia: obiit anno 624. vel 655. vt aliis placet; ſepultus in Arabiæ metropoli Mecha, vbi vt cœlum moriẽs petere videretur,ferreo loculo incluſus,à magnete lapide teſtudini templi inſerto,in ſublime eleuatus dicitur; legem ſcripſit rithmicis verſibus, Alfurcan à ſectionibus dictam, quam nunc vocant Alcoranum. Hegira autem,vel annos Mahometanos numerant Arabes,Saraceni,& Mauri ab ipſo nato; Turcæ verò ab eius tranſmigratione,vt vocant,hoc eſt,à morte; alij aliter,ſed minus certò: vtuntur verò Mahometani annis lunaribus, quibus ſingulis emboliſmus vndenorum dierum addi debet; ſecus enim illorum anni triceni bini, noſtrûm non niſi tricenos ſingulos conficient. *Vide Poſtellum de Mahomete. Pompon. Lætum; Theuetum: annales Turcicos cum pandectis Leonclaij cap.* 11. *Vaſæum ſub Siſebuto Hiſpaniæ rege.*

CAP. XXI. CONSTANTINVS *III. Imperator.*
Anno 641.

CONSTANTINVS Heraclius, patre Heraclio menſe Maio mortuo, imperauit menſes IV.

CAP. XXII. HERACLEONAS *Imperator.*
Anno 641.

HERACLEONAS Heraclij ex Martina nepte filius, ſublato per venenum fratre,& ipſe regno pulſus eſt cum matre, cum imperaſſet menſes II.

CAP. XXIII. CONSTANS *II. Imperator.*
Anno 641.

CONSTANS Conſtantini fil. pulſo patruo menſe Octob. imperij regimen ſuſcepit, fratrem Germanum Theodoſium iugulauit,à Saracenis cum claſſe victus vix euaſit,poſtremò in Sicilia occiſus eſt,cum imperaſſet annos XXVI. menſes VIII.

Imperatores deinceps hæreditario iure,nō electione ſucceſsêre.

In

In Gallia regnat adhuc Dagobertus; tum anno 646. Clodouæus II. Ludouicus primus dictus; cui ſucceſſit anno 663. Clotarius III. tum anno 667. Theodoricus, mox regno pulſus: tum anno 668. Hildericus: quo tempore Comes ſtabuli, vel Magiſter equitum rebus ſolebat præeſſe.

In Hiſpania adhuc regnat Cintilla II. cui ſuccedit anno 642. Tulcas: tum anno 644. Cindaſiuntus, qui tertio anno Receeſitum filium regni conſortem fecit.

Lombardiæ rex eſt adhuc Rotharis; tum anno 651. Rodoaldus: tum anno 656. Aribertus: tum anno 665. Pertharitus, & Gundibertus: tum anno 666. Grimoaldus.

In Anglia regnat adhuc Edoaldus; tum anno 649. Ercomertus: in Northumbria Oſualdus: in Britannia Dicaildis.

Saracenorum Amyras eſt Homar, deinde Hoam, vel Hoamen; Africam tributariam faciunt, inſulas nobiles Cyprum, & Rhodum, cum aliis ſubigunt, Europam infeſtant, regiam ſedem Califæ Babilonij in Aſſyria deligunt.

De Eccleſia Chriſti.

ECcleſia Occidentalis quæ iam S. Gelaſij ætate ab anno quingenteſimo vberius florere cœpit, deinceps labente Oriente multò felicius Chriſtum regem gloriæ, & ſalutis, dignitatisq; ducē ſequuta, & venerata eſt; diſponēte ita regni ſui æterni moderamina rege ipſo æterno, qui cum non niſi amanter ſuis imperitet, ſi qui ſequi ipſum nolint, alios ſubito populos donorum ſuorum cœleſtium gratia exſuſcitat, ſibiq; deuincit: Excitati itaque ſunt ad Occidentem, & Septentrionem à ſpiritu Dei, viri doctrina, fide, pietate admirabiles admodum frequentes, qui in reliquam idolomaniam inuolarunt, populos adhuc Erebi caligine ſopitos, prolata cœlitus euangelij luce illuminarunt, eoſq; vt peccatis mortui per virtutum & mutuæ dilectionis, atq; innocentię ſemitas, in nouitate vitæ ambularent, cùm verbo, tùm exemplo adhortati ſunt. Qua ratione factum eſt, vt eodem ſpiritu inflammati reges, & dynaſtæ, ne ſuis ipſi partibus deeſſent, certatim exædificarent templa, cathedrales eccleſias, & monaſteria infinita, quibus & plebs Dei congregari poſ-

ſet, & noua doctorum ſoboles, pietate, & doctrina ad poſteros propagari; & ijdem, vt vel hac in re Orientales ſuperarent, nihil regia ſua ſceptra morati, vt vnam Dei gloriam, & Chriſti nomen illuſtrarent, ipſi per ſe aut facti ſunt interpretes ſacerdotum peregrina lingua Chriſti fidem docentium, aut relictis omnibus facultatibus, ſacris initiati ordinibus, docendi populos totum munus ſuſceperunt; quorum nonnulli monaſticæ vitæ diſciplinam ſubierunt, nõnulli vitam alioquin ſanctiſſimè peregerunt. Quæ ſanè cauſa eſt, cur tot Occidentalium, & Borealium regnorum diademata ad cœlum ſint tranſmiſſa; miſit enim ad beatorum choros Hiſpania S. Pelagium, S. Hermengildum martyrem, S. Ferdinandum tertium, omnes reges; Gallia S. Ludouicum regem, S. Ediltrudem, & S. Crotildem reginas; Anglia S. Oſualdum, S. Richardum, S. Edmundum, S. Sebbum reges, S. Edilburgam, & S. Editham regum filias virgines. Scotia S. Rumoldum epiſcopum, & martyrem, regis filium; S Margaritam reginam: Dania S. Kanutum regem martyrem; Suetia S. Ericum regem martyrem; Noruegia S. Olauum regem martyrem; Hybernia S. Dympnam martyrem regis filiam; Boëmia S. Venceslaum martyrem ducem; Polonia S. Caſimirum regem, vt & Ladislaum: Hungaria S. Stephanum regem, S. Emericum eius filiũ, S. Ladislaum regem, S Eliſabetham regis filiam; & Germania denique S. Henricum imperatorem, S Kunegundam Auguſtam, S. Radegundã Thuringiã Clotarij regis vxorẽ, ſuis quoſq; temporibus, vt alios prætereamus. *Ex hiſtorijs populorũ variorũ & martyrologijs.*

Imperator Conſtans interea eccleſiam tam in Italia, quàm in Oriente vehementer afflixit, ſectarum fautor, orthodoxorum perſecutor, templorum ſpoliator. *Blond.*

75 S. Martinus.

S. MARTINVS Tudertinus Italus anno 647. Pont. Max. vir grauis, dum ſectariis mederi per Concilium curat, ab imperatore dolo capitur, & in exilio obit. Præfuit annos VI. menſes IV. dies VII. *Blond. 9. lib.*

Regina Perſiæ fidei ardore clam Conſtantinopolim ex Perſarum poteſtate

poteſtate elabitur; quam inſecutus rex & ipſe baptiſmum cum ingenti ſuorum multitudine ſuſcipit. *Paul. Diac. lib.* 8.

S. Landelinus à pontifice Martino ad prædicandum Chriſti euãgelium emittitur: S. Eligius idem præſtat Flandris in Belgio: S. Remaclus Vltraiectinis, S. Rodoaldus Treuirenſibus: S. Arnolfus Metenſibus; S. Furſeus in Hybernia. *Sigebert. chron.*

Rex Carcombertus, ſeu Ercomertus in Anglia idola demolitur, Chriſti fidem edicto imperat amplectendam. *Beda* 3. *hiſt.* 8.

S. Oſualdus rex Northumbriæ religionem ſalutarem per Angliam, Scotiam, Hyberniamq; promouet, & Aidani epiſcopi, ſicubi minus intelligebatur, interpretem pro concione agit. *Beda* 3. *hiſt.* 3.

S. Gertrudis, Seuera, & aliæ ſanctæ mulieres fidei, & virtutum candore florent. *Sigebert.*

76 Eugenius.

EVGENIVS Romanus, Pont. Max anno 654. ſacerdotes malæ vitæ carcere ab epiſcopis puniri ſanciuit. Præfuit annos II. menſes IX. dies XXIV. *Volaterran.*

Toletanus epiſcopus eccleſiarum Hiſpaniæ primas decernitur; is erat tum S. Eugenius. *Vaſæus chron. Hiſpaniæ.*

Templa & monaſteria per Hiſpaniam ante deſtructa reſtaurantur à rege Receſitho. *Idem Vaſæus.*

77 S. Vitalianus.

VITALIANVS Latinus, Pont. Maxim. anno 657. apoſtolicæ doctrinæ prædicatores doctiſſimos emiſit Theodorum archiepiſcopum, & Adrianum abbatem in Angliam; doctrinam de Deo, de Trinitate, de duabus in Chriſto naturis contra hæreſes ſincerè tutatus eſt; vitam inculpatam duxit. Præfuit annos XIV. menſes VI. *Beda de temp. Platina. Paul. Diacon. lib* 8.

SS. Epiſcopi florent Cæſarius Arelatenſis, Florentius Argentinenſis, Niuardus Remenſis, Hildefonſus Toletanus.

Nauarræ regnum in Hiſpania in Chriſti confeſſionem concedit. *Merman. theatro.*

Organorum vſus inter eccleſiaſtica officia introducitur: quanquam alij eum temporibus Ludouici pij attribuant. *Platina. Bellar. 1. bonor. oper. 17.*

Hæreſes.

ROtharis rex Longobardus Arrianus, omnes eccleſias Italiæ peruertere molitur, ac per vim Arrianos vbiq; antiepiſcopos catholicis cathedris intrudit, quæ tamen vis nec Catholicos à ſententia mouit, nec diuturna fuit. *Palmer. in chron. Blond lib. 9.*

Mahometicæ peſtis contagionem, & incrementa ex Saracenorum progreſſu facilè æſtimari licuerit; Homar templum inſigne, quod Moſceam, & Meſged vocant, Ieruſolymis extruxit. *Theuet. in coſmograph. Sigebert. in chron.*

CAP. XXIV. CONSTANTINUS *IV. Imperator.* *Anno* 669.

CONSTANTINVS IV. Pogonatus occiſo 15. Iulij patre Conſtante ſucceſſit, non ſine metu; fratribus naſum amputauit, vt deformes ab imperio abſtinerēt; multa geſſit bella contra Saracenos, & Bulgaros, tributum ab Arabum rege accepit: regnauit annos XVI. menſes VII.

In Gallia regnat adhuc Hildericus 3. & poſt eum Theodoricus regno reſtitutus anno 680.

In Hiſpania Receſiſthus, vel Ricceſuintus ab anno 650: tum anno 674. Vamba, vel Bamba: tum anno 682. Eruigius, qui Theofredū Bambæ fil. conſobrinum regno exuit.

Longobardiæ rex eſt adhuc Grimoaldus: tum anno 675. Pertharitus reuocatus ad regnum, vnde pulſus fuerat.

In Anglia regnat adhuc Ercomertus: cui ſuccedit anno 676. Edelredus: in Northumbria vero regnat Egfredus.

Bulgaria permiſſu imperatoris, à Bulgaris deinceps inhabitatur, ante quorum aduentum regio Mœſia dicta erat.

Saraceni Lyciam, Ciliciā, Cretam, & inſulas Cycladas, Thraciā, adhæc Africam, & Hiſpaniā populantur; multa Chriſtianorum millia abducunt captiua; illorum claſſis in mari tandem conflagrauit.

De

De Eccleſia Chriſti.

78 Adeodatus.

ADEODATVS Romanus, Pont. Max. anno 672. vitæ inculpatæ, piæ, & in egenos benignæ. Præfuit annos IV. menſes II. dies XVI. *Platina.*

S. Iulianus Pomerius Toletanus, S. Damaſus Ticinenſis epiſcopi, ſanctitate, & doctrina illuſtres.

Epiſcopales diœceſes in Hiſpania aptè per Concilium, & regem Bambam diſtinguuntur. *Vaſaeus in chron. Hiſp.*

S Iodocus regis Britanniæ filius, ſpreta mundi gloria, vni regi Chriſto in vita monaſtica ſeruit. *Trithenius.*

79 Domnio.

DOMNVS Romanus, Pont. Max. anno 676. præeſt annos II. menſes V. dies X.

80 Agatho.

AGATHO Siculus, Pont. Maxi. anno 679. pius, manſuetus, leproſum diuinitus ſanat, concilium proximum conuocat, ſtatuitq; vt in apoſtolica patrum fide nihil minuatur, mutetur, aut addatur. Præeſt annos II. menſes VI. *Plat. Paul. Diacon. libr. 8. Agath. epiſt. ad Imp.*

CONCILIVM Conſtantinopolitanum III. ſacroſanctum, œcumenicum ſextum celebratur anno 681. ab epiſcopis ducentis octoginta nouem; præſides à Romano pontifice miſſi fuerunt Iohannes epiſcopus Portuenſis, & Iohannes diaconus Romanæ eccleſiæ; quo in concilio rediit in gratiam Conſtantinopolitana eccleſia cum Romana, damnati ſunt Monothelitæ, confirmatæ ſunt denuò in orthodoxia eccleſiæ Orientis. *Onuphr. P. Diacon. libr. 8. Canus lib. 5. Theol. cap. vlt.*

81. S. Leo II.

S. LEO II. Siculus, Pont. Max. anno 682. ſanctus, doctus, facundus, interpretatur Græci Concilij acta Latinè. Præeſt menſes X. dies XIX. *Plat.*

SS. Cudebertus, Edelualdus, Iohannes, epiſcopi in Anglia Chriſti doctrina florent; regina Edeltridis Egfredi coniūx poſt duodecimum nuptiarum annū intacta virgo conſenſu ſponſi in monaſterium ſe abdit, & Deo in ſanctitate famulatur. *Beda 4. hiſt. 19.*

Vecta inſula ad Angliam Chriſto Domino dat nomen. *Beda.*

82. S. Benedictus II.

S. BENEDICTVS II. Romanus, Pont. Max. anno 684. ab imperatore illius confirmationis per Iuſtinianum introductæ liberatus eſt cum ſucceſſoribus; ad hunc vſq; in D. Petri cathedra ſederunt ad ſeptuaginta pontifices, omnes probatæ ſanctitatis. Præfuit mēſes X. dies XXVII. *Blond. Onuph. in Plat.*

83. Iohannes.

IOHANNES V. Syrus, Pont. Max. anno 685. Præeſt annum I. menſes IX.

Hæreſes.

Armeni à Conſtantinopolitano Concilio reprehenſi ſunt quòd calicem Domini non aqua miſcerent contra apoſtolorum traditionem, *Can. 32. Trullan. Iac. Faber. in Hiſperaſpiſte.*

Muotar nouus Mahometicus propheta apud Perſas emergit.

CAP. XXV. IVSTINIANVS *II. Imperator.*
LEONTIVS *Imperator.*
TIBERIVS III. *Imperator.*
Anno 686.

IVSTINIANVS iunior patri Cōſtantino primo Februarij mortuo ſucceſſit; bella geſſit cū iniqua, tùm infelicia, inducias cōtra Sara-

Saracenos fregit, & contra Bulgaros, à quibus profligatus, pacem repetiit, infeſtus etiam eccleſiæ.

LEONTIVS aliàs Leo II. anno 696. Iuſtinianum imperio exuit, triennio Africam recuperauit.

TIBERIVS III. Abſimarus anno 699. à militibus Auguſtus appellatus ſeptēnio in Syria ducenta millia Saracenorū proſtrauit.

Iuſtinianus reſtitutus anno 706. Leontium, & Tiberium interfecit, bellum in Philippicum ſuſcepit licet dehortante pontifice; occiſus eſt cū omnino imperaſſet annos XXVI. menſes VI. dies XII.

In Gallia regnat adhuc Theodoricus, cui ſuccedit anno 694. Clodouæus III. tum anno 698. Hildebertus: ac ſenſim regia ſtirps à Faramundo ducta degenerat; contra gens Pipinorum indies clareſcit.

In Hiſpania Eruigius adhuc regnat; & poſt eum anno 689. Egiza Bambæ filius, Eruigij gener: tum anno 704. Vitiza Eruigij filius.

In Lombardia regnat adhuc Pertharitus; tum anno 693. Cunibertus: tum anno 705. Luithbertus puer paulo poſt occiſus; tum anno eodem Ragumbertus; & anno ſequente Aribertus.

In Anglia regnat adhuc Edelredus: in Northumbria Alfridus: & in Scotia Eugenius.

Venetiarum dux primus creatur Paulus Anazar Anafeſtus anno ab vrbe condita 252. anno Chriſtiano 703.

Saraceni ciuilibus bellis imperio diſtento, ſubiugant Armeniā maiorem, Perſidem vlteriorem, iterumq́; Africam, Lybiam; tum in Europa ciuitates aliquot Thraciæ, & Ciliciæ. Amyras illorum ſeu rex eſt Abdimelech, deinde Vlid.

De *Eccleſia Chriſti.*

84 Conon.

CONON, & Cuno Thrax, Pont. Max. anno 686. ob vitæ innocentiam Angelicus dictus. Præeſt menſes XI. *Plat. Sabellicus.*

Franconia Germaniæ vmbilicus Chriſtianæ fidei ſalutarem doctrinā accipit doctore S. Kiliano Scoto, à Conone ad prædicandū

delegato : dux prouinciæ Gotbertus vnà cum aliis ſacro ſpiritus lauacro luſtratur : eccleſia cathedralis deſignatur Herbipolis, cuius epiſcopatum ſuſcipit primus S. Kilianus, qui cum duce martyrio affectus, ſucceſſorem facit S. Burcardum. *Sigebert. in chron. Surius.*

S. Leodegarius epiſcopus Auguſtodunenſis martyr, S. Audoënus epiſcopus Rotomagenſis, S. Vuilebrodus Phryſiorum epiſcopus, & S. Gutbertus in Britannia florent. *AEmyl. Platina.*

85 Sergius.

SERGIVS Antiochenus, Pont. Max. anno 687. ne quam labem beatorum apoſtolorum doctrina acciperet, oppoſuit ſe magna fide imperatori, peruerſam doctrinam per ſynodos illegitimas obtrudenti. Præfuit annos XIII. menſes VIII. dies XXIII *Paul. Diaconus, Blond. lib.* 10. *decad.* 1. *Beda, Canus* 5. *theol. cap. vlt.*

Orientis eccleſia quàm debilitata eſſet, vel ex eiuſmodi ſynodis liquet, quæ fauorem magis imperatorium, quàm veritatem apoſtolicam rimabantur.

Trullani canones, ſub nomine ſextæ ſynodi vniuerſalis, quinto ab hinc anno celebratæ, edūtur ab epiſcopis Græcis in Trullo Cæſaris palatio Conſtantinopoli congregatis, citra tamen ſolitam ſynodalem ſubſcriptionem, & Pontificis confirmationem. Atque ab huius prophanæ ſynodi tempore cœptum eſt à ſacerdotibus Græcis coniugium ſacræ ordinationi præmitti, vt ſubdiaconus nemo fieret, niſi coniugio ſe mancipaſſet: id quod multò magis tempore Leonis IX. ab eis eſt factitatum. *Canus* 5. *theolog. loc. cap. poſtremo, Bellarmin.* 1. *de Clericis cap.* 19. *Carol. Bouius præfat. in conſtitution. apoſtol.*

Saxonia in Germania viuificante Dei verbo ad ſalutem adducitur, vt & Friſia, per S. Suibertum; cui ſocius in Friſia acceſſit S. Vilebrodus, à Sergio pontifice, & Pipino Franco delegatus, qui Vltraiecti epiſcopalem cathedram poſuit. Cedoualdus verò Saxonum rex, vulgo dictus Zeitvald, Romam vrbem petit, baptiſmum illic à pontifice accipit, & facultates regia munificētia cultui diuino perficiendo

ficiendo legat. *Beda 5. hiſtor. 10. Sigebert. in chron. Bonfinius decade 1. lib. 8.*

86
Iohannes. VI.

IOHANNES VI. Græcus, Pont. Max. anno 701. quem nonnulli martyrem ſcribunt, præfuit annos III. menſes II. dies III. *Volater.*

In Perſia Chriſtiani à Mahometanis miſerè afflicti exſcinduntur, *Thenet. in coſmographia.*

87
Iohannes VII.

IOHANNES VII. Græcus, Pont. Max. anno 704. Præfuit annos II. menſes VII. dies XVII.

88
Siſinius.

SISINIVS aliâs Zoſimus Antiochenus Syrus, Pont. Max. anno 707. Præeſt dies XX.

89
Conſtantinus.

CONSTANTINVS Syrus, Pont. Maxim. anno 708. ad Iuſtiniani imp. petitionem proficiſcitur Cōſtantinopolim: in itinere ægrotum miraculosè ſanat, excipitur maximo honore, multa pro fide orthodoxa ſingulari cum prudentia agit, Præeſt annos VIII. menſem I. dies XX. *Paul. Diacon. Beda, de temporibus. Blond. lib. 10.*

Hæreſes.

MAronitæ à Marone ex Eutychianis deducti Syriam, & Phœniciam detinuerunt ad ſexcentos annos. *Prateol. de hæreſibus.*

CAP. XXVI. PHILIPPICVS *Imperator.*

Anno 712.

PHILIPPICVS Bardanes cum occidiſſet 13. Auguſti Iuſtinianum cum Conſtantino filio ; imperium occupat an. II. menſes IX. dies VII.

In Hiſpania regnum Viſigothorum ſub rege Roderico extinguitur à Mauris, & Saracenis.

CAP. XXVII. ARTEMIVS *Imperator.*

Anno 715.

ARTEMIVS cognomento Anaſtaſius, Philippico deturbato, & excæcato 20. Iunij, imperat annum I. menſes III.

CAP. XXVIII. THEODOSIVS *III. Imperator.*

Anno 716.

THEODOSIVS, Atramitenus, pius, Anaſtaſio abdicante 19. Auguſti, à militibus coactus imperat menſes VII. dies VI.

Galliam adhuc regit Hildebertus, & poſt eum anno 716. Dagobertus II. quem alij Clodouæum vocant.

Hiſpaniæ regnum init anno 711. Rodericus, cuius libidine regnũ exciſum eſt; contra ipſum enim Iulianus comes, ob vitiatam ab eo filiam, Mauros ex Africa, Saracenosq; in Hiſpaniam accerſit, à quibus rex profligatus, nobilitas cæſa, regnumq; Gothicum deletum eſt anno 714. ac Hiſpania vniuerſa in Saracenorum poteſtatem venit, præter Aſturiam. Iulianus tamen dum priuatam iniuriam publica patriæ, & regni clade vlciſcitur, vt in Deum etiam & Chriſtianam religionem iniurius fuit, ita nec ſibi, neq; ſuis profuit; vxorem enim eius barbari, ipſo inſpectante, lapidibus obruerunt, filium de ſublimi præcipitem dederunt, facultates diſtraxerunt : ac cum ipſe etiam hoſti ſuſpectus eſſet, in carcerem coniectus, longo ſqualore infelix periit.

Longobardorum rex adhuc eſt Aribertus; Angliæ Celredus, & poſt eum Edelbaldus; Northumbriæ Egfredus.

Sarace-

Saracenorum Amyras eſt Vlid, deinde Zulzimin: pergunt illi diripiendis prouinciis Chriſtianorum;Miſiam,& Piſidiam ſubigũt, Galatiam diripiunt; Hiſpaniam vniuerſam,Maurorum auxilio,occupant,incoluntq́; per longa tempora; niſi quod Chriſtiani Aſturiam vtcunque tutati ſunt.

De Eccleſia Chriſti.

IN Hiſpania cum regno veteri ferè Chriſtiana quoque religio extincta eſt, quam tamen ſeruarunt, & propagarunt porrò qui in Aſturiam confugerant, *Vaſaus in chron.Hiſpan.*

90 Gregorius. II.

GREGORIVS II. Romanus, Pont. Maxi. anno 716.caſtitate, ſapientia, & ſanctitate ſingulari præditus Germanos,Saxones,Turingos ad fidem,& euãgelium Chriſti amplectendũ literis animauit, miſſo ad eos S.Bonifacio; Leonem ſequentem Imp. fruſtra piè admonuit; atque licet multa ab ipſo perpeſſus,Italos tamen in fide imperatorum conſeruauit; vita, & doctrina clarus, multos Germanorum greges Romam proficiſcentes ipſe baptiſauit. Præfuit annos XIV.menſes X.dies XXII. *Blond.lib.10.Platina.*

Hæreſes.

IConomachi emergunt Philippico imperatore duce, conciliorum hoſte, qui Conſtantinopoli expunctis ſacris imaginibus, imperat Pontifici,Romæ idem faciat;à quo cõtra ex communione eliminatur; deiectas autem imagines ſanctorum reſtituit ſtatim Theodoſius ſucceſſor,*P.Diacon.Blond. eodem loco.*

CAP. XXIX. LEO *III. Imperator.*

Anno 717.

LEO Iſauricus abdicante 25. Martij Theodoſio, init imperium, belligeratur cum ſacris imaginibus,dum Saraceni Conſtantinopolim regiã in tertiũ annum obſidione premunt;inde Bulgaros petit; porrò vrbs altero malo, peſte ferè exhauritur, mortuis in

ea ho-

ea hominum trecentis millibus circiter;huic tertium ſuccedit terræmotus,quo toto anno ſuccuſſa eſt. Imperauit iſte annos XXIV. menſes II dies XXV.

In Gallia regia dignitas quidem in regibus conſpiciebatur : verùm regia poteſtas erat penes Carolum Martellum Pipinianum: poſt Dagobertum ad regnum venit extra regiam ſtirpem ; anno 720.Clotarius:deinde anno 722. Hilpericus II. tum Theodoricus Cala,anno 727.

Longobardorum rex Ariberto ſufficitur anno 718. Aſprandus; tum eodem anno Luitprandus patri ſuperſtiti.

In Anglia regnat Edelbaldus ; in Northumbria Ceodolfus: in Scotia Ambelcletus.

Itali Exarchatum Græcorum hominum expellunt,duces per regiones diuiſas creant,maiorem partē Longobardis obtinentibus.

Carolus Martellus rebus geſtis illuſtris, Francorum princeps, Sueuos,Saxones,Bauaros vicit. Viſigothos reliquos è Gallia exturbauit,ſed maius illud quod ſequitur.

Hiſpani à clade Maurorum,& Saracenorum reliqui regnum anno 716.geminum auſpicantur; qui ad Aſturiæ montes ſe receperāt, Pelagium ſingulari cùm fortitudine, tùm ſanctitate, ex regio Gothorum ſanguine principem declarāt regem Legionis,& Caſtellæ; cæteri ad ſaltus Pyrenæos profugi cui ſucceſſit anno 735. Faſila, ab vrſo interemptus: tum anno 737 Alfonſus Catholicus, Pelagij gener. Qui verò ad ſaltus Pyrenæos profugerant,Garſiam Ximenium nobilem Gothicum,ducem,vel regem Nauarræ creant.

Saracenorum Amyrates ſunt Haumar,deinde Gizid, tum Euelid,& magnus dux Maſalmas;cæduntur àTurcis ad portas Caſpias; alij ex Hiſpania in Galliam irrumpentes bello Aquitanico àCarolo Martello excepti & maximo prælio fuſi ſunt, amiſſis ſuorum trecentis ſeptuaginta quinque millibus, ex parte verò Martelli mille quingentis deſideratis : præclara hæc & ſtupenda victoria diuini præſidij Chriſtianorum in infideles teſtimonium ſingulare fuit.

De Eccleſia Chriſti.

CONcilio ab eccleſiæ epiſcopis celebrato Diuorum imagines ab ico-

ab iconoclaſtis vindicatæ ſunt, & earum antiquus vſus probatus, imperatore anathemate notato. *Blond.lib.*10. *Sigebert.*

91 Gregorius III.

GREGORIVS III. Syrus, Pont. Max. anno 731. fide, vitæ integritate, eruditione, magnanimitate excellẽs. Præfuit annos X. menſes VIII. dies XXIV. *Plat. Blond. Sigebert.*

Germania magna ex parte ad Dei veri, & filij eius vnigeniti notitiam perducta eſt per S. Bonifacium, qui vt Chriſti redemptoris mandata de euangelizando regno cœlorum piè exprimeret, & apoſtolorum cùm vitam, tùm doctrinam imitaretur, relictis pro Chriſti amore omnibus, magnos ad prædicandum gentibus in Germania labores ſuſcepit, Turingos, Friſios, Heſſos, Saxones euãgelio Dei repleuit, idola comminuit, hæreſes obſtrepentes verbo veritatis percelluit, ſacerdotes laxioris vitæ ad eccleſiaſticæ perfectionis normam reuinxit; ſynodos ad eccleſiæ propagationem habuit, Moguntinam eccleſiam cæterarum baſilicam, & primatem Germaniæ inſtituit, Bauariam in quatuor epiſcopatus Salisburgẽſem, Friſingenſem, Ratiſponẽſem, & Paſſouienſem diſcreuit, ac tandẽ vitæ beatæ merita martyrij laurea cumulauit, anno 755. cum docuiſſet annos quadraginta. Huic ſancto Chriſti famulo, & euangelico doctori, Germanorum plurium apoſtolo, mirum non eſt infenſos eſſe ex nouatoribus nonnullos, quando quæ ille ex apoſtolica patrum traditione diuino ſpiritu diſſeruit, nouo iſti euangelio minimè aſtipulentur; neq; enim illius inſtitutum erat nouum doctrinæ genus ex cerebro ſuo comminiſci, aut ſectariorum præcurſorem agere; ſed Germanos è dæmonum ludificatione exemptos ad Chriſti ouile adducere per eam fidem, quam beati apoſtoli fundauerunt, martyres confirmauerunt, confeſſores, & doctores illuſtrauerunt. Qua ratione fit, quando auitam noſtram fidem à B. Bonifacio, & huiuſmodi ſanctis doctoribus acceptã cum fide priſcorum patrum, & doctorum Europæ, Græciæ, Aſiæ, Syriæ, Aegypti, Africæ comparamus, eam non diſcrepantem, quemadmodum hę-

retici, ſed vnam candemq; eſſe, admirabili ſpiritus conſolatione comperiamus. *Vilibald. de eius vita,* Naucler. *in chronographia, Hoſius cap.*40. *Confeſſ.*

S. Iohannes Manzurius cognomento Damaſcenus; S. Germanus Conſtantinopolitanus, Beda Anglicanæ eccleſiæ ſingulare ornamentum, & Epiphanius alter celebres eccleſiaſtici ſcriptores florent.

S. Burcardus epiſcopus Herbipolitanus, S. Amandus epiſcopus vltraiectenſis. S. Othmarus Abbas, ſancti Galli diſcipulus, ſanctarum virtutum laude clari habentur.

Hæreſes.

LEo Iſauricus cum ſuperare Saracenos non poſſet, in venerabiles Chriſti, Mariæ, & Diuorum imagines debacchatur, ſimulq; ciues indignè id ferentes, capite, aut membris mutilat. *Paul. Diac. Blond. lib.*10.

Arrianos in Hiſpania repullulantes extirpat penitus Alfonſus rex ob id Catholicus dictus, *Tarapha de Hiſpan. regibus.*

CAP. XXX. CONSTANTINVS *Imperator.*

Anno 741.

CONSTANTINVS cognomento Copronymus 19 Iunij mortuo patri Leoni, cum quo iam imperauerat, ſuccedit, malo coruo malum ouum, ſacrum fontem dum baptizatur ventris ſolutione conſpurcauit, inſulas minutulas recepit, bis militem naufragio perdidit, cohortem nobilium, & equites contra Bulgaros amiſit, in Conſtantinopolim bis abſumptam peſte coloniam ex peregrinis quibusq; duxit; miſerè multis morbis, præcipuè elephãtia afflictus periit, imperauit poſt patrẽ annos XXXV. menſes III.

In Gallia regnum init anno 742. Hildericus Stupidus Faramundanæ ſtirpis poſtremus; eo enim nono regni anno ad monaſteriũ redacto, principum electione cum pontificis ſummi Zachariæ cõſenſu Pipinus Breuis, Caroli Martelli F. anno 751. rex videlicet non natus, ſed electus: deinde anno 769. Carolus Magnus.

Hiſpaniæ regnum, quod Chriſtianis inter Mauros reliquum erat, admi

adminiſtrat adhuc Alfonſus Catholicus;deinde anno 756.Troila à fratre ſucceſſore interfectus:tũ anno 767.Aurelius;tũ ann.774.Silo.

Lombardiæ rex eſt Luitprandus adhuc:deinde anno 743. Hildebrandus;tum eodem anno Rachis: tum anno 749. Aiſtulſus; tum anno 756.Deſiderius poſtremus,àCarolo magno regno exutus.

In Anglia regnat Ino. deinde Offa alter: in Northumbria Alredus, tum Oſualdus.

Italiæ vrbes Roma,& Rauenna cum aliis ab imperatore deſtitutæ accerſunt Pipinum contra Aiſtulphum; deinde Carolum Magnũ contra Deſideriũ Longobardos, à quibus reges Longobardi victi,& deleti ſunt,cum regnaſſent annos in Italia 204.

Hunni eruptione noua in Pannoniam inuadunt, quorum ſeptẽ principes in Tranſſyluania conſedêre.

Turcæ inter Perſas ſe commiſcent, Saracenorum principatum illic ad Perſas trãsferũt,ſub quibus aucti ſunt & numero,& viribus.

De Eccleſia Chriſti.

92 Zacharias.

ZACHARIAS Græcus, Pont. maxi. anno 441. Chriſtum magiſtrum virtutibus imitari quàm maximè ſtuduit, valde ab autoribus commendatus. Præfuit annos X.menſes III.dies XVI. *Plat.Blond. lib.10. AEmyl. lib.2.*

Eccleſia Orientis vehementer affligitur à Copronymo, qui inſuper Saracenum principem ad perſecutionem Chriſtianorum ex pacto impellit.*Diacon.Blondus lib.1.decadis 2.*

Iohannes Hiſpalenſis ſacræ ſcripturæ libros in Arabicã linguam transfert,in vſum Chriſtianorum ſub Saracenis agentium. *Genebrard.in chronographia.*

93 Stephanus II.

STEPHANVS II. Romanus Pont.max.anno 752.Præfuit dies IV.

94 Stephanus III.

STEPHANVS III. Romanus, Pont. Max. anno 752. pius, prudens, conſtans in aduerſis, in Galliam proficiſcēs à Pipino magno honore excipitur; Præeſt annos V. menſem I. à Blondo Gregorius appellatus lib.10. *Aemyl.2. Plat.*

95 Paulus.

PAVLVS Romanus, Pont. Max. anno 757. doctrina, induſtria, bonitate admirabilis, omnia ipſe, nihil per alios adminiſtrabat. Præfuit annos X. menſes I. *Platina.*

Sacri hymni, & cantica in eccleſia Pipinus curat ad Romanum ritum perſoluantur. *Sigeb. in chron.*

96 Stephanus IV.

STEPHANVS IV. Siculus, cum diu cathedra vacaſſet, Pont. Max. anno 768. ſynodum contra antipapas, & hæreticos congregat, ſublatis controuerſiis, ſupplicationes ipſe frequentando nudis pedibus incedit. Præeſt annos III. menſes V. dies XXVIII. *Plat. Volaterran.*

Paulus Varnefridus Diaconus Aquilegiēſis regum Longobardorum hiſtoricus, Alcuinus, aliàs Flaccus Albinus Caroli magni pædagogus, & Vſuardus florent.

97 Adrianus.

ADRIANVS Romanus. Pont. Max. anno 772. doctrina, vitæ puritate, conſilio pollens, Italiam à diutina bellorum calamitate pacauit, Carolum Magnum ad imperium promouit, haud dubiè tantus vir à Deo excitatus, vt peſſimè rebus Orientis affectis, res Occidentis, & componeret, & reſtauraret. Præfuit annos XXIII. menſes X. dies XVII. *Plat. Aemyl. Blond. libr. 1. decad. 2. Polydor. Virgil. hiſtor. Angliæ. Onuphr. in Platinam.*

Hæreſes.

COpronymus imper. non Chriſtianus, non Iudæus, non paganus, ſed per omnia impius, & cui inſanire imperare eſſet, hæreſes

reſes egregiè prouehit, ſacras imagines demolitur, paſſim in Catholicos ſæuit, templa, & ſacra prophanat, magicam exercet, vt plus Chriſtiano orbi, quàm hoſtis obfuerit. *Sigeb. Geneb. ex Zonara. Blondus lib.* 1. *dec.* 2.

Monothelitæ ab Alexandrino patriarcha Coſma erroris conuicti, ad veritatem adducuntur. *Paul. Diacon.*

CAP. XXXI. LEO *IV. Imperator.* *Anno* 775.

LEo Porphyrogenitus Copronymi filius, & imitator, patre 14. Septemb. mortuo imperium adit, contra Arabes pugnat, diadema ingentis precij è S. Sophiæ templo ſublatum capiti imponit, quo facto febre correptus interiit, cum imperaſſet annos V. minus dies IV.

Reges iidem qui ſupra regnant.

De Eccleſia Chriſti.

SAxones ſæpe à Carolo Magno victi, verbo Dei, armis, oſtentis, & ſignis cœlitus collucentibus, vix ab idolis deterrentur, ac perſiſtente in erroribus maiore parte; cæteri qui pacem, & ſalutem à Deo expetebant, Romam profecti, ſedes in Vaticano à pontifice Adriano acceperunt. *A Emyl. lib.* 2. *Sigeb. in chron.*

Hæreſes.

IAcobitarum ſecta è Syria in Thraciam traducitur; imagines ſacræ expugnantur ſtudio, & opera Leonis imperatoris.

CAP. XXXII. CONSTANTINVS *VI. Imperator.* *&* IRENE *Auguſta.* *Anno* 780.

CONSTANTINVS VI. mortuo Leone patre VII. Septemb. cum Irene Auguſta matre; muliere vna omnium prudentiſſima, & generoſiſſima, imperat annos X. qua tum in ordinem re-

dacta ſolus imperat annos VII. multa interim tyrannicè auſus; ea verò à ciuibus reſtituta abdicare ipſe cogitur, ac detruſus in carcerem, oculis erutis perit; illa imperat porrò annos V. menſes II. dies XVI. Imperio autem Arabibus tributario facto, expellitur ipſa poſtremò à Nicephoro ſucceſſore.

In Gallia regnat adhuc Carolus Magnus.

In Hiſpania Siloni ſuccedit anno 783. Mauregatus: tum anno 789. Veremundus: tum anno 791. Alfonſus Caſtus II.

In Anglia ſuccedit Offæ Egfredus; tùm Genulfus. In Northumbria regnat Adelredus.

Saracenorum Amyras eſt Mady, vel Muhamat, deinde Moyſes, tum Aaron, quorũ ductu Aſiam, Armeniam, & Cyprum incurſant.

De *Eccleſia Chriſti.*

CONCILIVM Nicænum II. ſacroſanctum, œcumenicum celebratum eſt anno 789. ab epiſcopis trecentis quinquaginta; Irene Auguſta id flagitante, præſentibus duobus archipresbyteris ab Adriano pontifice delegatis. Actum in eo potiſſimum eſt, de ſanctorum imaginibus pro maiorum more piè in eccleſia habendis, cũ qui antè illas impenditur honor, non in illas, ſed ad prothotypon Chriſti, vel beatorum maximè tendat; atque dum in eas viſus intendit, animus rectà ad Deum inuiſibilem ſublimis feratur, vt ipſum in ſpiritu, & veritate adoret. *Concil. Nicen.* II. *Blond. libr.* 1. *dec.* 2. *Palmer. in chron.*

98
Leo III.

LEO III. Romanus, Pont. max. anno 796. quem ſapientem, doctum, diſertum, manſuetum, magnanimum autores tradunt, plebem Dei indefeſſo labore docuit, presbyteros ad vitæ puritatem, & Chriſtianæ honeſtatis exemplum reuocauit, ac laceratus ab inuidis aliquando toto corpore, oculis, & lingua diuinitus incolumitati reſtitutus eſt; Carolum Magnum Occidentis imperatorem inaugurauit. Ei imperitè nonnulli thurificationem, & thymiamatis vſum ad altare inſtitutum tribuunt, quæ tempore apoſtolorum iam erant, vt Canones apoſtolorum, & Dionyſius

ſius fidem faciunt. Præfuit annos XX. menſes V. dies XVIII. *Bonfin.lib.9.Blond.11.Sigebert.Antonin.hiſt.Plat.*

Vngari ante Hunni, victi à Carolo ad Chriſtum regem cœleſtẽ, & ſaluatorem agnoſcendum compelluntur. *Bonfin.lib.9.decad.1. Vngaricarum rerum.*

Hæreſes.

FEliciani à Felice Vrgelitano, binas in Chriſto perſonas, eumq; Dei filium adoptiuum fingunt; autor in ſynodo Francofordienſi damnatus, Romæ apud pontificem palinodiam canit. *Sigebert.Annal.Franc.*

CHRONICORVM LIBER VIII. DE AETATE CHRISTIANA.

Sub Imperatoribus Romanorum Germanis.

Proœmium.

QVOD propheta quondam Ahias Silonites regnum Iſraëlitarum maiore ex parte Roboam regi ademptũ, diuina fultus autoritate, principi Ieroboam contradidit; hoc ipſum de Romano quoque imperio videmus eueniſſe; cum à Græcis per Leonem ſummum Dei altiſſimi ſacerdotem ad Carolum Francorum principem, vnũ rebus omninò magnis adminiſtrandis natum, diuina diſpoſitione translatum eſt, Quæ quidem tanti rerum faſtigij translatio, permutatioq; non à ſacra ſolum poteſtate initium, ac firmitatem ſumpſit, verumetiam legitimo imperij iure, ſi penitus inſpiciatur, fuit perfecta, quantumvis fruſtra nonnulli autores obſtrepent: licuit profectò ſuperioribus principibus imperij gubernandi ſedem in Orientem tranferre; alienum igitur non fuerit eandem Occidenti reſtituiſſe. Veſpaſianus, aliiq; imperatores creati ſunt ob vendicatam ſibi vi, & armis ſupremam Romanorum poteſtatem; eripuit verò Carolus rem, ſedem, vrbem ipſam originem imperij Romanorum è Longobardorum feroci, longaq; vaſtatione, & quod immortali gloria dignum cenſetur, calcata ambitione, libertati aſſertam.

tam, imperatori cœlorum conſecratam, eccleſiæ poſſeſſioni trophæum admirabile, ſanctumq́; dicauit; conſecuta ipſum nihilominus clariſſima imperij gloria. Fuêre non pauci imperatores facti, militum ſtudio, & acclamatione; denunciarunt Carolum Romanorum imperatorem, non modo Leo Pontifex, aut milites Romani, ſed ciues omnes, quorum tum ad tria millia curiam frequentabant, adeoq; ipſe S.P.Q.Romanus, & quod bonum, fauſtum, felixque eſſet, creato à Deo imperatori, coronato à Leone veterum imperatorum illo ipſo diademate hucuſq; in vrbe ſeruato, vitam, & victoriam precati ſunt. Appellati porrò ſunt Auguſti ab imperatoribus nonnulli, ab ipſis in ſortem imperij admiſſi; euenit idem Carolo, Irenes Auguſtæ Conſtantinopolitanæ, penes quam tum rerum ſumma erat, & Nicephori ſucceſſoris conſenſu, qui per legatos bipartitò imperium dirimentes, ſeruato ſibi Oriente cum Italiæ ea parte quæ nunc Neapolitanum regnum eſt, & Venetiis ſui iuris dimiſſis, Carolo Occidentem permiſerunt. Hac itaq; optima via, & ratione, atq; cœleſti benedictione adeptum imperium, multis regnis auctum, vnitum, adminiſtratumq́; feliciter Carolus poſteris contradidit, cuius ab auſpiciis hucuſque per Germanos principes eſt perpetuò propagatum.

CAP. I. CAROLVS MAGNVS *Imperator.*
Anno Chriſtiano 800.

CAROLVS Magnus Pipini Francorum regis filius Ingelheym in Palatinatu ad Rhenum natus, rerum geſtarum magnitudine, felicitate, fortitudine, pietate clariſſimus, primùm rex Francorum, deinde imperator Romanorum, Saxones tricennali bello ſubegit, Deſiderium regem in Italia vicit, & cum eo Longobardorum regnum deleuit; Aquitaniam, Vaſconiam, Normanniam, Britanniam, Galliamq́; vniuerſam expugnauit; præter Saxones etiam Veſtphaliam, Friſiam, Bauariam, & per gyrum Germaniam in ditionem redegit; Bohemorum regem debellauit, Vngaris ſubactis regem dedit, Sclauones fregit, regem Daniæ, terra, mariq́; oppugnatum regno exuit, Angliam in fidem accepit, Saracenos ex Hiſpa-

nia propulſauit, ad Corſicam, Sardiniam, Maioricam inſulas, & maritimas ciuitates eoſdem infeſtauit; legatos Perſarum, Saracenorū ex Aſia; regum Barbariæ, & Mauritaniæ ex Africa; adhæc ex Sicilia, Dalmatia, Hiſpania, Ieruſalem, Venetiarum, & imperatoris Cōſtātinopolitani ampliſſimis cum muneribus miſſos audiuit, Ingraueſcente ætate ad tranquillitatem ſe recipiens multa pro Chriſtiana religione piè fecit, ſacras literas, & B. Auguſtini libros frequenter legit; Græcè, & Latinè doctus, menſibus, & ventis Germanica nomina, quæ retinemus, indidit; vxor, lingua, veſtis ei Germanica fuit, regia plerumque Aquiſgranum, vbi & ſanctè diem obiit; corpore procero fuit, & cùm membrorum elegantia, tùm vultus ſerenitate ad maieſtatem per ſe compoſito; vixit annos duos, & ſeptuaginta, apud Francos regnauit annos XXXII. poſtmodum imperator inauguratus Romæ ipſo glorioſi natalis Domini feſto imperauit annos XIII. menſem vnum, dies IV.

Imperator Conſtantinopoli Irene Auguſtæ ſucceſſit Nicephorus, Anno 802. Saracenis tributum penſitauit, à Bulgaris cum exercitu cæſus eſt; dein Michaël, An. 811. tum Leo V. An. 813.

Rex Angliæ eſt Egbertus celebris. anno 800.

Magnus presbyter Iohannes regnum orditur in ſuperiori India ad quem profectus traditur Ogerus Daniæ dux.

Saraceni bellum mouent in Natolia, Aſiæ minoris, in Cypro, Cappadocia, Galatia, & aliis locis, ſeipſos in varia regna diſpeſcunt, ac mutuò oppugnant.

De Eccleſia Chriſti.

CArolus Imperator velut alter Ioſaphat, multa pro eccleſiæ prouectione ſuſcepit, ſedente in Petri cathedra Leone: infideles quotquot armis fregerat, ad amplectendam tandem ſalutarem Chriſti Domini doctrinam adegit: Concilia epiſcoporum prouincialia haberi plura curauit; epiſcopales eccleſias plures, & monaſteria erexit; in eccleſia pro choro ipſe cum Dei ſacerdotibus ſacras odas pſallere ſolitus fuit; Ieroſolymam de Saracenorum poteſtate liberauit; libros eccleſiaſticos perutiles à viris doctis conſcribi mandauit, & ſimilia multa. *Paulus AEmyl. lib. 2. & 3. Sigebert. Genebrard. Bonfin. lib. 9. Krantzius.*

Fides

Fides Chriſtiana promulgatur Caroli ductu Sclauis Norduitis, Bardauis ad Albim; Sarmatis, Dacis, Metanaſtis, Iazygis, hoc eſt Tranſyluanis, Seruis; adhaec in Dania, Gothlandia, Suedia, & Germania ad mare Balthicum. *Iidem autores.*

Sacra biblia latina ab Alcuino Caroli quondam paedagogo, & Hittone epiſcopo Friſingenſi emendata, martyrologium ab Vſuardo, hiſtoria vitae ſanctorum à Paulo Diacono, Homiliae doctorum in euangelia Dominicalia ab aliis concinnata ſunt iuſſu Caroli. *Krantzius, Bergomenſis, faſciculus temporum &c.*

Academiae, & ſcholae ſacrae Theologiae à Carolo excitantur Pariſienſis, Oſnaburgenſis, Patauienſis, & quae à Theodoſio incepta fuerat Bononienſis. *Iidem.*

Haereſes.

HAlcyonia & quies haereſum à Caroli Magni aetate per ducentos quinquaginta annos ſequuntur; quo tempore, & veterum haereſum inualidae amplius vires fuêre, & nouae nullae, aut ſaltem perrarae exortae ſunt, eaeque nullo penè plebium ſatellitio ſtipatae.

CAP. II. LVDOVICVS *Imperator.*

Anno 814.

LVDOVICVS Pius ſuccedit patri Carolo 28. Ianuarij in coelos aſſumpto, inter quem, & Pontificem actum, quae Italiae regiones imperij, quae eccleſiae ditioni cederent, captus à filio Lothario, ab altero filio Ludouico liberatus eſt: imperauit annos XXVI. menſ. IV. dies XXIV.

Imperator Orientis eſt poſt Leonem anno 820. Michaël Balbus: tum anno 829. Theophilus.

Galliae, quae pars imperij Occidentis erat, imperator praeeſt.

In Hiſpania regnat poſt Alfonſum II. anno 824. Ramirus: deinde anno 831. Ordonius.

Angliam Egbertus rex ad monarchiam redigit: cum plures hactenus in ea regna fuiſſent, ipſe vnus praefuit pluribus.

Normannorum excurſiones incipiunt; infeſtant primùm Galliam per multos annos ab anno 837.

Saracenorum Amyras poſt Aaronem, eſt Muhamad, deinde Habdallas, tum Muhamad: inuadunt verò Italiam, Vaticanum vrbis Romæ partem diripiunt, Siciliam occupant.

De Eccleſia Chriſti.

99 Stephanus. V.

STEPHANVS V. Romanus Pont. maxi. anno 816. Ludouicum Aquiſgrani coronauit, ſanctus, & doctus. Præfuit menſes IV. dies XXIII. *Iohan. Tilius Platina.*

100 Paſchalis.

PASCHALIS, Romanus, Pont. max. anno 817. pietate & beneficentia ornatus, præeſt annos VII. menſ. III. dies XIII. *Volater.*

S. Hildegrinus Halberſtatenſis, S. Ludgerius Monaſterienſis, S. Guntherius Hildeſemenſis, & poſtea Ratiſponenſis primi epiſcopi, ſanctitate commendati; vt etiam S. Fridericus Vltraiectenſis epiſcopus, & martyr florent.

101 Eugenius II.

EVGENIVS II. Romanus Pont. max. anno 824. pater pauperum, ſanctus, eruditus, facundus, principes ad concordiam, & ad bellum potius infidelibus inferendum hortatus eſt. Præfuit annos III. menſes VI. dies XXIV. *Plat. de vita Pontificum.*

102 Valentinus.

VALENTINVS Romanus, Pont. max. anno 827. eſt menſem vnum, dies X.

103 Grego-rius.IV.

GREGORIVS IV. Romanus, Pont. maxi. anno 828. interfuit ſynodo Aquiſgranenſi, vbi inter alia ſancitum eſt, presbyteros & epiſcopos ſerica veſte vti non oportere. Præfuit annos XVI. *Plat. Naucler. in chron.*

Hareſes.

MAnichæorum noua deliria à Paulicianis conſuta ſunt ex diuerſis Chriſtianorum, Iudæorum, & paganorum dogmatis per Phrygiam in Aſia. *Genebrard.*

CAP. III. LOTHARIVS *Imperator.*
Anno 840.

LOTHARIVS XX. Iunij patri Ludouico ſuccedens, imperat annos XV. menſes III. dies X.

Imperium Occidentis diſcerpitur in plura regna, bello ciuili inter fratres imperatoris orto, quo Francorum quoque vires ad internecionem ferè attritæ ſunt. Imperatori ceſſerunt regna Italiæ, Prouinciæ, & Auſtraſiæ Francorum priſtinæ ſedis: Ludouico fratri Germania; Carolo Caluo Gallia, mox imperator monaſticæ ſe dedens vitæ, imperium porrò diſtribuit filiis, ac tradidit Ludouico imperium in Italia, Carolo Prouinciam Narbonenſis Galliæ, Lothario Auſtraſiam cuius pars ab ipſo deinceps appellata eſt Lotharingia; Auſtraſiam enim cùm latitudine trans, & cis Rhenum, tum longitudine ſecundum flumen latius patuiſſe hiſtoriæ indicant.

Imperatori Theophilo in Oriente ſuccedit anno 844. Michaël III. cum Theodora matre Auguſta.

In Hiſpania regnat ab anno 841. Alfonſus Magnus.

In Anglia ab anno 836. Edeluolſus.

Saracenorum Amyras eſt adhuc Muhamad; inſulas Liparam, & Cyclades infeſtant, Chriſtianos plurimos abducunt in ſeruitutem.

De Eccleſia Chriſti.

104 Sergius. II.

SERGIVS II. Romanus, pont. maxi. anno 844. quem primum nomen mutaſſe, Oſporcium ante appellatum, falsò ferunt; quum Sergio nomen illi primæuum fuerit, vt ex Anaſtaſio bibliothecario conſtat; Præfuit annos III, menſes II. dies III. *Onuphrius in Platinam.*

105 Leo IV.

LEO IV. Romanus, Pont. max. anno 847. ſingularis fidei, gratiæ, & ſapientiæ, Saracenos ab Italiæ ora propulſauit, Vaticanum vrbis Romæ partem, vbi Baſilica S. Petri apoſtoli eſt, muro cinxit; ſerpentem baſiliſcum precatione ad Deum emiſſa fugauit, plura piè decreuit; Præfuit annos VIII. menſes III. dies VI. *Volaterr. Plat.*

Amalarius Treuerenſis, Haymo Halberſtatenſis, Freculphus Lexouienſis, Rabanus Moguntinus epiſcopi, Hilduinus, Anſegiſus, Theodulphus proſarum autor, abbates; Strabus Fuldenſis, gloſſæ ordinariæ autor, viri doctiſſimi florent.

Hæreſes.

GOdeſchalcus Belga de prædeſtinatione erronea dictat, confutatur à Rabano Moguntino præſule. *Sigebert.*

Nicolaitæ nonnulli ab orco redeunt, excepti leui ſucceſſu, *Genebrard.*

CAP. IV. LVDOVICVS II. *Imperator.*

Anno 855.

LVDOVICVS II. Lothario 29. Septembris mortuo ſuccedens Saracenos ex Italia profligauit, ducem Beneuentanum ad Græcos deficientem prælio fudit; imperauit annos XIX. menſes X.

Imperator Græcus adhuc eſt Michaël III. cui ſuccedit anno 868. Baſilius.

Regnat in Gallia adhuc Carolus, vt & in Hiſpania Alfonſus.

In Anglia regnat ab anno 856, Edelbaldus; tum anno eodem Edel,

delbertus: tum anno 862. Edelredus: tum anno 871. Alfredus.

In Scotia regnat anno 855. Donaldus; tum anno 861. Conſtantinus.

Duces ſunt Saxoniæ Ludolphus; Sueuiæ Vighardus, & Rupertus; Poloniæ Semouitius, à quo Polonorum, & Sleſiorum principes deſcendiſſe perhibent.

Comites primi Hollandiæ Theodoricus; Flandriæ Baldauinus à Caluo nominantur.

Germanica lingua, tum barbara Theutonica, primùm cępta eſt ad Grammaticę regulas redigi, & ſcribi charactere latinum imitãte per Otfridum monachum Viſenburgēſem Benedictinum; id quod iam Carolus Magnus tentaſſe videbatur: quamquàm ex commentariis Cæſaris conſtat hanc linguam illius iam ætate ſcribi conſueuiſſe, repertis ab ipſo tabulis quibus militum ratio nominatim cō fecta erat, ſed literis Græcis. Ex Trithemio & Cæſ. lib. 1. commentar:

De Eccleſia Chriſti.

106 Benedictus III.

BENEDICTVS III. Romanus, pont. max. anno 855. coactus ſubit illud munus, præeſt annos II. menſes V. dies XVI.

Fabulam de Iohanne octauo, quam vulgus hæreticorum paſſim occinit, vt leuiorem, quàm quæ in hiſtoriæ ſeriem referatur meritò explodunt viri quique docti, & graues; quid enim fide dignum habeat, cui nec de temporum, nec locorum ratione vllo modo conuenit? Scripſerãt ab hoc tempore, quo vixiſſe ille fingitur, hiſtorici celebres decem, quorum cum ne vnus quidem meminiſſet eius; ac immediatè Benedictum omnes ſubiunxiſſent Leoni, inter quos ille locum habuiſſe dicitur; venit poſt annos quadringentos ſexaginta Martinus Polonus, qui rumuſculo vano, leuiq; credulus, Iohannem iſtum demum inuexit, neque ipſe tamen certus, ſed vt fatetur, famam vnam ſecutus: & erit quiſquàm tam leuis, qui id propterea credat? ſed quàm belle autores cum ſequuti conſentiunt?

ſentiunt? Anglum hic aſſerit; Moguntinum ille: Athenis inquiunt, in philoſophia diu floruit, cum Athenæ à multis annis iam à muſis deſertæ, & profunda barbarie ſepultæ eſſent; deinde Romæ cum biennio docuiſſet, Pontificatum adeptus eſt, aiunt; cum ſacræ Romanæ eccleſiæ ſupremam illam dignitatem, nemo niſi à iuuentute per ſingulos ordinum gradus prouectus conſequeretur: cætera nō ocioſa modo, ſed planè friuola ſunt, & quæ firmiſſimis argumentis ab Onuphrio, Genebrardo, & Bellarmino, vt craſſiſſimum mendaciū refutantur. Nā quod Sigeberti, & Mariani Scoti autoritatem quidā adferunt, ab iiſdem auctoribus rectè vt mēdoſum reiicitur; quando qui adhuc habentur vetuſti illorum codices manuſcripti, alij nihil de iſto Iohanne prorſus habent, alij habent quidem, ſed ad marginem adſcriptum, idque recentiore, & diuerſa manu; vnde planum fit Sigeberto, & Mariano, illorumq; notariis Ioannem iſtū ne auditum quidem fuiſſe, ac demum à poſteris inſertum: & reperit Onuphrius partim Romæ, partim aliis per Italiam locis ſeptem perVetuſtos indices Pontificum, quorum ne vnus quidem phantaſmatis iſtius meminerit; ſed omnes Leoni 4 Benedictum 3 ſubſtituant immediatè. Quin Platina ipſe, licet fabulam hanc deſcripſerit ex leui fama, vt ipſemet indicat, fidem tamen ei non adhibuit; ac diſertis verbis poſtea ſcripſit, non Iohannem quenquam, ſed Benedictum Leoni ſucceſſiſſe; cuius hæc ſunt verba: Benedictus tertius, ait, meritò Benedictus appellatus eſt ob vitæ ſanctitatem, & rerum diuinarum gratiam: Sub Gregorio enim militans, cum ab eo ſubdiaconatus ordinem accepiſſet, ita deinceps vixit, vt mortuo Leone, vnus Benedictus tanti pontificis dignus ſucceſſor haberetur; ad hunc itaq; concurrentes omnes tanquam ad vnicum, & benigniſſimum ſidus à Deo in terras miſſum, eum pontificem decernunt; qui flens, ac Deum, & ſanctos teſtes faciēs, ſe nequaquam dignum eſſe, qui tantæ ſedi præficeretur, dicebat: acclamantibus itaq; omnibus, in atrium Lateranenſe perducitur, & in ſede Petri collocatur; inde ieiuniis triduo, & orationibus vacauit, Deum rogans, vt ſibi liceret ſanctè, & integrè eccleſiam ſuam gubernare. Hæc Platina. Indignum itaque Chriſtianis hominibus eſt, tam impiæ fabulæ

aures,

aures, aut fidem præbere, quando Iohannes huiuſmodi non ſolum Papa non fuit, ſed ne in rerum natura quidem vnquam extitit.

107 Nicolaus.

NICOLAVS Magnus Romanus, pont. maxim. anno 858. ſapientia, eloquentia, autoritate, doctrina, ſanctitate excellens, inuitus creatur; cum enim ieiuniis, vigiliis, & orationibus quique inſtarent, vt talem à Deo conſequerentur pontificem, qualem amiſerāt; in baſilica S. Dionyſij Nicolaum abſentem pontificem creant; fugientem verò in Vaticanum, in atrium Lateranenſe perduxerunt, & nolentem etiam in ſolio apoſtolico collocarunt; deinde in baſilica B. Petri cōſecratus, ſumpta de more pontificia corona, multa cum Imperatore tum præſente egit. Bulgaros miſſis viris doctis piisq; ad Chriſtum ſaluatorem vocauit; multa in Aſia, & Africa per epiſtolas ſalutariter docuit: Patriarcham Conſtantinopolitanum Ignatium contra vim à Barſa Cæſare illatam, tutatus eſt; in præfractos, & tyrannos gladio verbi Dei vtebatur, in humiles humilis ipſe, & manſuetus erat; in rebus diuinis, vt ſincerus, ita ardens, & zelo Dei totus ſuccenſus. Præfuit annos IX. menſes VI. dies XX. *Plat. Rhegino.*

Eremus Heluetiorum à S. Menrado inhabitari, & pietate illuſtrari cæpta eſt; deinde à S. Benedicto, & S. Eberhardo: nunc locus cœnobio, & D. Virginis ſanctiſſimo ſacello, multisq; per Dei gratiam miraculis illuſtris toto orbe effectus, ab exteris nunquam non frequentatur. *hiſtor. de Einſidlen.*

Bulgaria, in qua religionis ſolitudo per gentium migrationes acciderat, Euangelij lucem iterum accepit, vltimis Nicolai annis; ritus tamen ob vicinitatem à Græcis mutuata. *Rhegino. Plat.*

Theophylactus doctor ſingulari rerum diuinarum ſcientia pollens, primus Bulgarorum epiſcopus floret, diligentiſſimus Chryſoſtomi imitator.

Scholæ Græcorum Conſtantinopoli inſtaurantur à Barſa principe. *Genebrard. ex Zonara.*

108 Adrianus II.

ADRIANVS II. Romanus, pont. max. anno 867. miraculis, & diuino amore clarus. Præfuit annos IV. menſes XI. dies XII. *Plat.*

Concilium Conſtantinopolitanum IV. ſacroſanctum, œcumenicum habitum eſt anno 869. ab epiſcopis trecentis, præſidentibus Donato epiſcopo Hoſtienſi, Stephano epiſcopo Nepenenſi, & Marino Romano diacono, à Pontifice delegatis; vbi gliſcenti Græcorum ſchiſmati obuiam itum eſt, Photius patriarcha gradu motus, & Iconomachi anathemate expuncti. *Onuphr. in Plat.*

109 Iohannes VIII.

IOHANNES VIII. Romanus, pont. maxim. anno 872. tres ordine imperatores, & regem Francum coronauit, præfuit annos X. dies II. *Sigebert.*

Moſchouitæ, & Ruſſi de fide, & doctrina Chriſtiana primùm imbuuntur. *Merman. in theatro.*

Hæreſes.

Græcorum ſchiſma erumpit, factione Photij patriarchæ Conſtantinopolitani à Barſa principe in ſedem Ignatij orthodoxi intruſi; qui cum flecti Nicolaum Pontificem Romanum in ſuas partes deſperaret, ſimul, & ſedem Apoſtolicam, & Spiritus ſancti ab vtroque Patre, & Filio proceſſionem ſcriptis palàm oppugnare cœpit; atque quò maiore autoritate agere videretur, per ſynodum epiſcoporum iſta confirmare tentauit: verùm ſequuta mox vniuerſalis ſynodus, Græcos in officio, & veritate continuit. *tomi Concil. liber Pontif. Genebrard. ex Zonara.*

CAP. V. CAROLVS *II. Imperator.*

Anno 875.

CAROLVS Caluus rex Galliæ Lotharij ſuperioris frater, mortuo

tuo Ludouico initio menſis Auguſti, imperat annos II. menſes II. Saraceni Cretam inſulam diripiunt, Italiam inuadunt.

CAP. VI. LVDOVICVS *III. Imperator.*
Anno 877.

LVDOVICVS III. Balbus rex Galliæ, mortuo Carolo, 6. octobris, ordine ſuccedens, & coronatus imperat annum I. menſes VI. dies V.

CAP. VII. CAROLVS *III. Imperator.*
Anno 879.

CAROLVS Craſſus Ludouici Germaniæ regis filius XI. April. mortuo Ludouico Balbo imperium ſuſcipit, Saracenos ex Italia profligat, vbi coronatus, Normannos in Gallia cædit, & Galliam imperio iterum ſubdit; imperat annos VIII. menſes VII.

Carolus primus cœpit annos à Chriſto nato in ſubſcriptionibus diplomatum numerare, cum hactenus conſuetum eſſet, aut ab vrbe Roma condita, aut per conſulum faſtos, aut ſecundum annos imperatorum, aut ab Aera Auguſti, vel Diocletiani, aut, vt antiquitus, per Olympiades conſignare annorum notationem; quod etiã in eccleſiaſticis rebus introduxerat longè ante Dionyſius Abbas Romanus.

Sub his Auguſtis adhuc imperat Græcis Baſilius; deinde Leo an. 885. reges verò ſunt in Gallia ijdem imperatores; in Hiſpania Alphonſus adhuc, in Anglia Alfredus.

Normannis, qui ex Dania venerant, in Gallia eſt Neuſtria regio conceſſa, quę deinde ab ipſis denominata eſt Normandia.

De Eccleſia Chriſti.

TErtium malum poſt perſecutiones, hæreſeſq; eccleſiam Chriſti peruadit, lues interna, ſcandalorum prurigo, quæ paſtores eccleſiæ corripuit; quæ quanquam doctrinæ, & fidei ſinceritatem minimè vitiet, tamen charitatem admodum labefactat, & reſtinguit, imbecillos alienat, malos euertit, probos mœrore afficit, au-

tores verò ſempiterna perniciè, & lamentatione inuoluit; prædi cta itidem à Rectore noſtro Chriſto; atque ita quidem vt veritatis religio, & profeſſio ob eam deſeri minimè debeat; omnia enim inquit, quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere; Normam enim benè, beateq; viuendi eam in ſe Chriſtus expreſſit, quæ vna omnibus ad imitandum perpetuò ſufficiat. *Matth.* 18. *&* 23.

110 Marinus. II.

MARINVS, quem Martinum II. dicunt, Hetruſcus, anno 882. pont. maxi. factus eſt dolo malo; præfuit per annum I. menſ. I.

111 Adrianus III.

ADRIANVS III. Romanus, pont. maxi. prius Agapetus vocatus anno 884. præeſt annum I. menſes III. dies XIX.

Vilhelmus dux Aquitaniæ, & Auerniæ ſpiritualem vitam pompæ mundi potiorem eligens, cœnobiũ Cluniarenſe excitat. *Platin.*

112 Stephanus. VI

STEPHANVS VI. Romanus, antea Baſilius dictus, Pont. max. anno 885. prçeſt annos VI. dies IX.

Valafredus Strabo Abbas S. Galli apud Heluetios; Remigius Altiſiodorenſis; Anaſtaſius bibliothecarius Romanus, præclari eruditione viri clarent, vt & Mahometes, Albategnius Arabs Mathematicus.

CAP. VIII. ARNOLPHVS *Imperator.*
Anno 887.

ARNOLPHVS Carolomanni filius, Carolo patruo abdicante X. Nouembris Imperator ſuccedit, aliis Berengarium, aliis Guidonem Italos duces ſubſtituentibus; bis cum exercitu in Italiam venit; à Morauis preſſus, Vngaros in Germaniam exciuit, Normannos paganos penè deleuit; occiſis vno prælio centum millibus, deſideratis ex ſuis non niſi duobus aut tribus, pugnante contra infideles Domini brachio; poſtremò à virtutis via deſciſcens iniurius cùm in ſuos, tùm in epiſcopos factus, etiam templa ſpoliauit; pediculari demum morbo abſumptus, à Deo vltore è viuis vocatus eſt; imperauit annos XII. menſes I. dies XIX.

Imperator Græcorum adhuc eſt Leo VI. philoſophus.

In Gallia regnat Odo dux Andenſis, anno 887. cui ſuccedit anno 900. Carolus ſimplex.

In Hiſpania regnat anno 887. Garſias: deinde anno 890. Ordonius II. tum anno 898. Froila II.

In Anglia adhuc Alfredus; vt in Scothia Donaldus.

Italiæ nouum regnũ inchoatum à Berengario ſtetit contra imperatores Germanos octoginta annos.

In Burgundia Rodolphus dux regnum quoq; nouum excitat.

Excurſiones fiunt variæ populorum; nam poſt vaſtatam à Normannis Galliam, Burgundiam, Lotharingiam, & Vormatiam per annos ſeptuaginta, Morauí Pannonias populantur, templa vno excepto, omnia euertunt, indè Pannonij, Vngari dicti ex Pannonia erumpunt in Germaniam.

De Eccleſia Chriſti.

113 Formoſus.

FORMOSVS Portuenſis, pont. maxim. anno 891. primus ex aliûs eccleſiæ epiſcopo factus. Præeſt annos IV. menſes VI. dies XVIII. *Onuph.*

114 Bonifacius VI.

BONIFACIVS VI. Romanus, Pont. max. anno 895. Præeſt dies XV.

115 Stephanus VII.

STEPHANVS VII. Romanus, Pont. max. anno 896. Formoſi acta reſcindit quidem, ſed tantum abeſt, vt eius cadauer effodi iuſſerit, atque in Tyberim abiici, quod Martinus Polonus ſuo more nimium leuiter narrat, vt falſiſſimum Onuphrius conuincat: præeſt annum I. menſes II. dies XIX. *Onuphr. de vitis Pontificum.*

116 Romanus.

ROMANVS Etruſcus, Pont. max. anno 897. Stephani acta improbauit. Præfuit menſes IV. dies XXIII.

117 Theodorus II.

THEODORVS Iunior II. Romanus, pont. max. anno 897. præeſt dies XX.

118 Iohannes IX.

IOHANNES IX. Tiburtinus, pont. maxi. anno 897. Præeſt annos II. dies XV.

S. Methodius Morauorum Archiepiſcopus, & S. Cyrillus Morauos, & Sclauos de ſalute æterna erudiunt; regem Morauiæ Suatocopium baptiſmo cum ſuis luſtrant; rex paulo poſt ex prælio profugus,

fugus, cum in eremitas incidiſſet, reliquum vitæ ignotus cum illis egit; moriens in hæc verba confeſſus eſt; Ego & regiam vitam,& priuatam expertus morior; nulla verò regni fortuna eſt tranquillitati eremi præferenda. *AEneas Syluius hiſt. Bohem. cap.* 13.

CAP. IX. LVDOVICVS *Imperator.*

Anno 899.

LVDOVICVS Arnolpho patri, vltimo Nouembris ſucceſſit, Vngaros impreſſionē in Germaniā faciētes primus in Bauaria fudit, mox ab ipſis cū omnibus copiis fuſus: imperauit annos XII.

Vngarorum in Germaniam,& Italiam excurſiones fiunt;qui repreſſi licet pluribus præliis,expelli diu non potuerunt; atque inter alia memorabile illud prælium totius tridui fuit, quo Germanorū in tutandis patriis laribus,& focis admirabilis conſtantia enituit;in tertium vſque diem prælio producto immotè ad pugnandum cōſiſtentium,hoſtemq; ſubmouentium; multus continuo illo triduo humanus ſanguis profuſus eſt,quem hoſtis barbarus,& ferox, quò maiorem ſui terrorem Germanis incuteret profluentem affatim ebibit; bis hoſtium immanitas in Bauariam inuolauit, deinde in Saxoniam,Thuringiam,ac ſecundùm Rhenum,Danubiumq;,tùm in Lotharingiam, Alſatiam, Rauracos, Sueuos, Alemannos,Francones; mox verſo gradu in Italiam, fruſtra obnitente Berengario; cæſum ab Vngaris eſt nullo delectu ætatis, ſexuſuè quicquid ſpiraret; direptæ opes quæcunque; vrbes,pagi,arces,Dei etiam templa, iniecto igne conflagrarunt. Cæſi tandem ſunt ab Alemannis,qui ſuperioris ſunt Germaniæ populi, & Bauaris ad flumen Oenum anno vaſtationis vndecimo, quanquam ne ex eo penitus arceri finibus potuerunt.

Imperator Græcorum Leoni ſuccedit Alexander cum patruo Conſtantino,anno 903.

Imperator Occidentalis in Italia,Ludouicus Boſonis filius, cōtra Ludouicum Francum creatus erat:regnāte in Gallia adhuc Carolo ſimplice.

In Hiſpania regnat anno 899. Alfonſus IV. deinde anno 905. Ramirus II. pulſo Alfonſo fratre. In

In Anglia regnum init anno 899. Eduardus, qui regni fines protendit.

Morauiæ regnum per impietatem regis qui erat Suatocopij filius deficit,& à vicinis populis diripitur.

Caſtiliæ primus comes in Hiſpania declaratur Ferdinandus Cõſaluus.

Saraceni,& Mauri ex Africa in Italiam traiiciunt, Calabriam populantur, rege verò apud Coſentiam ſulmine diuinitus extincto, recedunt.

De Eccleſia Dei.

119 Benedictus.IV.

BENEDICTVS IV.Romanus, pont.max.anno 899.pij,manſuetiq; animi,præfuit annos III. menſes VI.dies XV.*Plat.*

Rollo Normannorum dux cum gentilibus ſuis Chriſto Deo, & mediatori noſtro dat nomen. *Naucler. Paulus AEmylius.*

120 Leo V.

LEO V. Ardeatinus, pont. maxim. anno 903. coactus à ſucceſſore ſe abdicauit cum præfuiſſet dies XL.

121 Chriſtophorus.

CHRISTOPHORVS Romanus, pont. max. anno 903. abdicauit ſe itidem, cum præfuiſſet menſes VII.

Græca Orientis eccleſia ad hunc vſque Pontificem cum ſancta Romana eccleſia Catholica in fidei, & communionis vnitate perſtitit;quod teſtantur Nilus Græcus. *Onuphrius.Genebrard. in chronicis.*

SER-

122 Sergius. III.

SERGIVS III. Romanus, pont. maxim. anno 904. ab hoc (quod de Stephano VII. dictum eſt) exhumatum Formoſum quidam ferunt: adeò incertum mendacium neſcit quem potius feriat. Præfuit annos VII. menſes III. dies XVI.

123 Anaſtaſius III.

ANASTASIVS III. Romanus, pont. max. anno 911. Præfuit annos II. menſem I. dies XXII.

Rhegino Prumienſis Abbas, Odo Cluniacēſis Abbas, Ratbodus epiſcopus Vltraiectenſis, Radolphus Flauianus viri docti clarent.

Græci, & Hebræi hac tempeſtate literarum ſcientia latinis non inferiores erant: ſcribebat Photius Nomocanonem, rithmorum verſus vtrobique in vſu erant. *Genebrard. in chron.*

CAP. X. CONRADVS *Imperator,* *Anno* 912.

CONRADVS Caroli magnī gentis poſtremus, Ludouico patruo mēſe decembri mortuo ſuccedit, cuius à Saxonibus, quos ingrato animo armis premebat, ingentes copiæ fuſæ ſunt; imperauit annos VII. menſes VI.

Imperator Græcorum eſt Conſtantinus VIII. adhuc: in Italia Berengarius: reges adhuc iidem in alijs regnis.

Franconiæ comites ab Eberhardo fratre imperatoris deinceps deſcendunt, qui poſtea duces creantur.

Saraceni Calabriam, Apuliam, & Ducatum Beneuentanum in Italia inuadunt.

De Eccleſia Chriſti.

124
Lando.

LANDO Sabinus, pont. maxi. anno 913. præeſt menſes VI. dies XXII.

125
Iohannes X.

IOHANNES X. Rauennas, pont. maxim, anno 914. Saracenos cum copiis Græci Imperatoris, & Alberici Capuani ex Italia eiecit, hoſtibus à SS. Petro & Paulo per viſum exterritis; pręfuit annos XIV. menſes II. dies XVI. *Sigebert. in chron.*

CAP. XI. HENRICVS *Imperator.*
Anno 919.

HENRICVS Auceps Othonis Saxoniæ ducis filius, mortuo Conrado initio Iulij imperio præficitur, princeps fortitudine, ſapientia, religione nobiliſſimus, Arnoldum Bauarum ducem ab inuadendo imperio dehortatus eſt, Vngaros impreſſione in Saxoniam delatos proſtrauit; Vandalos vicit, Bohemiam, & Lotharingiam imperio reſtituit: Germaniam pacauit; filium Othonem ſucceſſorem dixit; imperauit annos XVII.

Imperator Græcorum eſt Conſtantinus adhuc.

In Italia regnat poſt Berengarium, anno *923*. Rodolfus Burgundus; deinde anno *926*. Hugo Arelatenſis.

In Gallia ſuccedit Carolo ſimplici anno *926*. Rodolſus Burgundus: tum anno *928*. Ludouicus IV. tranſmarinus, Caroli filius, qui ex Anglia rediens, paternum regnum repetit, contendente contra ipſum plures annos Rodolfo.

In Hiſpania Ramiri regnum excipit anno *924*. Ordonius III. tum anno 929. Ordonius IV. Malus cognomento: tum anno eodem Sanctius Craſſus.

In An-

In Anglia poſt Eduardum anno 924. regnat Adelſtanus: in Scotia Conſtantinus.

Palatinatus ad Rhenum à Lotharingia diremtus cedit Eberhardo comiti ex Caroli magni gente.

Marchia Brandeburgenſis Henrico primo Marchioni ab Imperatore conceditur.

Germaniæ oppida mœnibus cinguntur: Italiam vaſtant Vngari, & Genuam vrbem Saraceni.

De Eccleſia Chriſti.

DAnorum rex Cupianus, vnaq; populus qui pridem à fide deſciuerat, lymphis baptiſmalibus abluitur, & Chriſtum redemptorem agnoſcit; itidem Ziptimæus rex Bohemiæ; adhæc Abroditarum rex Normannicæ gentis, & Vandali populi accepta Magdeburgenſi ſede ad Albim fluuium; Nortuegi item populi religioſiſſimi imperatoris ductu, & auſpiciis ſancto Dei euangelio illuminantur. *Merman. Sigebert. Krantzius in metropoli.*

Henricus Auguſtus ſolebat cuſpidem lanceæ, quæ benedicti lateris Chriſti vulnere ſacrata fuit, quam à Rodolfo Burgundo conſecutus erat, prælio præferre, quo victoriæ indubitatæ vexillo hoſtem perterrebat: ſimoniacam etiam eccleſiarum inueſtituram pro viribus ſuſtulit. *Genebrard. ex Luithprando lib. 2. & 4.*

S. Albertus, alias Adelbertus primus Madeburgenſium epiſcopus; S. Bosbo in Dania; S. Volcardus in Noruegia; S. Firteſtanus Vintonienſis in Anglia: S. Vlricus Auguſtanus; S. Conradus Conſtantienſis celebres epiſcopi; S. Eberhardus primus abbas Eremi Heluetiorum; adhæc S. Guibertus Lotharingiæ princeps, S. Venceslaus dux Bohemiæ martyr, ſacra Chriſtiana doctrina, omniq; virtutum genere conſpicui eccleſiam Dei latè prouehunt, & illuſtrant.

126
Leo VI.

LEO VI. Romanus, Pont. max. anno 928. Præeſt menſes VI. dies XV.

127
Stephanus. VIII.

STEPHANVS VIII. Romanus, Pont. max. anno 928. pius & mitis, præeſt annos II. menſem I. dies XV.

128
Iohannes XI.

IOHANNES XI. Romanus, pont. max. anno 930. præeſt annos IV. menſes X. dies XV.

Louanienſis Academia excitatur, qua Oxonięſis in Anglia prior eſt quinquaginta circiter annis.

129
Leo VII.

LEO VII. Romanus, pont. max. anno 935 S. Adelgadum ad prædicandum gentibus euangelium Chriſti emittit. Præeſt annos III. menſes VI. dies X. *Krantzius.*

CAP. XII. OTTHO *Imperator.*

Anno 936.

OTTHO magnus, VI. Iulij decedenti Henrico patri ſuccedit, fide, autoritate, incredibilis animi magnitudine, gloriaq; ſummus, & inuictiſſimus. Obſiſtentes Lotharingum Geſelbertum, Eberardum Palatinum, Henricum fratrē germanum Andernaci, Moguntinum antiſtitem Moguntiæ, Ludolfum filium Ratiſponæ vicit,

vicit,& in gratiam recepit; Bohemiæ regem ſubiugauit, Patauium expugnauit: Vngarorum tres reges cum omnibus copiis apud Auguſtam fudit,compeſcuitq;: in Gallia Hugonem cum Normandis debellauit,regem Ludouicum expulſum reſtituit; in Italia Berengarium anticæſarem bis fudit, Iohannem Pontificem ex illius tyrannide eripuit, à quo & coronatus eſt; poſtea reuerſus, Romam obſedit, Leonem Pontificem à ciuibus exactum reſtituit: Italiam, Belgium, Burgundiam imperio ſubdidit: Saracenos ex Italia profligauit, Otthonem filium Romæ coronari, & imperatoris Græci ſororis Theophaniæ nuptiis iungi curauit; Boſonem regem Prouinciæ ob inflictum Archiepiſcopo Arelatenſi colaphum capitis à ſe damnatum dimitti noluit; indecorum eſſe dictitans, principis vlla verba ocioſè prolata eſſe. Imperauit annos XXXVI. menſes X. dies VI.

Imperator Græcorum eſt poſt Conſtantinum VIII. anno 962. Romanus: tum anno 964. Nicephorus II. Phocas cognomento: tum anno 970. Iohannes Zimiſces.

In Gallia Ludouico IV. ſuccedit anno 956. Lotharius.

In Hiſpania Sanctio ſuccedit anno 941. Ramirus III. tum anno 966. Veremundus.

In Anglia Adelſtano ſuccedit anno 940. Egmundus: tum anno 945 Elredus: tum anno 954. Eduinus: tum anno 958. Edgarus.

Luneburgenſis primus dux inſtituitur ab Otthone Hermannus; in Bauaria deficienti principum proſapiæ Henricus Saxo imperatoris frater ſuſficitur.

POLONIAE primus Chriſtianus rex fit Miezlaus, aliâs Mieſco anno 963. coronam ei à Pontifice Romano paratam Vngarorum rex impetrauit; poſtea illius filius ab Otthone III. coronatus eſt.

De Eccleſia Chriſti.

SAnctus Aldegadus Hamburgenſis apoſtolica autoritate fultus regnum Dei annunciat ſeptentrionalibus populis; inde conuerſæ ſunt ad fidem Zelandia, Holſatia, Scandia, Noruegia, Liflandia. *Krantz. Genebrard.*

130
Stephanus.IX.

STEPHANVS IX. Germanus, Pont. max. anno 939. Præfuit annos III. menſes IV. dies XVII. *Naucler. in chron.*

131
Martinus III.

MARTINVS II. aliis Martinus III. Romanus, Pont. max. anno 942. religionis, pacis, pauperum ſtudioſus; præfuit annos III. menſes VI. dies XIV. *Plat.*

132
Agapetus. II.

AGAPETVS II. Romanus, Pont. maxim. anno 946. vitæ innocentia, & pacis Chriſtianæ amore claruit: ab eo rex Daniæ Frottho, ſacerdotes fidei Chriſtianæ doctores petit: præeſt annos IX. menſes VII. dies X. *Plat. Genebrard.*

133
Iohannes XII.

IOHANNES XII. Romanus, pont. max. anno 956 omnium primus nomen priſtinum demutauit, Octauianus antè dictus, indecentis vitæ. Præfuit annos VIII. menſes IV. dies VI. *Onuphr. in Plat.*

Ado Viennenſis epiſcopus, Smaragdus abbas, Vindechindus, & Luithprandus Ticinenſis, viri docti clarent.

134
Leo VIII.

LEO VIII. Romanus, pont. maxim. anno 963. præeſt annum vnum, menſes III. dies VII.

Benedictus, qui hic à nonnullis inſeritur, antipapa fuit, nec ad lineam hierarchicam pertinet. *Onuphrius in Platinam.*

IOHAN-

135 Iohannes XIII.

IOHANNES XIII. Romanus, pont. max. anno 965. præeſt annos VI. menſes XI. dies V.

Polonia per S. Stanislaum epiſcopum, & martyrem, S. Adelbertum epiſcopum, & AEgidium Tuſculanum Cardinalem Iohannis Pontificis legatum ad Chriſti doctrinæ lumen conuertitur. *Staniſ. Hoſius Confeſſ. cap.* 41. *&* 92. *Bonfin. decad.* 2. *lib.* 1.

S. Adelbertus Bohemorum epiſcopus, cum parum illic proficeret ad Polonos venit, tum ad Sclauos, & Vngaros; vbi Geizæ regis filium Stephanum baptiſmo luſtrauit, populum de Chriſti gloria, & æterna ſalute inſtituit; inde ad Ruſſos, & Pruſſos profectus pares in doctrina cœleſti fecit progreſſus. *Bonfin. ibidem.*

Daniæ rex miraculorum, & virtutis Dei eminentiam miratus, toto regno edicit, vni Deo cœlorum adhærendum eſſe, nam permiſcuè hactenus Chriſto Domino partim, partim idolis dediti erant; idemq; factitatum eſt in Nortuegia. *Sigebert. in chron.*

136 Domnus II.

DOMNVS vel Domnio II. Romanus, pont. max. anno 972. præeſt menſes III.

137 Benedictus V.

BENEDICTVS V. Romanus, pont. max. anno 972. præeſt annum I. menſes III.

Hæreſes.

Anthropomorphytæ Paduano agro in Italia accreuerant, ſed Bracherij epiſcopi Veronenſis ſtudio, & opera extirpati ſunt breui. *Prateol. de hæreſ.*

CAP.

CAP. XIII. OTTHO *II. Imperator.*
Anno 973.

OTTHO ſunior, VII. Maij mortuo Otthoni patri ſucceſſit, Henricum patruum Bauarum bis fudit; Bohemiam igne, ferroq; vaſtauit, Gallos prouocantes Pariſios vſque expugnauit; Lotharingiam recuperauit; Sclauoniam, & Dalmatiam variè afflixit, inde in Italiam traiiciens, Græcos, & Saracenos in Calabria, & Apulia collatis ſignis adortus, cæſis ſuorum copiis omnibus captus eſt; cæterum minimè pro Cæſare agnitus, quod etiam Græcè loqueretur, & quidem diſſimulato habitu, pecunia redemptus Romam venit, vbi Beneuentanis ſpoliatis, mœrore obiit, aut veneno, quod ingenij durioris eſſet; imperauit annos X. mēſes VII. dies II.

Imperator Græcorum eſt Iohannes Zimiſces, deinde anno 977. Baſilius iunior cum Conſtantino IX.

Reges in Gallia, & Hiſpania iidem adhuc ſunt; in Anglia anno 974. Eduardus II. & anno 977. Edelredus: in Polonia idem Mieczlaus.

Lotharingia ſecundò diſpertita, partim epiſcopis Colonienſi, & Leodienſi ab imperatore donatur; partim Carolo Franco ſeudo traditur.

De Eccleſia Chriſti.

138 Bonifacius VII.

BONIFACIVS VII. Romanus Pont. maxim. anno 974. indignè promotus, depulſus eſt, cum præfuiſſet annum I. menſem I. qui tamen poſt Iohannem XIV. ſedem repetiit.

139 Benedictus VI.

BENEDICTVS VI. Romanus pont. max anno 975. probæ vitæ, & de principum concordia ſolicitus, præeſt annos IX. menſem I. dies X. *Platina.*

S.Ed-

S. Eduardus rex Angliæ vitam ſanctiſſimè actam martyrij gloria cumulauit. S. Volfgangus epiſcopus Ratiſponenſis indefeſſa Chriſti doctrina, & monachos ad continentiam, ſanctimoniamq́;, & ciues ad pietatem, atque iuſtitiam, & ruris omnino colonos ad vitæ innocentiam prouexit, prophetiæ dono ipſe, & miraculis clarus. *Surius.*

Roſuita ſanctimonialis, Ganderheymenſis Græcè, & latinè docta, multa latinè pietatis plena conſcripſit. *Onuphr. in faſtis.*

CAP. XIV. OTTHO *III. Imperator.*

Anno 983.

OTTHO III. miraculum mundi cognominatus, Otthoni patri VII. Decembris mortuo ſuffectus, Bohemos perdomuit, Brandeburgum contra Vandalos oppugnauit; Calabriam & Apuliam recuperauit, Creſcentium Romanum conſulem æmulum imperij, capta Roma exoculatum ſuſpendio ſuffocauit, Gregorium Pontificem reſtituit; veniens in Poloniam ad S. Adelberti monumentum ſupplicationes fecit, regem ibidem Boleslaum coronauit, ac Romam tertiò rediens naturæ iura illic perſoluit. Imperauit annos XVII. menſem I. dies XIV.

Imperatores Græcorum ſunt ijdem.

Hugo Capetus Pariſiorum comes vi, & fauore militum primus Gallus Gallorum rex creatur; ac dudum iam Ludouico IV. negotiũ faceſſerat; tandemq́; veneno ſublato Ludouico V. qui anno 987. Lothario ſucceſſerat, Nouioduni rex ſalutatur, & Rhemis inauguratur anno 988. qua ratione regnum Galliæ ad tertium genus deuenit. Arnolfum Rhemenſem, & Seuinum Senonenſem archiepiſcopos Hugo per vim, citraq́; culpam in carcerem conijcit. Anno deinde 997. Robertus ſucceſſit doctrina, & religione clarus, anno ſecundo Hugonis patris iam coronatus.

In Hiſpania anno 983. Alfonſus V. rex creatur.

Burgundiæ ducatus ad Galliæ regnum teſtamento Henrici vltimi deuoluitur.

Sabaudia gens Allobrogum in comitatum excitatur, vnde nunc duces originem ducunt.

Electorum imperij inſtitutio hoc loco introduci commodè nō poteſt, quando nec tempeſtatis illius hiſtorici id referant, neque principum ratio id patiatur, Bohemo hoſtem imperij agente; Brandeburgo à Vandalis vaſtato, Palatinatu nullo egregio principe adminiſtrato; ad interregnum igitur reijci debet.

De Eccleſia Chriſti.

140 Iohannes XIV.

IOHANNES XIV. papienſis, pont. max. anno 984. præeſt menſes VIII. cui ſuccedit BONIFACIVS VII. iterum menſes IV. dies VI. *Onuphr.*

141 Iohãnes XV.

IOHANNES XV. Romanus, pont. maxim. anno 985. maiore cura opes ſuis corradit, quam eccleſiæ, præeſt annos IX. menſes VI. dies X. *Platina.*

Moſcouitæ, & Pruſiæ duces Sigiſmundus, & Voldemirus ad Chriſti fidem vocati, baptiſmum ſuſcipiunt cum ſuis *Munſter. coſmograph.*

142 Iohãnes XVI.

IOHANNES XVI. Romanus, pont. maxim. anno 995. præeſt menſes IV.

143 Gregorius V.

GREGORIVS V. Saxo, Bruno dictus, imperatoris conſanguineus, pont. maxim. anno 995. præeſt annos II. menſes VIII. dies III.

SYL-

144 Syluester II.

SYLVESTER II. Aquitanus, pont. max. anno 998. doctiſſimus Mathematicus, ob ſingulares animi dotes, primùm Archiepiſcopus Rhemenſis, dein Rauennas, poſtremò ab Otthone Auguſto ad Romanam eccleſiam prouectus, cuius adhuc in bibliotheca Farneſiorum libri de Geometria ſcripti extant. Eum vt aſtronomiæ peritum, cuius vi, & ratione futura naturalia prognoſticis rimabatur, vulgò traducunt tanquam magũ, cum dæmone commercium habentem, quo indice futura nouiſſet, ac fabellam lepidam de eius extrema pœnitentia addunt, quæ omnia in tantum virum minimè cadunt, cum eius potius ex diametro contrarium conuincat, cùm illius epitaphium quod adhuc viſitur; tùm ſcriptores rerum periti grauiſſimis argumentis. Præfuit annos IV. menſes VI. dies XII. *Blond. decad. 2. lib. 3. Onuphrius in Platinam.*

Hebraicæ literæ in Hiſpania florere in Cordubenſi Iudæorum gymnaſio incipiunt, inclinata ſchola Babylonica.

CAP. XV. S. HENRICVS *II. Imperator.*

Anno, ſupra milleſimum, primo.

HENRICVS *II.* ſanctus, cognomento Claudus, Bauarus, morientem 21. Ianuarij Otthonem in imperio excepit; multa, & grauia bella confecit ſumma fœlicitate contra Polonos, Bohemos, Vandalos in Germania, in Italia aduerſum Saracenos, & Arduinum anticæſarem: Romæ à Benedicto coronatus ſanctiſſimè vixit, ac coniugem S. Kœnigundam ſororis loco in perpetua virginitate habuit; Bambergæ ſepultus, imperauit annos XXIII. menſes V. dies XXI.

Imperatores Græcorũ adhuc iidem ſunt; & in Gallia Robertus.

In Hiſpania regna noua excitantur: ac ſuccedit Alfonſo V. anno 1010 Veremundus III. tum anno 1020. Sanctius Maior Nauarræ, & Caſtellę rex; tum anno eodem Ferdinandus Magnus, qui Legionis, & Caſtellæ regna coniunxit.

In Anglia Edelredo ſuccedit an. 1015. Edmundus; & anno ſequente Canutus rex Danię, qui Angliam vi occupatam gubernauit.

Poloniæ rex creatur anno 999. Boleslaus.

VNGARIAE regnum Stephanus Geizæ filius ex Attilæ progenie, anno cum S. Henrico eodem orditur; cum Vngari, cũ ducibus ante regerentur, auſpice Chriſto, cuius fidem proximè ſuſceperant, regem conclamarunt; quo facto ille accepta in vxorem imperatoris ſorore Giſela, coronatus eſt, & vitam ad Chriſti mandata diuino planè ingenio expreſſit.

CASTELLAE regnum ex comitatu in Hiſpania à Sanctio Maiore Nauarro rege erigitur, cuius filius Ferdinandus Magnus primus rex fuit Caſtellæ, Legionis & Aſturiarum; ducta in vxorem ſorore Veremundi, qui abſque liberis deceſſerat anno 1011.

ARRAGONIAE in Hiſpania quartum regnum anno 1018. inchoatur à Ranimiro altero Sanctij Maioris filio; nam quatuor reliquit; Tarraconenſium in Arragonenſium nomine permutato.

De Eccleſia Chriſti.

SAnctitate illuſtres, & inter diuos relati florent reges duo, Henricus Auguſtus, & Stephanus Vngarus.

Fulbertus Carnotenſis epiſcopus, Radulphus Ardens homiliaſtes, Burcardus Vormatienſis epiſcopus, Berno Abbas Augienſis, ſcriptores celebres florent.

145
Iohannes
XVII.

IOHANNES XVII. Romanus, pont. max. anno 1003. præeſt menſes IV. dies XXV.

146
Iohãnes
XVIII.

IOHANNES XVIII. Romanus, pont. max. anno 1003. præeſt annos V. menſes VII. dies XXIX.

SS. Anaſtaſius, & ſocij; item SS. Andreas, & Benedictus eremitę, vnaq; rex Stephanus cum imperatore fidem Chriſtianam in Vngaria

garia ad ſumma incrementa prouehunt. *Bonfin. decad. 2. lib. 1. Surius.*

147 Sergius. IV.

SERGIVS IV. Romanus, pont. maxim. anno 1009. diuino amori, & ſanctimoniæ addictiſſimus, præfuit annos II. menſes VI. dies XII. *Platina.*

148 Benedictus. VII.

BENEDICTVS VII. Romanus, pont. max. anno 1012. præfuit annos XI. menſes VIII. dies XXI.

Ieruſalem ſanctá ciuitas à Saracenis, & Turcis per Soldanum AEgyptiũ magna ex parte diruitur, intactis tamen templis aliquot, maximè baſilicis S. Sepulchri, præſepij in Bethlehem, & monaſterio montis Synai. *Nancler. Plat.*

CAP. XVI. CONRADVS *II. Imperator.* *Anno* 1024.

CONRADVS II. Francus, migrante ad Deum S. Henrico 13. Iulij imperator deſignatus, Henricum filium Cæſarem conſortem fecit, Romæ coronatus, Burgundiam ſubegit; imperauit annos XIV. menſes X. dies XXII.

In Auſtria, quæ Vngaris deditione erat dempta, Sueui Marchionem locare ſolebant: Thuringiæ comitatus ab imperatore inſtitutus, Ludouico Barbato è Caroli Magni ſtirpe permittitur; additurq; Burgundiæ comitatus imperio.

Neapolitani regni initium à Roberto, & Richardo Normannis principibus profugis ſumitur, pulſis ex Apulia Græcorum pręſidiis: Robertus primus dux cõfirmatus eſt poſtea à pontifice anno 1060.

Imperator Græcorum Baſilio, & Conſtantino ſuccedit anno 1029. Romanus Argyrus; & anno 1035. Michaël IV. Paphlago, occiſo Romano, ductaq; eius relictà in vxorem.

Poloniæ rex fit anno 1024. Miezlaus.

Angliam rexit poſt Canutum regem Daniæ Heraldus eius filius, anno 1036.

In Gallia Roberto ſuccedit anno 1031. Henricus, cum quo de regno contendit Robertus frater.

De Eccleſia Chriſti.

149 Iohannes XIX.

IOHANNES XIX. Romanus, pont. max. anno 1024. laudatæ vitæ. Præfuit annos VIII. menſes IX. dies IX. *Platina.*

Muſices ſcala, & ſolmiſandi ratio ad cantandum reperta eſt, per Guidonem Aretinum monachum Italum inſtituti S. Benedicti. *Sigebert. Palmer. in chron.*

S. Simeon Treuerenſis, S. Emericus Stephani regis Vngariæ filius, & complures per Galliam abbates pulcherrimis virtutibus, & cœleſti ſpiritu ſanctè viuentes commendantur. *Bonfin. lib.* 11. *Plat. Surius.*

150 Benedictus VIII.

BENEDICTVS VIII. Romanus, pont. maxim. anno 1032. ob ignauiam depoſitus, cum præfuiſſet annos XII. menſes IV. dies XX. *Platina.*

Sylueſter III. pontificatum init, verùm poſt menſem, & dies 19. abdicare ſe coactus Benedicto iterum locum dedit hebdomadas ſeptem.

Cardinalium, in eccleſia Romana præſulum dignitas, hoc tempore aucta eſt, non, vt quidam magna antiquitatum inſcitia produnt, recens introducta; quando vt Onuphrius demonſtrat, & ante Nicænam ſynodum, & ſemper in eccleſia fuerunt. *Onuphr. lib. de Cardinalibus, & alij.*

CAP.

CAP. XVII. HENRICVS *III. Imperator.* *Anno* 1039.

HENRICVS III. Niger, Conrado patri IV. Iunij naturæ concedenti ſuffectus, tertiùm Vngariam cum exercitu intrauit, oppida complura cœpit, regnum ſubiugauit, Bohemiam domuit, Conrado Bauaro rebellanti demptum ducatum filio ſuo permiſit: Romæ coronatus, filium quinquennem ſe ſuperſtite coronari fecit; imperauit annos XVII. menſes IV. dies XXII.

Imperator Græcorum Michaël IV. ſuccedit anno 1041. Michaël V. Calaphates: tum anno 1042. Conſtantinus IX. Monomachus, cum Zoë Auguſta: tum anno 1054. Theodora ſoror Zoës.

Vngariam regit ab anno 1037. Petrus Crudelis: deinde pulſo Petro, anno 1041. Aba: tum anno 1044. iterum Petrus per Imperatorem reſtitutus: & anno 1047. Andreas.

In Polonia poſt interregnum ſex annorum, rex creatur anno 1040. Caſimirus, è monaſterio, vbi religioſam vitam agebat, repetitus.

In Anglia regnum init anno 1041. S. Eduardus, qui Danorum iugo regnum liberauit.

TVRCAE regem Perſidis, ſub quo merebant, ex Calyphæ AEgyptij dominatu in libertatem aſſerunt; fraudati deinde ſtipendiis ad rapinas, & motus truculentos conuerſi, Babylonem expugnant, Armeniam, Bithyniam, Cappadociam ſubigunt, atque maiore ex parte Aſia oppreſſa regnum nouum inſtituunt, anno circiter 1050. principe Sadoc, dein Docriſa; quorum regia fuit ſucceſſu temporis Iconium Aſiæ minoris ciuitas.

De Eccleſia Chriſti.

151 Gregorius VI.

GREGORIVS VI. Romanus, pont. max. anno 1045. præeſt annum I. menſes VII. dies XX.

Vngari

Vngari ad vomitum idolothyti reuertuntur; & Chriſti fidem deſerunt, presbyteros, epiſcoposq́; iugulant; verùm Andreæ regis edicto, perfidia damnata, Chriſti redemptori denuo manum dare compelluntur. *Bonfin.lib.12. Naucler.*

152 Clemẽs II.

CLEMENS II. Saxo, Bambergenſis ante epiſcopus pont. maxim. anno 1047. præeſt menſes IX. dies VII.

153 Damaſus II.

DAMASVS II. Bauarus, põt. max. anno 1048. præeſt dies XXI. translato electionis pontificum iure ad imperatores, non ſine graui incommodo.

154 Leo IX.

LEO IX. Germanus, Alſaticus comes, epiſcopus prius Tullenſis, pont. max. anno 1049. ab imperatore electus, non ante munus in ſe ſuſcepit, quàm clerus Romanus electionem calculo ſuo confirmaſſet; egenis apud ipſum, & peregrinis patebant ſubindè ædes; hæreſes repreſſit ſcriptis, & cenſura; gliſcentia inter Africæ epiſcopos odia ſopiuit; Andreã Vngarũ pacẽ cũ imperatore detrectantẽ cõmunione, & pace diuina priuauit; legatũ Cõſtãtinopolim, qui cõtra Græcorũ errores ageret, miſit; bello ſe cũ imperatore contra Normannos in Italia immiſcuit infauſtè; cæteroquin inculpatæ, ſanctæq́; vitæ, quem ad ſepulchrum eius ſunt conſecuta miracula: Præfuit annos V. menſes II. dies VIII. *Herman. Contractus in chron. Sigebert. Plat. Naucler.*

Ieroſolymis templa diruta reficiuntur per Conſtantinum imperatorem Conſtantinopolitanum, hortatu Leonis Pontificis. *Palmer. in chron.*

S. Eduardus, Angliæ rex magnus, regia gloria, fide, & ſanctitate maior elucefcit, vt & S. Hanno Colonienſis epiſcopus. *Polyd. lib. 8. Naucler. in chron.*

S. Petrus

S.Petrus Damianus epiſcopus Hoſtienſis,S.Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis,Guitmundus,Vmbertus Cardinalis,Theduinus epiſcopus Leodienſis,Hermannus contractus,& Hildebertus ſcriptis florent.

155 V ictor II.

VICTOR II. Germanus,imperatoris conſobrinus,pont.max. anno 1055. Simoniam magno zelo extirpauit, epiſcopos eius, aut libidinis reos ſede mouit; præfuit annos II. menſes III. dies XVI. *Herman.Palmer.*

Hæreſes.

Berengarius Turonenſis Gallus primus negat verum Chriſti Domini corpus in Euchariſtia contineri, contra expreſſum Dei verbum,quem nunc Zuingliani,& Caluiniſtæ ſequuntur;erroris autẽ ille tertiùm conuictus, tertiò retractauit,&in agone mortis veritatem Catholicam apertè in hæc verba confeſſus eſt : nos ſanè credimus poſt benedictionem eccleſiaſticam illa myſteria eſſe verum corpus, & ſanguinem Saluatoris, adducti veteris eccleſiæ autoritate. *Spencaus lib. 8. cap.1. apolog. Genebrard. ex Lanfranco, Guithmundo lib.1.de verit.euchar.*

Manichæorum ſecta reuireſcit; carnium eſum, vt immundum penitus damnat: eius ſectatores plures, prius quàm longius ſerperent,imperatoris ſententia laqueo ſublati ſunt. *Herm. Contract.*

Græci errorem de Spiritus ſancti proceſſione, decem aliis cumulant, autoribus Michaële Patriarcha Conſtantinopolitano, Leone epiſcopo Acridenſi Bulgaro,& Niceta Pictorato. *Sigebert. Hermannus in chronicis.*

CAP. XVIII. HENRICVS *IV. Imperator.*

Anno 1056.

HENRICVS IV. imperium patris 5. Octobris defuncti,puer ſeptennis excipit, animo ſtatim maturo, infracto,bellicoſo, & qui ſupra quinquagies cum hoſte collatis ſignis feliciter dimicauerit; prudentia tamen,& pietate impari;matrem turpitudini vi-

tæ obloquentem autoritate priuauit, coniugem repudio ablegare tentauit, principum conſilia ſpreuit, nobilitatem oppreſſit, Otthonem ducem Bauariæ exturbauit, epiſcopos ad libitum quosq; promouit, amouitq;, qua inſolentia nulli non inuiſus factus, ſuorum à ſe mentes alienauit: rebellarunt itaq; Saxones, deſtitutus eſt à Rodolfo duce Alemanniæ, & Burgundiæ, pariterq; à Berchtoldo Zæringiæ duce, & obiurgatus grauiter eſt à principibus imperij, coactis ob id comitiis: quibus nil mutatus, à Gregorio pontifice officij admonitus, cum necdum ab iniuriis temperaret, coronationis repulſam cum anathemate tulit, creato imperatore Rodolpho Sueuorum duce; tum verò in eccleſiam armatus, antipapam ſibi creauit, concilia adulterina coegit, ſchiſmata epiſcoporum introduxit, epiſcopalia munia coniugatis contribuit, Rodolfum ſæpè fudit, donec à filio ſuo præliis fractus, à comitiis coactus ſe abdicauit, & miſerè impœnitens periit, inhumatusq; ſupra quatuor annos iacuit. Ab hoc verò Henrico inclinatio imperij apud Germanos cœpit. Imperauit annos XLIX. menſes X. dies III.

Imperator Græcorum eſt anno 1056. Michaël Stratiotes ſenior: tum anno 1057. Iſaacius Comnenus: tum anno 1060. Conſtantinus X. Ducas: tum anno 1067. Eudoxia Auguſta: tum anno 1068. Romanus III. Diogenes: tum anno 1071. Michael Ducas VII. Parapinaceus: tum anno 1078. Conſtantinus XI. Ducas & collega Nicephorus III. Botoniates: tum anno 1081. Alexius Comnenus.

In Gallia Henrico ſuccedit anno 1061. Philippus.

In Hiſpania ſuccedit Ferdinando anno 1060. Sanctius II. tum anno 1066. Alfonſus VI. qui Toletum è Saracenorum poteſtate vendicauit.

In Vngaria Andreæ ſuccedit anno 1062. Bela: tum anno 1065. Salomon: tum anno 1077. Geyza: tum anno 1080. S. Ladiſlaus: tū anno 1095. Colomannus.

In Polonia Caſimirum excipit anno 1058 Boleslaus Audax; tum anno 1081. Vladiſlaus Hermannus monarcha Poloniæ.

In Anglia poſt S. Eduardum regnat anno 1065. Heraldus: tum

anno

anno 1066. Gulielmus Normandiæ dux, à quo Anglia ſubacta eſt; tum anno 1088. Gulielmus Rufus.

BOHEMIAE regnum inſtituitur anno 1087. Vratislao primo rege Pragæ ab Engelberto archiepiſcopo Treuerenſi coronato.

Turcarum dux tertius Abſalem, quartus Melecla, quintus Soleiman fuit; hic expugnata Antiochia Syriæ, ſubactisq; prouinciis Aſiæ maioris, quæcunque imperatori Conſtantinopolitano parebāt ademit, & porrò regnum Turcicum excitauit.

De Eccleſia Chriſti.

MIſeranda Chriſtiani orbis, & turpis facies fuit; vt decurſis ab aſcenſione Domini mille annis, ſathanas ſolutus videri potuiſſet, adeò extremorum temporum deſolationis idea hoc tempore expreſſa fuit. Turcæ diruebant eccleſias Orientis; in Occidēte rex Chriſtianus alterum alter regno exuebat, Sanctius Caſtellanus Hiſpaniæ Alfonſum Legionenſem ad Saracenos Toletum confugientem; imperator imperatorem oppugnabat; ſedebat contra Pontificem antipapa, epiſcopi ſchiſmate diremti erant: nihil ſacrū, ſanctumq; erat; non Pontifex ad altare in myſtico ſacrificio tutus; quippe quem Cincius imperatoriæ factionis de altari in vincula raptauerit; non ſacramenta per Germaniam à prophanis manibus intacta; laicis ipſis, ob turpem ſacerdotum vitam, in eorum adminiſtrationem, aut prophanationem inuolantibus; in Polonia Boleslaus rex Chriſti fideles ad tormenta, & necem rapiebat, necato cum aliis B. Stanislao epiſcopo; ſuccutiebatur Sicilia terræmotibus; fames, & peſtis horrenda ſæuitia latè graſſabantur; monſtra in Germania viſebantur; horrebant tantam indignitatem vel alites domeſtici, anſeres, gallinæ, columbæ turmatim ſe in ſyluas, montes, & deſerta abdentes; emoriebantur in fluuis, & mari piſces, corrupta etiam ex hominum vitiis elementorum viuacitate. *Naucler. Vaſæus. Platina, alij.*

156 Stephanus X.

STEPHANVS X. Lotharingus, Pont. max. anno 1057. præeſt menſes VIII.

Benedictus IX. à quibuſdam hic inſeritur, illegitimè tamen ſuffectus. *Onuphr.*

157 Nicolaus II.

NICOLAVS II. Allobrox, pont. max, anno 1059. præeſt annos II. menſes VI. diem I..

Fides Chriſtiana in Vngaria tertiùm reſtituitur autore Bela rege. *Bonfin. lib.* 3. *decadis* 2.

158 Alexander II.

ALEXANDER II. Mediolanenſis, pont. max. anno 1061. pietate, doctrina, & miraculis clarus, prę fuit annos XI. menſes VI. dies XXII. *Genebrard ex chronic. Caſsinenſi.*

Hunc imperator faſtidiuit, & auxilio Lombardenſium epiſcoporum inſtituit alium HONORIVM, quem Mantuana ſynodus abrogauit. *Onuphr. Bonfin. lib* 13.

Peregrinationem Ieroſolymitanam ſuſcipiunt epiſcopi Mogũtinus, Vltraiectenſis, Bambergenſis, alijq; viri inſignes, cum aliquot Chriſtianorum millibus, quorum pleriq; capti, alij cæſi ſunt ab Arabibus. *Sigebert.*

159 Gregorius VII.

GREGORIVS VII. Etruſcus, pont. max. anno 1073. antea Hildebrandus dictus, quem apoſtolicæ autoritatis criminatores vt ſolent, iniquiſſimè vulgò traducunt; is in cultu diuino ſummam pietatē, in eccleſiæ regimine indefeſſam ſolicitudinem, in vita

vita caſtam morum integritatem perpetuò exercuit, magni ipſe apoſtolici ad omnia animi, id quod contra hæreticorum mendacia autores quique probati, & Onuphrius quinque peculiaribus libris de ipſo ſcriptis, præclarè demonſtrant; ſimoniacā prauitatem extirpauit, & ob eam in aliquot epiſcopos cenſuris extremis egit; imperatorem in eccleſia plurima obſtinatè peruertentem ſancta fidelium communione excluſit, vt etiam Boleslaum Polonum tyrannum. Quò verò maiore vigilantia rebus collapſis emendandis ſtuduit, hoc maiores ſathanæ technas, & vires in ſe expertus eſt; tādem arma, vincula, etiam ad altare, & exilium ab imperatore paſſus, vno ſpiritus robore, & ſancta patientiæ dote Deo adhæreſcēs, animam efflauit, in hæc verba; dilexi iuſtitiam, & odi iniquitatem, moriar ergo in exilio; vir certè, vt autoritate, ita zelo, & ſanctitate ſingularis, eccleſiaſticæ libertatis vnicus aſſertor, & cui Deus ipſe prophetiæ, & miraculorum dono probitatis teſtimonium illuſtre concesserit. Præfuit annos XII. menſem I. dies III. *Blondus lib. 3. decad. 2. Naucler. in chron. Plat. Trithemius, Genebr. ex Schafnaburg. Onuphr. volumine peculiari.*

Clemens III. ab imperatore Henrico in ſedem Apoſtolicam intruſus eſt, vt ab ipſo coronaretur, cuius oſſa poſtmodū exuſta ſunt. hinc illud grauiſſimum ſchiſma per annos XXI. ortum. *Onuphr. in Platinam, & in faſtis.*

Alfonſus rex interfecto Sanctio in Hiſpania, in regnum Caſtellæ reuocatus, Toletum Saracenis militum virtute aufert, & Chriſti Saluatoris confeſſioni conſecrat. *Blondus, & Vaſæus in chron. Hiſpaniæ.*

In Anglia epiſcopales aliquot eccleſiæ ex pagis in ciuitates tranſferuntur. *Polydor. lib. 9.*

Salomon Vngariæ rex renuncians mundanæ pompæ, in ſolitudinem, & vitæ tranquillitatem concedit. *Bonfin. lib. 14.*

Carthuſianorum ordo Pariſiis in Gallia à S. Brunone Coloniēſi Germano, & S. Hugone epiſcopo Gratianopolitano Gallo, cum ſociis ſeptem initus anno 1082. quò calcatis ſæculi illecebris, minore peccandi periculo, maiore Deo famulandi libertate, per au-

ſteram viuendi diſciplinam,& per cōdigna fidei opera,cum timore vocationem ſuam,& electionem certam facerent. *Paul. AEmylius lib.5. Surius de ſanctis.*

160 Victor III.

VICTOR III. Beneuentanus pont.max.anno 1086. tanto officio longiore tempore dignus niſi à Cæſarianis ei ſacrum facienti ſacer calix toxico illitus fuiſſet ; vacauerat cathedra ante ipſum annum totum,ob turbas,& factiones horrendas; iterumq́; poſt ipſum menſes ſex.Pręfuit annum 1.menſes tres dies XXIV. *Volaterran.Platina.*

S.Anſelmus epiſcopus Cantuarienſis,ſalutari doctrina,& rebus piè geſtis præclaram diuinitus vitæ ſanctæ teſtificationem conſequitur.Florebat etiam S.Iuo epiſcopus Carnotenſis,& Vilhelmus abbas Hirſaugienſis ſanctis animi dotibus commendatus,vt & qui ipſum præceſſerat Fridericus. *Trithemius.*

Oecumenius,Marianus Scotus,Sigebertus ſcriptores item florent.

161 Vrbanus II.

VRBANVS II.Gallus,pont.maxim. anno 1088. vt precandi quique ſtudio Dei omnipotentis iras placarent,ſeptem horarum ſtatas preces recitandas pro veteri more indixit, ac inſuper horas de D. Virgine addidit , eiusq́; ſingularem ſabbathinis diebus commemorationem; pro concilio Claromontano principes ad bellum ſacrum exhortatus eſt . presbyterorum mores corrigendos cenſuit; ſanctitatis ipſe, & eruditionis nomine percelebris. *Antonin.in chron.Naucler.Plat. Paul. AEmylius lib.4.*

Expeditio ſacra.

IEroſolymitanum regnum à Chriſtianis excitatur , anno 1099. ſuſcepta ſacri belli in Saracenos expeditione triennio antè,autore ipſo Pontifice Vrbano , referente Petro eremita incredibilem Chriſtianorum ſub infidelium iugo calamitatem. Dux expeditionis lectus eſt heros inclytus Godefridus comes Bolonius Flandriæ, deinq́; dux Lotharingiæ , quæ hæreditate ei proximè obuenerat, quem principes viri non pauci , peditum ſexcenta millia, equitum centum

centum millia tripartito agmine ſequuti ſunt, veſte ſigno ſalutiferæ crucis à quibuſuis notata. Primum agmen inconditum facilè hoſtium inſidiis patuit; poſtea Nicæa in Aſia minore prima capta eſt, & ad eam cæſus Soleimannus cum Turcis; deinde Tarſus, tùm Antiochia, vbi fuſi ſunt Parthi, Medi, Aſſyrij: tandem Ieroſolyma trigeſimo nono obſidionis die, ipſo meridie feria ſexta; quo primus euaſit in muros Godefridus; pulſiq; ſunt Saraceni, cum Calipha AEgyptio; & triennio totus ſubactus eſt Oriens: regionum cuique principi aſſignata prouincia eſt; rex in ſancta vrbe Ieruſalem creatus omnium votis Godefridus, qui quòd rex æternus eo loci ſpinis coronatus fuiſſet, diadema capitis aureum recuſauit; ſecundus ei ſucceſſit Balduinus frater anno 1100. Cæterum biennio poſt hanc expeditionem noua alia ſubſecuta eſt Lombardorum, Germanorum, Francorum, & Burgundionum; Lombardorum ad quinquaginta millia erant; communi omnes nomine Franci dicebantur; quod nomen inde Europæis apud tranſmarinos hodieq; manet, ac Franki vulgò vocantur, quicunque per eas regiones Ieroſolymam proficiſcuntur. His initiis Venetorum poſtea, & Genuenſium potentia creuit. Imperator Henricus à tam ſancto, & felici inſtituto ſuis implicitus bellis longè ab auxilio, animoq; aberat, quin etiam Vrbani Pontifici ob id iniquus, ait AEmylius, quod gloriam pij belli ab illo [illegible] harum partium dedecus exiſtimaret. *Gulhel. Tyrius archiep. [illegible] de bello ſacro. Robertus monach. lib. 8. P. AEmyl. lib. 4. Blondus lib. 4 decad 2.*

Sacra lancea, qua Chriſti Domini in cruce latus perfoſſum eſt, diuina reuelatione reperta eſt Antiochiæ, anno 1098. *Autores ÿdem.*

Præmonſtratenſium ordo vitæ monaſticæ initium ſumit à Noberto, vel Roberto nobiliſſ. & clariſſ. viro Lotharingio. *AEmyl. l. 5.*

162 Paſchalis. II.

Paschalis II. Tuſcus, pont. max. anno 1099 vi coactus ſuſcepit onus; ab Henrico ſequente imperatore epiſcoporũ confirmationẽ ſibi arrogante captus, vim paſſus & ab vrbe pulſus eſt: præfuit ann. xviii. menſes 5. dies 9. *Volaterranus in Anthropologia.*

Hæreſes.

Henriciana ſecta dicta eſt ſimonia, qua epiſcopi, abba-

tes, aliiq; ab imperatore Henrico dignitates ſuas aucupabantur; à variis ſynodis damnati. *Vrſpergenſ. Sigebert. in chron.*

Idem malum in Angliam irrepſerat, verùm per S. Anſelmum eſt ſublatum. *Polyd. lib.* 11.

CAP. XIX. HENRICVS *V. Imperator.* *Anno* 1106.

HENRICVS V. à comitijs Moguntinis, exacto patre Henrico, feſtis natalibus ineuntis anni ſuffectus imperator in Flandria, Vngaria, Polonia, Saxonia bella confecit; multam ſuorum rebellionem paſſus, quòd cùm pacem eccleſiæ negaret, pacẽ ipſe amitteret. Imperauit annos XVIII. menſes IX. dies XV.

Imperator Græcorum Alexio ſuccedit anno 1118. Iohannes, à bonitate Calojohannes dictus.

In Gallia poſt Philippum regnat anno 1110. Ludouicus Craſſus.

In Hiſpania Alfonſo VI. ſuccedit filia Vraca; tum anno 1108. Alfonſus VII. Imperator Hiſpaniæ dictus; cui etiam tribuuntur anni 4. Vracæ.

In Vngaria Colomannum excipit anno 1114. Stephanus II.

Ieroſolymis Balduino ſuccedit an. 1117. Balduinus II.

PORTVGALLIAE nobiliſſimum in Hiſpania regnum initiũ habet ab Henrico comite Lotharingo, cui eam prouinciam in dotem cum filia Taraſia dederat Alfonſus VI. quo ex coniugio natus Alfonſus comes, ſe anno 1112. ducem dixit, ac porro anno 1139. cum quatuor regibus Saracenis congreſſurus, rex ab exercitu appellatus, Portugalliam, quæ eadem Luſitania dicitur, totam Saracenis ademit.

In Gallia bellum Anglicum initium ſumit ſub Ludouico, quo Gallia diutiſſimè ab Anglis vexata partim, partim occupata eſt.

Iohannes Iſacij fratris Calojohannis filius, Græcus, quòd iniuria eſſet affectus, ad Turcas transfugit apoſtata; à quo deſcẽdere Turcorum imperatoris genus autumant ipſi imperatores: referente Leonclauio in Pandectis Turcicis.

De

De *Eccleſiæ Chriſti.*

CIſtercienſis ordo S. Benedicti per Robertum Moliſmenſem abbatem, abdicatis mundi voluptatibus, incipitur, quem mox S.Bernardus mirificè auxit. *AEmyl.lib.5.*

163 Gelaſius II.

GELASIVS II. Caietanus, pont.maxim. anno 1118.præfuit annum 1.dies V.

164 Caliſtus II.

CALISTVS *II.* Burgundus, pont. maxi. anno 1119. pietate, & humanitate ſingularis; ſub eo principes, & imperator cum clero in gratiam redierunt; reſtituta antiſtitum electione clero libera. præfuit annos V. menſes X. dies XIII. *Platina, & ibi Onuphrius.*

S.Agnes, genere, fide, & ſanctitate nobilis, inſtitutum virginum monaſticum Ieroſolymis aggreditur. *Volaterran. in Anthropologia.*

Pomerania nunc demum ſacram Chriſti fidem edocetur à S. Otthone epiſcopo Bambergenſi, compellente refractarios Bohemorum principe. *Trithem.*

CONCILIVM Lateranenſe frequentiſſimum œcumenicum nonum, Latinorum primum, habitum eſt anno 1123. Romæ, epiſcoporum, & abbatum ferè mille; quo eccleſiaſtica pax reſtituta, & pro terra ſancta actum eſt. *Onuphr. in Platinam.*

S.Malachias epiſcopus in Hibernia mira ſanctitate claret; nemo eum à tempore conuerſionis vnquam verbi otioſi notauit; inceſſus, vultus, habitus, geſtus ad virtutis ſpeciem compoſitus erat; nihil proprij poſſedit, ne domum quidem, identidem occupatus ferè in viſitandis prouinciæ eccleſiis, euangelio ſeruiens, & de euangelio viuens; omnibus omnia factus, vt omnes Chriſto lucri faceret; fuit miraculorum virtute admirabilis. Romam profectus tempore Innocentij II. ab eo Legatus apoſtolicus eſt dictus & dimiſſus: adoleſcentes ſacris initiatos ad S. Bernardum plures miſit, vt ab ipſo

pietate atque ſanctitate imbuerentur. *Eius vitam fuſè ſcripſit S. Bernardus.*

165 Honori9 II.

HONORIVS II. Bononienſis, pont. maxi. anno 1124. doctos viros fouit; præfuit annos V. menſes ii. dies iii. *Platina de vitis Pontificum.*

Ordo militaris Iohannitarum hoſpitalium Ieroſolymitanus, poſtea Rhodius, nunc Melitenſis, à Gerardo viro principe non tam inchoatur, quàm inſtauratur; nam à Phocæ imperatoris ætate per quingentos annos Ieroſolymis eius inſtituti homines fuerāt; à quibus & cultus diuinus Romano, & Catholico ritu perpetuò exhibitus fuerat; & aduentantes peregrini hoſpitio excepti; innouatur etiam ordo S. Lazari à S. Baſilio olim traditus.

Templariorum ordo ab Hugone Pagano, & Godefrido originem duxit.

Teutonicorum B. Mariæ ſub Innocentio iii. ortus eſt. Acceſſit his poſtea ordo militum, ſeu equitum S. Sepulchri pro fidei Chriſtianæ, & Terræ ſanctæ defenſione. *A Emyl. lib. 5. Volater. lib. 21. Naucler. 37. Theuet. coſmogr.*

Hæreſes.

DVrandus Valdachius in Hiſpania cōiugium pro fucata ſcortatione ducens, cum ſuis exuritur. *Prateol. de vitis hæreticorū.*

Marſilius Patauinus in Chriſtianum ſacerdotium inuehitur. *idem Prateol.*

Tandemus Adamitas in Belgio excitat, Catholicos affligit; eius ſectatores à Noberto Præmonſtratenſium autore reuocantur ad Catholicam veritatem. *Sigeberti appendix.*

Petrobruſiani baptizandos infantes negant, quorū error, exuſto coriphæo, confutatus eſt, à Petro Cluniacenſi abbate. *Prateol.*

Dux Burgundiæ in Catholicam fidem, & in presbyteros iniurius, Catalaunij è ciuium conſpectu, à ſathana ſublatus, & perditus eſt. *Theuet. lib. 14. cap. 17. coſmogr.*

CAP. XX. LOTHARIVS *II.* *Imperator.* *Anno* 1125.

LOTHARIVS *II.* Saxo, poſt interregnum quatuor ferè menſium imperator creatus 13. Septembris, commendatur ab omnibus ob pietatem, & tranquillitatis eccleſiaſticæ ſtudium, ob bellicam fortitudinem, ob reſtitutum ius ciuile veterum imperatorũ à longo tempore, Gothorum & Longobardorum motibus ſuppreſſum. Conradum Sueuiæ ducem æmulum delegato ad ipſum S. Bernardo compeſcuit, antipapæ factionem repreſſit, coronatus à reſtituto Innocentio. Rogerium Siciliæ regem ex Apulia propulſauit. Imperauit annos XIII. menſes II. dies XXI.

Imperator Græcorum, & reges paſſim adhuc ijdem regnant: in Gallia verò ſuccedit anno 1138. Ludouicus Iunior; in Vngaria anno 1131. Bela 2. in Anglia anno 1135. Stephanus Francus: & Ieroſolymis anno 1133. Fulco.

De Eccleſia Chriſti.

166 Innocentius II.

INNOCENTIVS *II.* Romanus, pont. maxi. anno 1130. in Germania, & in Gallia diu egit; Anſelmum legatum Conſtantinopolim miſit, qui cum Græcis de proceſſione Spiritus ſancti, confutato errore ageret: præfuit annos XIII. menſes VII. dies VIII. *Onuphr. Plat. Genebrard.*

AEtas hæc præ cæteris in ſcientia egregiè floruit, ac viſæ ſunt diſciplinæ ſingulæ ſingulari incremento excellere.

Sanctitatis lumina tria præcipuè clarent, Nortbertus archiepiſcopus fide; Milo Taruanenſis epiſcopus humilitate; Bernardus abbas charitate. *Surius.*

S. BERNARDVS doctor eccleſiæ mellitiſſimus, abbas Claræuallis in Burgundia ſanctiſſimus, vitam maxima abſtinentia, & caſtitate commendatam duxit, ſenſibus tam cautè compoſitis, vt rerũ externarum obuia vix animaduerteret; atq; vt corpore ſummè debilitato, ita ſpiritus magna alacritate, & eminentia præditus, plurimos ex vitiorum conſuetudine ad Chriſtum imitandum adduxit;

ſcripturæ ſanctæ lectione à puero ita deditus, vt memoria eam tanquam è penu ad quamlibet dicendi occaſionem feliciſſimè promeret; multa cum epiſcopis diuerſarum prouinciarum in rem eccleſiæ perfecit; Galliam, Germaniam, Italiam negotiorum eccleſiæ cauſa ſæpe luſtrauit, à principibus viris, qui eius tanquam communis omnium parentis conſilia expetebant, hinc inde euocatus; Catholicam fidem ſcriptis egregiè illuſtrauit, hæreſes expugnauit, miraculorum ipſe gloria à Deo exornatus, migrat in cœlum, Anaſtaſio IV. Pontifice. *ex D. Bernardi operib. & hiſtoria.*

Rupertus Tuitienſis abbas ſpiritu diuino apud Germanos illuſtris; Amedæus epiſcopus Lauſanenſis, Anſelmus Laudunenſis interlinearis gloſſæ bibliorum autor, Hugo Victorinus, Petrus Cluniacenſis, Petrus Lombardus, Gratianus Iuriſperitus, Richardus Victorinus, aliiq; ſcriptores partim ſanctitate, partim ſingulari, & ſumma rerum diuinarum cognitione florent, & eccleſiam plurimùm illuſtrant.

Theodorus Balſamon, Nechites epiſcopus Nicomedienſis, Euſtathius archiepiſcopus Theſſalonicenſis Homeri interpres, Iohānes Zonaras, Georgius Zedrenus, Glycas & alii inſignes autores apud Græcos excellunt.

Hebræi ſuos quoque habebant viros doctos, à quibus editi ſunt illorum annales Seder Ollam: quos Genebrardus Latinos fecit.

S. Theologia, quæ ſcholaſtica vocatur, cæpit celebrari, & tradi; quæ cum ſacrarum literarum pondere ſimul acumen, & rationem coniungeret, aperiretq; viam, rerum diuinarum myſteria, & receſſus facilius indagandi, atque hæreticorum maximè Græcorum nodos, & technas liquido ſoluendi.

Decretorum Iuris canonici volumen per Gratianum congeſtum editur.

Iuriſprudentia excitata iterum eſt, Vernero primum Pandectas, cæteraq; in lucem reuocante.

Medicinæ, & Philoſophiæ Ariſtotelicæ tractatio vberior mox ſequuta eſt.

Epiſcopus primus Iuliacenſis fit Adelbertus; Tornacum quoq; pri-

primum epiſcopum accipit; è binis epiſcopis Pariſiis electis ceſſit vltrò nobilior doctiori, Petro Lombardo Theologo, Philippus archidiaconus regis frater. *AEmylius lib. 5. Merman.*

Hæreſes.

HEnriciani Tholoſæ Petrobruſianis ſuccedunt, & ſimul ſacram euchariſtiam inceſſant. *Hoſius confeſſ. cap.* 41. *Bernard. epiſt. ad Hildefonſum comitem.*

Petrus Aballiardus, vel Adelhardus philoſophus peripatheticus delirat de diuina potentia, & eſſentia, de fatali neceſſitate contra liberum arbitrium; verùm confutatus à D. Bernardo, & ſynodis ad orthodoxiam rediit, vitamq́; in monaſterio piè traduxit. *Bernar. paſſim. Hoſius lib. 1. hæreſ. contra Brentium.*

Arnoldus Brixienſis illius auditor erroneam doctrinam vitæ ſanctimonia palliare nititur. *Bernard. epiſt. ad Guidonem comitem.*

CAP. XXI. CONRADVS *III. Imperator.*

Anno 1139.

CONRADVS *III.* Sueuorum, & Francorum dux quatuor menſium interregno elapſo, imperium calendis Aprilis iniit, Henricum Bauarum æmulum fregit, Catulum fudit; cum Ludouico Gallorum rege maximis copiis Ieroſolymam, ſuaſu S. Bernardi profectus, cum infidelibus conflixit aliquoties; verùm maiorem in modum legiones imminutæ ſunt, & deperditæ non viribus hoſtis, ſed fraude, atque ſcelere Græci imperatoris Emmanuelis, qui, pro commeatu interpellatus, immiſcuerat farinæ gypſum; ac Ludouicum etiam reducem pari arte cæpiſſent Græci, niſi Rogerij Siculi interceſſiſſet virtus, fidesq́;; re igitur infecta rediit Conradus. Imperauit annos XII. menſes X. dies XV.

In imperio Grecorum Iohanni ſuccedit Emmanuel, vel Manuel Comnenus anno 1143.

In Vngaria Belæ ſuccedit anno 1141. Geyza II.

In Polonia anno 1139. rex creatur Vladislaus, deinde anno 1145. Boleslaus pulſo fratre Vladislao.

Ieroſolymio in regno ſuccedit Fulconi ann. 1142 Balduinus III.

Cæteris in regnis ijdem ſuperius notati reges porrò perſeuerāt. Presbyter Iohannes vulgò dictus, aliis Precioſus Iohannes, longè, lateq; in India imperitat, Perſarū, Medorumq; regiones infeſtat.

De Eccleſia Chriſti.

167 Cœleſtinus II.

COELESTINVS II. Tuſcus, pont. max. anno 1143. præeſt menſes V. dies XIII.

168 Lucius II.

LVCIVS II. Bononienſis, pont. max. anno 1144. præeſt menſes XI. dies XIV.

169 Eugenius III.

EVGENIVS III. Piſanus, S. Bernardi anteà diſcipulus, pont. maxi. anno 1145. ad quem Bernardus libros illos inſignes de conſideratione ſcripſit, quibus ſummorum in eccleſia Dei Pontificum officium, & cura ſapientiſſimè explanatur: Præfuit annos VIII. menſes IV. dies XII. *Bernard. Naucler.*

Armenorum Patriarcha, quem vocant Catholicum, ad Romanum pontificem venit eccleſiæ ſuæ nomine; ritum, & formam ſacroſancti altaris ſacrificij Romanæ eccleſiæ petit, obedientiam defert. *Onuphrius in faſt. Theuet. lib.* 8. *cap.* 15. *coſmographia.*

Archiepiſcopus magni nominis Romam veniens ex Africa, inungi, & confirmari primas ſuæ eccleſiæ petit. *Sigeberti appendix.*

In Carmelo monte eccleſia D. Virginis excitata, & Carmelitarū ordo eſt reſtitutus, ab Aimerico Patriarcha Antiocheno, apoſtolicæ ſedis illic vicario tranſmarino. *Onuphr. Theuet. coſmogr.*

Hæreſes.

IN presbyteri Iohannis religionem immiſcet ſe Neſtorianorum hæreſis apud Indos. *Genebrard. ex Otthone Friſingenſi.*

Gilber-

Gilbertus Poretanus Pictauienſis epiſcopus de ſancta Trinitate errans, correptus à ſynodis reſipuit, ac ſe eccleſiæ doctrinæ ſubmiſit. *Bernard. ſermone.* 80. *in cantica. Prateol. de hareſibus.*

Pſeudomeſſias Eudo de Stella, & alter quiſpiam verſus meridiem pro Chriſto ſe venditant. *Genebrard. chron.*

Publicanorum ſecta emergit in Anglia. *Polyd.* 13.

CAP. XXII. FRIDERICVS *Imperator.*

Anno 1152.

FRIDERICVS AEnobarbus, Conradi ex fratre nepos, 3. Aprilis imperator declaratus ab Adriano pontifice coronatus eſt, bella ingentia geſſit, ſæpius Italiã cum exercitu ingreſſus, Mediolanũ quartò expugnatũ, funditus euertit; Polonos afflixit; poſtremò pulſo Alexandro pontifice, contra quẽ ſchiſmaticos antipapas prouehebat, Romam occupauit, quę res grauiſſimè denuò Chriſtianã turbauit rempublicam; Alexander eum anathemati deuouit; cõtrà Fridericus arma in illum contorſit tamdiu, quoad principes imperij eum deſtituere cæperunt, cernentes infauſtè eum cõtra eccleſiã graſſari, copias conſumere, victorias inſtabiles conſequi, captumq; eſſe ipſius filiũ Otthonẽ, dum pontificẽ, & Venetiarũ vrbem capere temerè putat; tũ demũ enim adductus eſt, vt oblatã ab Alexandro pacẽ ſuſciperet, & cõmunionẽ ſacrã peteret; conuenêre itaq; vterq; Venetiis; ac Fridericus ad valuas S. Marci ſupplex humi ſe demittens, vt oſculo pontificis pedes peteret, à pontifice præſidente abſolutus, leuatus, & oſculo exceptus eſt; tũ in eccleſiã introductus, cuius antea ingreſſu diris arcebatur, in mutuũ cõplexũ ambo ruentes ad ſummum altare pacem optatiſſimam confirmauêre; nam qua fide nonnulli neſcio quod Alexandri inſolens factum hîc addant, ipſi viderint; quando qui vetuſtiſſimi ſunt huius ſcriptores Godefridus Viterbienſis, Martinus Polonus, & qui poſtea ſunt ſequuti proximè, Blondus, Platina, Volaterranus, Simoneta, Bonfinius, aliiq; id longè ſecius narrent. Porrò imperator commiſſis rerũ gubernaculis Henrico filio, expeditionem Aſiaticam, & terræ ſanctæ ſuſcepit, ac multis in itinere oppidis captis, terrore ingenti perculſo

culſo Saladino AEgyptio, cum amnem Armeniæ minoris, quo nomine Ciliciam vocant, vectus equo ingreſſus eſſet, magno rerum diſpendio, vndarum vorticibus abſorptus eſt, cum imperaſſet annos XXXVII. menſes III. dies VII.

Imperator Græcorum Emmanueli ſuccedit anno 1180. Alexius II. Comnenus; tum anno 1183. Andronicus Comnenus: tum anno 1185 Iſaacius Angelus.

In Gallia Ludouico ſuccedit anno 1181. Philippus Auguſtus, qui expeditionem Ieroſolymitanam ſuſcepit.

In Hiſpania Alfonſo imperatori dicto ſuccedit anno 1159. Sanctius III. rex Caſtellæ: tum anno eodem Ferdinandus II. Legionis rex: tum anno 1160. Alfonſus VIII.

In Vngaria Geyzam excipit anno 1161. Stephanus III. tum anno 1172. Ladislaus, & eodem anno Stephanus IV. tum anno 1173. Bela III.

In Polonia Boleslao ſufficitur anno 1173. Caſimirus.

In Anglia Stephano ſuccedit anno 1154. Henricus 2. Andegauenſis: tum anno 1188. Ricardus.

Ieroſolymis regnat anno 1152. Almericus: tum anno 1162. Balduinus IV. tum anno 1164. Balduinus V. poſtremus.

BOHEMIAE rex primus ab Imperatore creatur Vladislaus, antè Bohemorum dux, ob ſtrenuè illi nauatam operam; anno 1160. circiter.

Auſtriæ Marchio, dux à Friderico imperatore appellatur; inde duces numerati poſteri.

Berchtoldus Zeringiæ dux apud Nuithones Heluetiorum (tum minoris Burgundiæ prouinciam vocatam) Friburgum oppidum condit anno 1179. & Bernam anno 1191.

TATARI vulgo Tartari, gens Scythica Orientalis, ſtupida illa quidem, & hactenus gentium exterarum iugo ſubiecta, præcipuè presbyteri Iohannis; primùm ſuæ gētis excitat imperatorem, ſomnio ad principatum capeſſendum extimulatum, Zingis Can, qui & Cingis, & Congi, & magnus Cham appellari conſueuit; anno circiter 1162. vel vt alij volunt anno 1202. à quo tempore Tartari hodieq;

dieq; imperatorem habent in Cataia vel Chitaia prouincia longè potentiſſimum : huic ſucceſſit ſecundus imperator Cin-can.

De Eccleſia Chriſti.

170 Anaſtaſius IV.

ANASTASIVS IV. Romanus, anno 1153. pont. maxim. liberaliſſimus in egenos vndecunque famis tempore accurrentes; præfuit annum I. menſes IV. dies XXIV. *Platina.*

171 Adrianus IV.

ADRIANVS IV. Anglus, pont. maxi. anno 1154. ante pontificatum in Noruegia regnum Dei prædicauit, eò ab Eugenio miſſus : Præfuit annos IV. mēſes VIII. dies XXVIII. *Plat. Bonfin. lib.* 16.

Liuonia, vt & Noruegia, prouincia ſeptentrionalis, per Menhardum preſbyterum doctrina, & virtute diuinitus pręſtantem ad Dei notitiam venit. *Genebrard. in chron.*

Finlandia eiuſdem plagæ ab Erico Daniæ rege ſubacta, per S. Henricum archiepiſcopum Vſpalenſem fidei Chriſtianæ doctrina illuſtratur. *Ioan. Magnus lib.* 19. *Olaus Magnus* 4. *cap.* 18. 19.

172 Alexander III.

ALEXANDER III. Senenſis Tuſcus, pont. maxim. anno 1159. pius, doctus, tolerātia ſimul, & fiducia in Deum ſingulari præditus, præcipuè dum graues perſecutiones ſuſtinuit ab imperatore, quem iuſtis de cauſſis excommunicauerat: quem poſtea in communionem ſacram recepit: Emanuelem Græcum Occidentis imperium affectantem ſalutaribus monitis repreſſit, & cum Friderico imperatore in gratiam redire perſuaſit; recōciliauit etiam Angliæ regi filium ipſius; adhæc Siculum regem cum Lombardis. Præfuit annos XXII. minus VII. dies. *De eo conſule Viterbienſ. parte* 17. *Blond. lib.* 15. 16. *Bonfin. lib.* 16. *Volaterr. lib.* 22. *Simonetam lib.* 5. *epiſt.* 79. *AEmyl. lib.* 5.

Eremitarum S. Gulielmi ordo ſub inſtituto S. Auguſtini, à Gu-

lielmo Aquitaniæ duce conditur. *Onuphr. in faſtis.*

Ottho Friſingenſis epiſcopus imperatorum genere ortus, S. Hildegardis abbatiſſa; Euthymius, Petrus Comeſtor, Gulielmus Tyrius archiepiſcopus, Hugo Etterianus, Godefridus Viterbienſis, Ioachim abbas Calaber, ſcriptores eccleſiaſtici florent.

S. Thomas Cantuarienſis epiſcopus martyrium in Anglia ſubit. *Polyd. lib.* 13.

Vſuris, quæ nunc demum inter Chriſtianos impunè irrepſerãt, paſſim quibusq; interdicitur à ſynodo Turonenſi, & Lateranenſi. *Decretal.* 1. *lib. tit.* 19. *cap.* 1. 2. 3. *&* 4. *diſt. cap.* 2.

CONCILIVM Lateranenſe ſacroſanctum vniuerſale habetur anno 1180. ab epiſcopis ducentis octoginta, ad reformationem morum cum presbyterorum, tùm laicorum. *tom. concil.*

173 Lucius III.

LVCIVS *III.* Lucanus, pont. maxi. anno 1181. præeſt annos 4. menſes 2. dies 28.

174 Vrbanus. III.

VRBANVS *III.* Mediolanenſis, pont. maxim. anno 1185. præeſt annum I. menſes X. dies XXV.

Ieruſalem ſancta ciuitas ſub Vrbano *II.* recuperata, ſub Vrbano *III.* amiſſa iterum eſt: & cæſis multis Chriſti fidelium millibus regnum illud in manus Saladini AEgyptij Saraceni venit. Multa pontifices, principesq;, vt rebus illic ſubuenirent collabentibus, tentabant, ſuſcepta etiam noua expeditione terrâ per imperatorem, mariq; per Gallum regem Philippum, & Ricardum Anglum, nullo planè ſucceſſu; quòd Chriſtiani ob ſcelerum licentiam tanto bono eſſent indigni. Stetit illud regnum annos octoginta octo; expugnatum eſt, & amiſſum anno Chriſti 1187.

GRE-

175 Gregorius VIII.

GREGORIVS *VIII.* Beneuentanus, pont. maxim. anno 1187. præeſt menſem 1. dies 27.

176 Clemēs III.

CLEMENS *III.* Romanus, pont. maxim. anno 1188. puritate vitæ, eruditione, & facundia excellens, præeſt annos 3. menſes 2. dies 20. *Antonin. chron.*

Theutonicorum ordo S. Mariæ in terra ſancta inchoatur. *Lorichius charta patente.*

Hæreſes.

VAldenſes, pauperes Lugduni ſub euangelicæ paupertatis prętextu, errores triginta quatuor contra eccleſiam Dei, & ſacramenta introducunt, quos nunc nouatores ex parte nouauēre. *Æneas Sylnius hiſt. Bohemorum cap.* 35.

Bogomiles in Oriente templa Dei, & baſilicas vt dæmonis habitacula execrantur; ſacrificium euchariſticum damnant. *Prateol. de vitis hæret.*

CAP. XXIII. HENRICVS *VI. Imperator.*

Anno 1190.

HENRICVS *VI.* Friderico patri XI. Iunij mortuo ſuffectus à Cœleſtino coronatus eſt; Neapolim, Apuliam, Calabriam, & Siciliam Richardi Angli ope, imperio recuperauit. Imperauit annos 8. menſes 3.

Imperatori Græco Angelo ſuccedit an. 1195. Alexius 3. Tartaris imperat Kin-Can.

In Hiſpania regnat adhuc Alfonſus 8. & anno 1190. Alfonſus 9. rex Legionis.

In Vngaria Belæ ſuccedit anno 1196. Emericus: in Polonia Caſimiro anno 1194. Lesko.

177 Cœleſtinus III.

Coelestinvs III. Romanus, pont. maxim. anno 1191. præeſt annos VI. menſes IX. dies XI.

178 Innocentius III.

Innocentivs III. Anagminus, pont. maxim. anno 1198. ſummus theologus, & vanitatum mundi egregius contemptor; multa in eccleſia ad extirpanda vitia, abuſusq́;, & rerum diuinarum inſtaurationem decreuit; indulgētiarum abuſum reſtinxit. Præfuit annos XVIII. menſes VI. dies IX. *Innocent. lib. de contemptu mundi, & epiſt. decret. Viger. inſtitut. 16.6.19.*

Hæreſes.

Petrus Iohannes, Ioachimi abbatis Calabri auditor, in variis errat, vt præceptor ipſe quoque nonnulla erronea tradiderat. *Alfonſ. Caſtren. Concil. Later. ſub Innoc. cap.* 2.

CAP. XXIV. Ottho IV. *Imperator.*

Anno 1199.

Ottho IV. dux Brunſuigius, poſt interregnum octo menſium, menſe Martio creatus, & coronatus ab Innocentio, Philippo æmulo defuncto, eum eccleſiæ patrimonium in Italia inuaderet ſacris excluſus eſt, & victus acie in Italia, iterumq́; à Gallo apud Bononiam, coactus imperio ſe abdicauit: imperauit annos XII. menſes II.

Philippvs AEnobarbi filius ab alijs principibus electus, quod oppida eccleſiæ Romanæ inuaſiſſet, communione ſacra priuatus eſt, & decimo anno interfectus.

Berchtoldvs Zeringiæ dux, tertius imperator electus (nam hoc tempore concertatio grauis de imperio, & peſtilēs fuit) potētia licet cæteris non inferior, intra ſortem ſe ſuam tamen continere maluit.

Impe-

Imperium Græcorum adminiſtratur per Alexium 3. deinde anno 1203. per Alexium 4. tum anno 1204. per Alexium 5. Ducam, cognomento Murzuflum: verùm Conſtantinopoli expugnata per Francos, & Venetos, imperium illud ad Latinos deuolutum eſt; creatusq́; eſt imperator eodem anno 1204. Balduinus Flander: quo à Græcis victo, capto, cæſoq́;, ſuffectus eſt anno 1206. Henricus.

In Gallia Philippus rex Normandiam, & Aquitaniam ab Anglis occupatas prouincias recuperat, regnoq́; reſtituit.

Hiſpania regnante Alfonſo 9. vniuerſa à Saracenis diripitur; quorum in poteſtatem quoque venit, manſitq́; per annos trecentos Granata nobilis prouincia.

Vngariam regit poſt Emericum, anno 1204. Ladislaus; & eodem anno Andreas 2. Poloniã adhuc Lesko.

Angliæ rex poſt Richardum eſt anno 1200. Iohannes, qui regnũ Anglicum, & vnà Hyberniam Pontifici Romano ſubdidit.

Creta, nunc Candia inſula in Venetorum poteſtatem venit.

De *Eccleſia Chriſti.*

SAnctus Franciſcus apoſtolicæ vitæ perfectionem imitando, ad regulam Chriſti facultatibus omnibus exutus, non pecuniam, non peram in via, non duas tunicas, nec calceamenta, neq; virgam ſibi ſeruauit; ac docendi ſalutis viam ſtudio, ſe ſuosq́; in quaſuis orbis partes confert, tanto amore Deo gratus, vt etiam ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portaret; cuius ordo fratrum minorum confirmatus eſt ab Innocentio pontifice. *S. Bonauent. Palmer. AEmyl. lib. 7.*

Conradus à Liechtenau abbas Vrſpergenſis, Iohannes Belethus ſcriptores florent.

Hæreſes.

ALbigenſes, vel Albiani, ſancta ſacramenta, templa, & reſurrectionem mortuorum tollunt apud Tholoſates: excinduntur à Simone comite Montisfortis. *AEmyl. lib. 6. Theuet.*

Almaricus porrò alia ſomnia infert, itemq́; Dauid Dinantius, & in Alſatia alij, qui ſcortationem negabant peccatum. *Naucler. Prateolus.*

CAP. XXV. FRIDERICVS *II. Imperator.* *Anno* 1210.

FRIDERICVS II. Aenobarbi nepos, Siciliæ rex, priuato Otthone 13. Decembris, imperium capeſſit, coronatur ab Honorio; epiſcopos, presbyteros, & eccleſiæ prædia mirum in modum affligit, quartùm excommunicatus, ſero reſipuit; porrò artium liberalium, & Mathematices ſtudia immortali cum laude prouexit; Apuliam bello petiit, Ieroſolymam, & Ioppen portum cum conditione recepit, Mediolanum, & Lombardos vicit; Viennam Auſtriæ vi cœpit; Rauennam oppugnauit; Cardinales captiuos detinuit; demum exauctoratus, à Manfredo filio notho in Apulia de medio ſublatus eſt. Imperauit annos XL.

Imperator Græcorũ eſt poſt Henricum, an. 1216. Petrus Altiſiodorenſis Francus; anno 1222. deinde Robertus Francus, & ſimul Iohannes Ducas Græcus: tum anno 1229. Balduinus II. Francus.

Tartarorũ imperator poſt Kin-Can, eſt anno 1231. Bathin-Can.

In Gallia Philippo ſuccedit anno 1224. Ludouicus VIII. tum anno 1227. S. Ludouicus 9.

In Hiſpania regnant adhuc Alfonſus 8. Caſtellæ, & Alfonſus 9. Legionis reges: tum anno 1214. Henricus Caſtellæ rex: tum anno 1216. S. Ferdinandus 3. rex Caſtellæ & Legionis, qui Valentiam, & Murtiam prouincias, ac Maioricam inſulã, pulſis Saracenis, & Mauris, libertati Chriſtianæ reſtituit.

Auſtriæ rex in Germania dictus ab imperatore eſt Fridericus Auſtriacus; qui cum tyrãnidem exercere cœpiſſet, vrbs expugnata, & regnum ſuppreſſum eſt.

In Italia factiones bellicæ peſtilentiſſimæ Guelfonum, & Gibellinorum inter Pontificios, & Cæſarianos gliſcent; quibus Italia per ducentos ſexaginta circiter annos admodum affligitur.

In Anglia Iohanni ſuccedit anno 1217. Henricus 3.

In Vngaria Andreæ ſuccedit anno 1235. Bela 4.

In Polonia poſt Leskonem regnat anno 1227. Conradus: inter quem & Henricum alium graues de regno contentiones fuêre: tum

tum ſuccedit anno 1242. Boleslaus.

De Eccleſia Chriſti.

GRæca eccleſia Innocentij pontificis maximè prudentia, & imperatorum Latinorum opera ad orthodoxæ Romanæ cō-munionem redit, & ſimul Maronitæ Syri. *Innoc. 3. in Concil. Later. Prateol.*

CONCILIVM Lateranenſe magnum œcumenicum, ſacroſanctum eſt Romæ anno 1215. præſidente Innocentio 3. præſentibus patriarchis Conſtantinopolitano, & Ieroſolymitano, archiepiſcopis LXX. epiſcopis CCCC. patribus aliis mille ducentis, pro ſtatu eccleſiæ optimè inſtituendo, & hæreticis refellendis. *tom 3. concil.*

179 Honorius III.

HONORIVS III. Romanus, pont. max. anno 1216. præeſt annos 10. menſes 8.

Gulielmus Altiſiodorenſis, Gulielmus Pariſienſis epiſcopus, Iacobus Vitriacus Cardinalis ſcriptores eccleſiaſtici.

S. Dominicus admirabili ſanctitate priſcorum Chriſtianorum in vita puritatem repetit, Albigenſes hæreticos confutat, euangelium cum ſuis per orbem prædicat, multosq; ad vitæ emendationem adducit; cuius ordinem Prædicatorum approbauit Honorius pontifex. *Aemyl. 7 lib.*

Mathematicæ diſciplinæ ex Arabico Latinè redduntur; & ſimul Academiæ, Muſarum cultrices, excitantur, Friderico imperatore autore: in Iuriſprudentia floret Accurſius Florentinus legum inſignis illuſtrator.

180 Gregorius IX.

Gregorius IX. Anagninus, pont. max. anno 1227. Decretalia Iuris Canonici edidit. Præfuit annos 14. menſes 5. dies 3.

S. Ludo-

S.Ludouicus rex Galliæ. S. Ferdinandus rex Hiſpaniæ, S. Elizabeth regis Vngariæ Andreæ filia, principis Thuringiæ coniux. S. Heduige duciſſa Poloniæ. S.Antonius Patauinus mirabili fide quò magis gloria regia eminent, hoc potius mentem ad cœleſtem, & perennem gloriam erigũt, vt non tam fortunæ ſplendore, & pompa, quàm ſanctarum virtutum ornamentis eccleſiam Dei illuſtrẽt; ita dum malo genio ad eccleſiam perturbandam alij impelluntur, alios cũ religioſos viros, tùm principes ſanctiſſimos excitat Deus, per quos gratiam in eccleſia ſua perrennem, palàm demonſtret. Habebat verò imperator Fridericus animi dotes egregias, verùm in eccleſiam parum æquus erat, dum, vt cætera mittantur, epiſcopos & præſules ex Gallia ad Concilium proficiſcentes de via captiuos abducere, Cardinales à Pontifice eligendo diſtinere, Ludouicum regem ſanctum per fraudem in diſcrimen vocare non dubitabat. *AEmyl. lib.7. Vaſæus chron. Hiſpan. Bonfin.* 17. *Palmer. Tilius. Naucler. in chron. Plat. Blond.* 17.

S. Clara virginum choros pietate diuina imbutos ad Chriſtum agnum virginum ſponſum, caſto mentis amore amplexandum, deducit. *Volaterr. de Anthropologia.*

Pruteni populi à vaſtandis Poloniæ eccleſiis per Teutonici ordinis militiam paulatim repreſſi, fidem Chriſti ſalutarem edocentur. *Naucler.*

181 Cœleſtinus IV.

COELESTINVS *IV.* Mediolanenſis, pont. maxim. 1241. præeſt dies XVII. vacat cathedra menſes XX.

182 Innocentius IV.

INNOCENTIVS *IV.* Genuenſis, pont. maxim. anno 1243. pater iuris cognomento, Tartaros ad Chriſti cognitionem inuitauit, multa ab imperatore perpeſſus, præfuit annos XI. menſes V. dies XV. *Volaterran. Platina.*

Guliel-

Gulielmus epiſcopus Niuernenſis fame oppreſſis Gallis, pauperum duo millia quotidie pauit *Mater. hiſt.*

Iohannes de Plano Carpenus, legatus Pontificis ad Tartaros proficiſcitur in prouinciam Cathaiam, ſeu Kithaynam promulgaturus euangelium; quod tamen illis minimè peregrinum, & inauditum erat, cum partim ſub Presbytero Iohanne id audiſſent, partim illis in regionibus apud Cathay, Tarſas, & Tatar decem familię Magorum Bethlehemitica adoratione nobilitatorũ adhuc ſupereſſent, quæ Chriſti Domini fidem ad poſteros propagabant. *Autor eſt Haythonus Armenus, hiſt. Orientis cap.2. Iohan. Leonclau. pandect. in annales Turcicos, cap.*3

CONCILIVM Lugdunenſe ſacroſanctum generale celebratur anno 1244. præſide Innocentio, vbi Fridericus eccleſiæ hoſtis declaratur, & imperio Chriſtianorum deiicitur, noua in terram ſanctam expeditione promulgata. *Aemyl. lib.7.*

Expeditionem ſanctam ſuſcipit Diuus Ludouicus, verùm infauſtè, arcente à ſancta ciuitate Chriſtianos ira diuina. *Blond. lib.*18. *Aemyl. lib.7. Naucler. chronologia.*

Cardinales ab Innocentio pontifice ornatu rubeo primùm donantur, quo monerentur ſanguinem etiam pro Chriſto, & eccleſia in perſecutione, quam tum imperator exercebat, profundendum eſſe. *Onuph. in Platinam.*

Hugo Carenus Barcinonenſis Cardinalis S. Sabinæ vir doctiſſimus primus rubeo habitu inſignitus eſt; is ſacra biblia in capita per numeros diſtinxit eo modo quo nunc ferè habentur: nam veteribus ſuas etiam diſtinctiones fuiſſe, facilè ex eorum ſcriptis deprehenditur: idem porrò Conradi Halberſtatenſis Germani monachi auxilio, & quingentorum monachorum opera vocularum ſingularum ex bibliis concordantias alphabeticas maiores condidit; adhæc quatruplicem explanationem in biblia tota edidit, Lugduni ſepultus. *Sixtus Senenſis lib.4. Bibliotheca ſancta.*

S. Edmundus archiepiſcopus Cantuarienſis, Henricus Hoſtienſis Cardinalis, Albertus epiſcopus Ratiſponenſis, Gualterus epiſcopus Pictauienſis, Hilarius epiſcopus Aurelianenſis, Bartholo-

mæus Brixianus, Alexander Halenſius, Martinus Polonus, Vincentius Beluacenſis ſcriptores eccleſiaſtici, & theolog: florent.

Academia Pariſienſis, reſtauratur à S. Ludouico, & Sorbona theologorum collegium à Roberto cognomento Sorbona excitatur; Salmatienſis quoq; Academia in Hiſpania à S. Ferdinando inſtituitur.

Gallorum lingua ſcribi cœpit, & Germanica ſtylo elegantiore. *Genebrard.*

CAP. XXVI. HENRICVS *VI. Imperator.*
Anno 1245.

HENRICVS VI. Landgrauius Thuringiæ, ſuperſtite Friderico imperat annum I.

CONRADVS IV. Friderici fil. vt ſuccederet patri multa molitur; ab Henrico autem, & Guilhelmo Auguſtis victus, pulſusq; apud Ratiſponam, eccleſias populatus eſt, quas in equorum ſtabula permutauit; quinto deinde anno à Manfredo fratre notho in Apulia venenum accepit, qui idem vt Siciliæ regno potiretur, fratri Henrico iuniori vitam eripuit; Conradinus verò Conradi filius à Carolo Gallo victus, ſecuri percuſſus eſt, qui finis fuit ſtirpis AEnobarbi.

CAP. XXVII. GVILHELMVS *Imperator.*
Anno 1246.

GVILHELMVS Holandiæ dux ſuperſtite Friderico à principibus electus poſt varia bella in Friſia occubuit; imperauit annos IX. inde ſequutum interregnum.

Imperatores, & reges vbiq; ijdem. Tartarorũ verò Mango Can.

Cathay vel Kithay regnum ſupra Indos omnium maximum opibus, & populorum frequentia in ſummo flore eſt; eius incolæ perſpicacia, & ingenij bonitate maximè præſtant, qui omnes omninò ſublunares regiones præ ſe barbaras ducunt, vnis Latinis exceptis, quibus lumen vnum, vt ſibi geminum tribuunt; literarum characteres habent perelegantes, idolis cæterùm deditiſ; quæ mira varie-

varietate colunt, author Haythonus Armenus.

Tartari quaquauerſum excurſiones faciunt, in Indiam, in Syriam, in Poloniam atq; Vngariam vſq; immenſo vbiq; damno illato.

De Eccleſia Chriſti.

183 Alexander IV.

ALEXANDER IV. Anagninus, pont. max. anno 1254. præeſt annos VI. menſes V. dies V.

Tartarorum imperator Mango-Can cum fratre Haolone ſolicitatus ab Armenorum rege, Chriſto redemptori dat nomen, baptiſmum ſuſcipit, priuilegia perampla Chriſtianis indulget, Caliphū ſummum pontificem Saracenorum, obiectis ei ipſius theſauris, fame enecat, multaque præterea pro fidei Chriſtianæ incremento præſtat; verùm ab Haolonis filio Tangadore aucti veteres Mahometani Chriſtianiſmum impediuerunt; poſtremò Sagomambar ſummus Tartarorum pſeudopropheta, antiquata tùm Chriſti Domini lege, tùm Mahometis inſania, ſibi religione omnes deuinxit. *Hayth. de hiſt. Orient. cap. 23. Theuet. lib. 12. cap. 18.*

Gentes Orientales his temporibus raræ Chriſti fidem retinebant: Perſæ penitus ad Mahometem deſciuerant; Medi itidem, vt & Chaldæi; Meſopotamij Chriſtianos Syrianos Saracenis mixtos habebant; Armeni conſtantiſſimi in fide ſemper fuerunt; Hircani, & Turcheſtani prorſus deſecerant; Bactriani, & Coraxeni, vel Coraſmini ſupra Parthiam, & Hircaniam nonnihil Græcorum rituum, maximè corporis Chriſti ſacrificium, & Antiocheni patriarchæ communionem, obedientiamque retinebant: Turcæ in Aſia, & Syria admittebant Saracenos Mahometanos, vnaque Chriſtianos diuerſi inſtituti, vt puta, Græcos, Armenos, Iacobinos, Neſtorianos, Maronitas. Georgiani in Colchide ſuper Armeniam firmi in fide erant; Indi deniq; B. Thomæ veſtigiis vtcunq; adhuc inſiſtebant. *Ex Haythone Armeno hiſtorico.*

Ddd 2

Hæreſes.

Guilhelmus Amorinus paupertatem euangelicam paſſim traducit, ab Alexandro pontifice extinctus. *Prateol.*

CAP. XXVIII. Electores.

Anno 1255.

INterregnum ſequutũ eſt omnium maximum poſt Guilhelmum imperatorem occiſum, nempe annorum XVIII. & menſium aliquot.

Richardus Angliæ regis frater electus non probatur cuique: Alfonſus Hiſpanus imperium detrectabat.

Electores itaq; Gregorio X. pontifice ſuadente, & impellente è principibus, penes quos ſolos eligendi ius eſſet, nominati ſunt ſeptem; ac ſancitum in hunc modum; Imperatoriam nullus hæreditariam dignitatem vendicato; principes ſex, ſacri ordinis tres, politici totidem eum deligunto; qui ſi diſcordes fuerint, Bohemiæ regem cooptanto. Sunt igitur ſacri Romani imperij electores archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, Treuerenſis; dux Saxoniæ, Palatinus Comes Rheni, Marchio Brandeburgenſis, & rex Bohemiæ. Horum inſtitutio à plerisq; Gregorio V. pontifici adſcribitur, huc potius accuratiore calculo referenda.

Imperator Græcorum fit anno 1255. Theodorus Iunior: tum anno 1258. Iohannes IV. Ducas: tum anno eodem Michael Palæologus, qui Francos Conſtantinopoli expulit.

Tartaris imperat adhuc Mango-Can: tum anno 1271. Eſu-Can.

In Gallia ſuccedit S. Ludouico anno 1271. Philippus III.

Hiſpaniam regit ab anno 1252. Alfonſus X. electus imperator, cognomento Sapiens: multa ſcripſit: ſacrorum bibliorum volumen cum commentariis quaterdecies perlegit.

In Vngaria Belæ IV. ſuccedit anno 1275. Stephanus V.

In Africa Carthago à S. Ludouico rege, Tunetũ à Carolo ipſius fratre occupatur, poſtqam controuerſia finium Gallicana cum Anglo compoſita fuiſſet.

De *Eccleſia Chriſti.*

184 Vrbanus IV.

VRBANVS IV. Trecenſis, Gallus, pont. max. anno 1261. Præfuit annos 3. menſem 1. dies 4.

Boruſſi populi per Teutonicos ordines ad fidem Chriſtianam amplectendam perſuadentur. *Naucler. in chron.*

Lithuaniæ rex Mandanus fidei apoſtata Chriſtianos atrociter perſequitur.

In Africa permiſſum à Saracenis Chriſti euangelium palàm prædicari. *Blond. lib.* 18.

185 Clemẽs IV.

CLEMENS IV. Narbonenſis Gallus, pont. maxim. anno 1265. doctus, pius, benignus, iuſtus; quicquid contra hæretici fingant. Præfuit annos 3. menſes 9. dies 25. *Onuphr. in Plat. Trithem.*

S. Thomas Aquinas doctor Angelicus, genere, fide, doctrina, & ſanctitate illuſtris monaſticam vitam ab ineunte ætate amplexus, vt Deo vnicè vacaret, plurima profundo, & luculento ſpiritu in ſacrã theologiam commentatus eſt, quibus illius rationes, fundamenta, & dignitatem delibandam faciliore methodo quibuſq; propoſuit: dogmata in theologia, alioquin obſcura, ſano ſemper ſenſu mira dexteritate declarauit, plus ipſe in rerum altiſſimarum indagatione precibus piis ad Deum fuſis proficiens, quàm ſtudio, & labore, tametſi in iſto indefeſſus eſſet: obiit quinquagenarius anno 1274.

Eutychius Bonauentura, epiſcopus Albanenſis, Cardinalis, Doctor, theologus elegans, opuſcula quæ mentem ad cœleſtes meditationes deuehant iucundiſſima, tum alia complura perſcripſit.

186 Gregorius X.

GREGORIVS X. Placentinus, pont. maxim. anno 1271. poſtquam cathedra ferè biennio vacaſſet creatus, legem de conclaui ad eligendum pontificem Cardinalibus dedit, autor etiã Electorum imperij, probitate inſignis; Præfuit annos IV. menſes 4. dies 10. *Onuphr. in Platinam, Trithem. Plat.*

Hæreſes.

RAimundus Lullius multa erronea de Trinitate, & aliis perſcripſit, dæmonum præſidia ſtatuit. *Prateol. de vitiis hæret.*

Deſiderius Longobardus Amorinum imitatur. *Idem.*

CAP. XXIX. RODOLFVS. *Imperator.*

Anno 1273.

RODOLFVS Habiſpurgius Comes, & Alſatiæ princeps, IX. Octobris Francofordiæ ab electoribus primus creatus imperator, & Lauſannæ à pontifice Gregorio ad Concilium eunte inauguratur, Othacarum Bohemiæ regem æmulum ſecundò vicit, domuit ordine Bauaros, Alſatica oppida, Marchionem Badenium, Heluetios ad Allobrogem pertinentes, Sueuos, comitem Virtembergium, Thuringos, quorum ad ſexaginta arces euertit, Brunſuigos, quos igne vaſtauit; Erfurtum quoque, vbi comitia coegit. Itaq; victoria multiplici conſpicuus, rebellione paſſim ſublata, imperiũ pacauit, Spiræ nobili monumento conditus; imperauit annos 18. minus dies 10.

Imperator Græcorum Palæologo ſuccedit anno 1283. Andronicus.

In Gallia Philippo III. ſuccedit anno 1286. Philippus 4. Pulcher.

In Hiſpania ſuccedit Alfonſo Sapienti anno 1484. Sanctius 4.

In Vngaria regnat anno 1278. Ladislaus 4. tum anno 1291. Andreas 3.

In Polonia regnat Boleslaus: tum anno 1279. Lesko Niger, ſub tutore Henrico primis annis.

In Anglia rex eſt ab anno 1273. Eduardus 4.

Auſtriæ

Auſtriæ ducatus ab imperatore Rodolfo conceditur Alberto filio, à quo genus ducit celeberrima nunc Auſtriacorum Archiducum, & imperatorum familia.

Italiæ ciuitates ab imperio diſcedunt, pecũnia redemptæ apud imperatorem, quòd illarum gubernatio Germanis plus malorum, quàm commodi adferret.

Vngariæ nobilitas bello inteſtino ad internecionem deleta eſt: reliqui ad ſtiuam redacti, ac iumentis abſumptis, homines biiuges pro vehiculis trahendis copulati ſunt.

Siciliæ regnum ad regem Arragonũ Hiſpaniæ deuoluitur, occiſis per coniurationẽ vno veſpere Gallis; vnde veſperæ Siculæ dictę.

De Eccleſia Chriſti.

CONCILIVM Lugdunenſe II. magnum œcumenicum ſacroſanctum celebratur anno 1274. præſidente Gregorio X. præſentibus epiſcopis quingentis; actum eſt cum Græcis, tredecies iam reconciliatis cum eccleſia Catholica, de proceſſione Spiritus ſancti in diuinis, hortante, & præſente Græcorum imperatore Palæologo. *tom. concil. AEmyl. 7. Blond. lib. 8. decad. 2. Trithem. Canus. 12. Theol. 6.*

Tartari principes legati concilio adfuêre, cum Palæologo eò profecti, vbi eccleſiæ Dei ordines, ac Hierarchiam contemplati, & ſimul miraculo permoto Caſſana vel Caſſahan rege, eccleſiæ ſe gremio permiſerunt. *Blond. eodem libro. Theuet. Merman. in theatro, ex Sabell.*

187 Innocentius V.

INNOCENTIVS V. Tarentaſius, Allobrox pont. maxim. anno 1276. theologus, & probæ vitæ, præeſt menſes V. dies II. *Trithem. chron.*

188 Adrianus V.

ADRIANVS V. Genuenſis, pont. max. anno 1276. præeſt menſem 1. dies 7.

IOHAN-

189
Iohannes
XX.

IOHANNES XX. Luſitanus, pont. max. anno 1276. præeſt menſes 8. dies 8.

190
Nicolaus
III.

NICOLAVS *III.* Romanus, pont. max. anno 1277. vigilantiſſimi, & æquiſſimi animi, doctos, & probos præ cæteris prouehebat, parciſſimè cibum ſumebat; in ſacrificio altaris lachrymas præ alta diuinæ miſericordiæ conſideratione non continebat, vir planè ſingularis, niſi in ſuos ex eccleſiæ opibus fuiſſet liberalior. Præfuit annos 2. menſes 8. dies 29. *Plat. Volaterranus.*

191
Martinus
IV.

MARTINVS IV. Turonenſis Gallus, pont. max. anno 1281. vir ſanctus, cuius à Deo ſepulchrum miraculis illuſtratum eſt. Præfuit annos 4. menſem 1. dies 7. *Trithem.*

Guilhelmus Durandus Mimatenſis, Iacobus Voragineus Genuenſis, AEgydius Bituricenſis, Nicolaus Cabaſylas Dyrrachinus epiſcopi. Adhęc Richardus Mediouillanus, Georgius Pachymerius theologi florent.

192
Honorius
IV.

HONORIVS *IV.* Romanus, pont. maxim. anno 1285. hominum eruditorum, & modeſtiæ Chriſtianæ fautor; præeſt annos 2. dies 2. *Trithem.*

193
Nicolaus.
IV.

NICOLAVS IV. Aſculanus ex Apulia, pont. max. anno 1288. pacis, & pietatis amator, principibus vt terram ſanctam peterent autor. Præfuit annos 4. menſem 1. dies 14. *Trith. Naucler.*

Ieru-

Ieruſalem ciuitas à Godefridi expugnatione annos plus, minus, ducentos in poteſtate ferè fuit, & ditione Chriſtianorum; eaq́; cum Palæſtina, & Syria vario marte, inconſtante ſemper ſtatu, plurimo ſanguine, maximis exercitibus attritis, ſæpe vel recuperata, vel amiſſa. Etſi enim ob viua, ſanctaq́; Domini, ac redemptoris noſtri illic hodieq́; exiſtentia monumenta digniſſima ea ſit, quam in Chriſtianæ religionis libertatem vindicent principes, & nationes vniuerſæ; indigni tamen ſumus nos, qui tanto, tamq́; admirabili bono diutius fruamur. Nec verò eſt, quod orbis totius flagitia hîc accuſemus; terra ſancta ne ipſa quidem immunis ab iis fuit, imo ſentina erat effecta hominum impuriſſimorum, & facineroſiſſimorum omnium, qui ſcelere notati ex Europa ſolum vertere cogebantur; his enim, & ſimilibus terra ſancta aſylum erat, in eaq́; ipſis ob loci vbertatem, amœnitatemq́; commercium erat ocium, libido, ludus, luxus, temulentia: quæſtus verò fraus, rapina; vt propterea infideles id Chriſtianis noſtris per contumeliam ſæpe obijcerent; indigniſſimè id ferente Deo, & per prophetam conquerente; Ipſi polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis, populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt. Ezech. *36*. Fruſtra igitur conſilia, & expeditiones tentabantur; fruſtra Haolon, ſeu Hielon Tartarorum imperatoris frater Chriſtianus factus in Perſiam penetrauerat, Aleppo ſiue Hierapolim, Damaſcum, & Syriam ceperat, Saracenos ex Syria Palæſtinæ penitus profligauerat, offenſo à noſtris, & ad vindictam prouocato numine; cuius furore excitatus AEgyptiorum Soldanus Saracenus ab anno 1290. ademit nobis terram ſanctam, ſimulq́; Syriam totam, cum maritimis munimentis Tripoli, Beryto, Tyro, Ptolemaide, quam Acon dicunt, Chriſtianis ſub iugum miſſis, imperatoq́; eis tributo. *Burcardus de terra ſancta cap. 2. ſectione 2. Haython. cap. 53. Naucler. Genebrard. in chron.*

Hæreſes.

FLagellantes fucata probitate, hoſtes euangelij, & baptiſmi plurimas regiones peruagantur. *Prateol. de vitis hæret.*

CAP. XXX. ADOLFVS *Imperator.*

Anno 1292.

ADOLFVS comes Naſſouius trium menſium interregno elapſo VI. Ianuarij imperator eligitur, poſtea cū tantis rebus adminiſtrandis impar eſſet, electo Alberto exautoratur cum imperaſſet annos 7. menſes 6.

Galliæ regno Eduardus Anglus rex iterum Normanniam, & Aquitaniam extorquere armorum vi conatur.

In Polonia Boleslaus, Henricus probus, Vladislaus, Primizlaus inſtabili ſorte ſuffecti, dimotiq; ſunt ab anno 1289. vſque ad annum 1299. quo Venceslaus rex Bohemiæ ritè electus, & coronatus eſt. Aliis in regnis ijdem adhuc principes regnant; & in Hiſpania Ferdinandus 4. anno 1295.

De Eccleſia Chriſti.

194 Cœleſtinus V.

COELESTINVS V. Sulmonenſis Italus, pont. max. anno 1294. vir ſanctus, oſor pompæ ſecularis, imitator Chriſti ſingularis, qui ſacerdotes Chriſti non equo ſed aſello vehi oportere dictitabat; abdicauit ſe vltrò, cum præfuiſſet menſes 5. dies 7. *Blond. lib. 9. decadis 2. Plat. Genebrard.*

195 Bonifacius VIII.

BONIFACIVS VIII. Anagninus pont. maxim. anno 1295. bene doctus, at parum pius: præeſt annos 8. menſes 9. dies 18. *Platina, & Blondus eodem libro.*

S. Rochus Narbonenſis vitæ ſanctitate celebratur.

Iohannes Dunſius Scotus, doctor ſubtilis ex ingenij ſummo acumine dictus, theologorum, & philoſophorum omnium acutiſſimus, Albertus Patauinus, & Hēricus Gandauēſis theologi florēt.

Guilhelmus Ebrodunenſis archiepiſcopus; Berengarius Biterēſis epiſcopus, Richardus Senenſis, & Dinus Mugellanus Sexti Decretalium libri autores florent. *Volaterr. præfat. 6. decret.*

Hæreſes.

PSeudoapoſtolici introducuntur à Gerardo Sagarello in pertinaci perfidia exuſto. *Prateol. de hæreſ.*

CAP. XXXI. ALBERTVS *Imperator.* *Anno* 1299.

ALBERTVS Auſtriacus Rodolfi fil. 27. Iul. electus imperator, Adolfum acie victum è medio ſuſtulit: filium Rodolfum armata manu Regem Bohemorum fecit; Bauaros, & Moguntinos domuit; interfectus eſt in Heluetia à Iohanne fratris filio; imperauit anno. 8. menſes 9. dies 5.

Imperatores, & reges iidem paſſim adhuc rebus præſunt.

In Vngaria ſuccedit Andreæ III. anno 1301. Venceslaus Bohemus: tum anno 1304. Otho dux Bauariæ.

In Polonia Venceslao Bohemo, Venceslai Vngariæ regis patri ſuccedit anno 1305. Vladislaus iterum.

TVRCORVM potentia bipartito cæpit; primùm ante ducentos quinquaginta annos, cum repudiatis ſtipendiis Perſicis, ſub quibus couſque militauerant, regnum ipſi per ſe in Aſia inchoauerunt: poſtea anno 1300. quo tempore cum Sultani principes, quos Turcomannos vocabant, ex Aladini poſteris apud Iconium regnarent, Othmanides principatu ad ſe traducto, ex regno imperiũ effecerunt, atque imperium illud Mahometicum, quod ſeptingentos ferè annos penes Saracenos fuerat, ad ſe raptũ porrò continuauerunt; quorum origo variè ab autoribus traditur; ſunt enim qui Turcarũ familias aſſerãt quatuor nobiles reliquas fuiſſe Aſſumbey, Candelori, Caramãni, & Othmãni, quarũ hæc ignobilior principatum ad ſe tranſtulerit, cæteris ſub iugum miſſis; porrò huius Otichmanis (ſic enim legendum eſſet, quòd Turcæ TH. litteram in Othmanne ſtridula proferãt lingua) variè item genus deducitur; aliis ab Oguze armentario Tartaro per monomachiã nobilitato; aliis ab Iohãne Iſacio apoſtata Græco, cui Aladinus Iconij Sultanus

filiam in vxorem dederit; hac enim ratione Machemetes imperator, qui Conſtantinopolim cæpit, ſtirpem à Græcorum imperatoribus Comnenis affectabat: aliis verò, quæ annalium Turcicorum opinio eſt, ab Ertucul Turca, quem Ortogulem vocant noſtri, qui Soleimani Scach filius, longa proauorum ſerie ab Iaphet filio Noë deſcenderit; cum enim Soleimanus pater à Tartaro Zingis-Chan Parthiæ regno exutus, nouas ſedes quæreret, & in Euphrate flumine merſus eſſet, filius Ertucul per ſomnium vidit Lunæ ſplendorem ex Mahometani antiſtitis ſinu in ſuum prodeuntem, atq; inde enatam arborem regiones latè obtegentem, quod de futuro imperio omen antiſtes Edebal interpretatus, Ertuculis filio Othmani dicto filiam ſuam coniugio copulauit, ex qua Othmanes ſuſcepit filios Vrchan Gaſi, & Ali Baſsà. His itaque auſpiciis mortuo Ertucule patre, Othmanes imperium nouum orditur, ac coactis copiis in Chriſtianos mouet, agros populatur, homines captiuos abducit, primamq; Iſmicam, Aſiæ minoris ciuitatem, è regione Cōſtantinopolis ſitam, à noſtris Niceam dictam, deinde Pruſam, vel Burſam, totamq; Bithyniam expugnat: ac Pruſa metropoli facta, templa euertit, Mahometanamq; inſaniam prouehit tanquam veram fidem, quando etiam ſe Muſulmannos dicūt, hoc eſt orthodoxos, & vera fide imbutos, cum ſint peruerſiſſima impietate corrupti & obcæcati. Hæc regni initia magna poſtmodum contentione, & induſtria propagarunt Othmanis poſteri, penes quos rerum ſumma hodieq; verſatur. Hæc origo fuit imperij iſtius ſtupēdi, quod Chriſtianorum religionem, & imperia miſerandum in modum hactenus obtriuit; efflagitante id ſcelerum multitudine, & impunitate: vt enim nihil profuit populo Iſraël confidere in verbis mendacij, ſubinde templum Domini, templum Domini iactitanti; ita non eſt cur ſibi multum applaudant Chriſtiani de agnitione Dei veri & filij eius ſaluatoris, quando ex mero Dei contemptu præcepta eius negligant; religionem peſſundent, atque ſpiritu ambulare deſierint; & pertimeſcendæ potius horrendæ cōminationes ſunt, quas Deus Chriſtianis grauiter intentat; cum ait; Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum eius, quia verba mea

non

non audierunt,& legem meam proiecerunt : ecce ego dabo in populum iſtum ruinas: ecce veniet populus de terra Aquilonis, ſagittam & ſcutum arripiet; crudelis eſt, & non miſerebitur. Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo , domus Iſraël , ait Dominus,gentem robuſtam,vniuerſi fortes,& comedet ſegetes tuas, deuorabit filios tuos,& filias tuas , & conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam.Ierem.6.& 5.

De Eccleſia Chriſti.

196 Benedictus.IX.

BENEDICTVS IX. Taruiſinus, pont.maxim. anno 1303.præeſt menſes 8.dies 6. vacat ſedes menſes 11.

197 Clemens V.

CLEMENS V. Burdegallenſis Gallus,pont.maxim. anno 1305. conſtitutiones Clementinas promulgauit, ſedem ob continuos bellorum in Italia motus Auenionem in Gallias tranſtulit, non ſine grauiſſimi ſchiſmatis occaſione, qua vtrobique eligendi ius conceſſum videbatur. Fuêre autem pontifices Auenione per annos ſeptuaginta. Præfuit ille annos 8. menſes 10.dies 16.*Volaterran.*

Iohannitæ milites Rhodum inclitam inſulam Saracenis extorquent,inde Rhodij milites deinceps appellati. *Blondus.*

Hæreſes.

BEgardi,& Beguini fratricelli in Italia,& Sicilia turmatim coeunt, ſacra noctu tractant; vnde ad concubitus promiſcuos diſcedebatur; coniugij,& magiſtratus iura tollunt. Eorum coryphæus Dulcinus erat.*Summa concil.Prateol.de vitiis hæreticorum.*

Balaam,& Acyndinus,peſſimè de Deo, & Chriſto in mõte Thabor transfigurato docent.*Prateol.*

CAP. XXXII. HENRICVS *VIII. Imperator. Anno* 1308.

HENRICVS *VIII.* Luzelburgenſis comes, poſt ſeptem menſium interregnum 25. Decembris imperator dictus Aquiſgrani Caroli Magni diademate, Mediolani ferreo, Romæ per Cardinales, abſente Pontifice, aureo coronatus comitem Virtenbergium, Eberardum, & Conradum Oetinganum, rebelles ditione exturbat; Italiam cum legionibus petit, vt ſeditiones tollat, ciuitates plurimas in fidem accipit; inde in Rupertum Siciliæ regem mouens in Calabria diem obiit, imperauit annos 4. dies 9. Vacat imperium menſes 14.

Imperatores, & reges adhuc iidem ſunt; in Hiſpania verò ſuccedit anno 1300. Alfonſus 11. in Vngaria anno 1310. Carolus: in Anglia anno 1307. Eduardus II.

TRAPEZVNTINVM imperium ex eo natum eſt, quòd inuadentibus circùm omnia Turcis, Trapezus ciuitas Cappadociæ ad pontum Euxinum, quæ antiquis Neocæſarea erat, S. Gregorio Thaumaturgo nobilis, cuius munimenta vaſto monte natura ipſa admolita eſt, externorum quamlibet vim facilè cluſit; atque in fide Conſtantinopolitani imperatoris permanſit quoad à præfecto, qui eò annuus ab illo mittebatur, detenta eſt; qui idem imperatorem ſe Trapezuntinum dixit, vt narrat Haythonus. Fuit verò diu Comnenorum principum ſedes, quorum maiores Conſtantinopolitanum imperium tenuerant.

De Eccleſia Chriſti.

CONCILIVM Viennenſe in Gallia ſacroſanctum generale habitum eſt anno 1311. præſidente Clemente pont. præſentibus patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, cū epiſcopis centum quatuordecim, actumq; de reformatione cleri, de terra ſancta recuperanda: tùm dānatæ quoq; hæreſes, & inſtituti profeſſores per Academias linguarū Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, & Arabicæ; quibus illarum periti paganos, & Mahometanos Chriſto lucrari poſſent. *tom. Concil. Palmer. Clementin. 5. tit. de magiſtris. 1. cap.*

Tem

Templarij toto orbe deleti ſunt, & facultates Rhodiis aſſignatæ. *Trith. Volaterr.*

CAP. XXXIII. LVDOVICVS IV. Imperator.
Anno 1314.

LVDOVICVS *IV.* Bauarus, Rodolfi ex filia nepos, poſt interregnum quatuordecim menſium 18. Octobris imperator contra Fridericum Auſtrium iiſdem comitiis Imperatorem dictum, electus, diu cum illo de ſumma rerum, maximis cum totius Germaniæ motibus, cladibusq; decertauit, ac victum abdicare ſe principatu coëgit. Inde quòd & Mediolanenſes, & factas, ſeditioſosq; contra eccleſiæ tranquillitatem tutatus eſſet, in pontificis cenſuras incidit; quarum fruſtra abſolutionem petens, nouis ſe implicuit, quod Iohannem Cerinthiæ ducem fortunis omnibus præter ius, faſq; exuiſſet, vxoremq; vnâ illi per vim ademptam filio ſuo nuptui dediſſet, quamobrem quoque exauctoratus eſt, cum imperaſſet annos 32. menſes 10. dies 24.

FRIDERICVS *III.* Auſtrius vnâ ab alia principum parte electus de imperio contendit annos 13. menſes 3.

Imperatores ſunt Græcorum Andronicus Senior adhuc; Andronius Iunior, anno 1332. deinde Iohannes Palæologus cum Iohanne Cantacuzeno; anno 1341.

Tartarorum Mongu Can adhuc: Turcarum Othmanes adhuc deinde Vrchanes.

In Vngaria Carolo regi ſuccedit anno 1342. Ludouicus.

In Polonia Vladiſlao ſuccedit anno 1332. Caſimirus Magnus.

In Anglia adhuc regnat Eduardus II. quo per vxorem, regis Galliæ ſororem Iſabellam pulſo, & occiſo per cuſtodes, Eduardus III. a matre Iſabella anno 1327. ſufficitur.

Alfonſus rex infidelium in Granatenſi prouincia inſolentiam pertæſus, implorata ſæpe Chriſti cœleſtis regis ope, in Saracenos, exercitu ducto, bino cõflictu illorũ ducenta octoginta millia cecidit, deſideratis ex ſuis non amplius viginti; ſunt qui quadringenta quinquaginta millia Mahometanorum ab eo cæſa afferant.

In

In Gallia rex eſt anno 1314. Ludouicus Hutinus, deinde anno 1316 Philippus Longus, tum anno 1321. Carolus Pulcher, quo ſine filio decedente regia dignitas ad nouum genus nempe Valeſiorũ tranſiit, excluſo Eduardo Anglo ſororio per legem Salicam; quæ Francis eſt in hæc verba; In terram Salicam mulieres ne ſuccedant.

Heluetij, gens non tam lata, quàm valida, quibus virtutis militaris laudem præ cæteris Gallis, & Germanis quibuſuis iam olim tribuit Iulius Cæſar, ab ipſo olim victi in Romanorum poteſtatem venêre; inde pars duci Alemannorum, & Sueuorum paruêre, pars Burgundis, donec à Rodolfo imperatore Auſtriæ vindicati imperio ſunt, à quo præfectos accepêre ad hoc vſque inteſtinum Germaniæ bellum; quo decertantibus de imperio Ludouico, & Friderico, Heluetiis inſtituendi vnam omnium rempublicam liberam occaſio bifariam data fuit; detrectabant iam intolerandam præfectorum tyrannidem, qua ſubditorum ſimplicitate per ſummum ſcelus abutebantur; deinde dum iidem præfecti compellere illos ad Friderici Auſtrij partes conantur, ſtudere illi Ludouico viſi ſunt, in odium præfectorum, quorum etiam duo contrucidati ſunt, tertius ob nefariam crudelitatem exactus cum clientibus, & fautoribus omnibus; quod indignè ferens Leopoldus Archidux Auſtriæ Friderici frater, exercitum in Suitenſes, & Tugios ducit, quo profligato ad Morgartum, Ludouicus imperator ternas litteras ad illos perbenignas dedit; verùm cum deſtituerentur eius contra Auſtrios infeſtos ope, primum fœdus, quod benè vertat, mutui auxilij, & amicitiæ icerunt Vilhelmus Tellius Vranienſis, alter Suitenſis, tertius Subſyluanus menſe Decembri anno ſecundo Ludouici, Chriſti 1315. quod fœdus, ne qua re offenſi Fridericum ſequerentur, imperator probauit, atque anno ſequente, conceſſis vna aliis immunitatibus, confirmauit; hinc illa αὐτονομία; quæ ſecunda Dei præpotentis benedictione, felici decurſu ad poſteros eſt propagata, & aucta paulatim aliarum ciuitatum acceſſione; ei enim ſe adiunxit Lucerna anno fœderis 17. Tigurum anno 36. Clarona, & Tugium anno 37. Berna anno 38. Serius Friburgum & Solodurum, nempe fœderis anno 166. Baſilæa, & Scaphuſia anno 186. poſtremò Abbatiſcella

tiſcella anno 198. Atq; hi ſunt tredecim, quos vocant, pagi, quorum ſingulis ſui ſunt magiſtratus, vna verò omnium reſpublica, quæ momēta rerũm in comitiis moderatur, & per legatos decidit. Porrò anno Chriſtiano 1339. Laupenum prælium in Heluetia fuit, quo Bernatibus iuncti tres pagici de hoſte ex comitum, & baronum copiis longè numeroſiore victoriam retulerunt inſignem; cuius quidem gloriam hiſtoriæ maiorum Deo magis quàm virtuti hominum acceptam referunt: ijs enim proditum eſt, Bernates tum frequentes ad Deum preces feciſſe, ſanctorum interceſſiones, inprimis S. Vrſi martyris, & S. Vincentij patroni, & martyris poſtulaſſe; atq; vt Ioſue arcam Dei in hoſtem extulit, ita eos Theobaldo paſtore hortatore, & autore ſacroſanctam Corporis Dominici Euchariſtiam ex vrbe in caſtra copiis prætuliſſe; quam illorum fidem mox eſt victoria conſequuta.

Turcorum imperator II. Vrcan Gaſi, noſtris Orchanes vocitatus, dum Græci duo imperatores de Conſtantinopoli digladiantur, Galatiam regionem occupat, ac poſtremis annis per Helleſpõtis freti anguſtias in Europam traijcit, ridentibus Conſtantinopolitanis, ac Zemenicum ſeu Chiridocaſtrum, & Calliopolim ſui iuris facit: filios duos habuit Soleimã Baſſa, & Sultan-Murat-Chan-Gaſi.

De *Eccleſia Chriſti.*

199 Iohannes XXI. IOHANNES XXI. Cadurcenſis Gallus, pont. max. fit anno 1316. hunc hæreticos non pudet inſimulare erroris, ac ſi docuiſſet beatorum animas Dei viſione ante iudicium extremum non frui, cũ nil illa de re vnquam definiuerit, vt eius ſucceſſor teſtatur. Præfuit annos XVIII. menſes III. dies XXVIII. *Extrauag. Iohan. PP. Sixtus Senenſ. 6. biblioth.* 345.

Nicolaus Lyranus, Bartholomæus Vrbinas, Petrus Aureolus, Guilhelmus Ocamus, Nicephorus Gregoras ſcriptores theologici florent.

199 Benedictus X.

BENEDICTVS *X.* Tholoſas, pont. max. anno 1334. ſinceri, ſanctiq; animi, magna cura monaſticos ordines reformare contendit. Præeſt annos VII. menſes 4. dies 6. *Trithem.*

S. Sepulchrum Domini noſtri Ieroſolymis à Sultano ſeruãdum permittitur presbyteris Catholicis inſtituti D. Franciſci, per quos cultus diuinus in ſancta illa baſilica perpetuò deinceps peractus eſt, & peregrini aduentantes hoſpitio accepti.

200 Clemẽs VI.

CLEMENS *VI.* Lemouicenſis Gallus, pont. maxim. anno 1342. mitis piiq; ingenij, Ludouicũ tamen cenſuris damnauit, atque de imperatore alio creando electores monuit. Præfuit annos 10. menſes 7. *Trithem.*

Nicolaus epiſcopus Conſtantienſis bienni fame alternis diebus terna & quaterna millena pauperum cibo dato aluit. *Stumpf.*

Hæreſes.

LOlhardi in Auſtria peruerſo ſpiritu, Deum, Dei genitricem, ſanctos, ſacramenta, ſacrificium, eccleſiamq; vniuerſam inceſſant; ita à Valthero Lolhardo inſtituti, qui traditus igni Coloniæ, ſcintillas in Bohemiam vſque, Huſſinis eiaculatus eſt. *Trithem.*

CAP. XXXIV. CAROLVS *Imperator.*

Anno 1346.

CAROLVS *IV.* Iohannis Bohemiæ regis filius, Henrici VIII. Imp. nepos elect' eſt imperator XI. Iulij, ſuperſtite Ludouico, quæ res cũ nõ omnibus probaretur, mortuo ſequẽti anno Ludouico, dicti ſunt ex ordine Cæſares Eduardus Anglus, Fridericus Miſnius; & his recuſantibus Guntherus Nigrocaſtrinus, quo ſe abdicãte; Carolus coronatus eſt Romæ; bis Italiam cum exercitu petiit, ciuitates rebelles expugnatas põtifici reſtituit, magna cũ laude imperiũ moderatus eſt, & comitiis actis pulcherrimas imperio leges dedit, quæ Aureâ bullâ, ab ipſo edita, continentur; imperauit annos 32. menſes 7. dies 14.

Impe-

Imperatores Græcorum ſunt abdicante Iohanne Kantacuzeno, Iohannes Palæologus ſolus: Tartarorum adhuc Mongu-Can, deinde anno 1372. Cublai-Can.

In Hiſpania Alfonſo 11. ſuccedit anno 1350. Petrus Crudelis, à fratre occiſus: tum anno 1369. Henricus II. In Polonia anno 1370. Ludouicus Vngarus.

In Gallia bella ſunt cruentiſſima inter Anglũ, & Francum, præcipuè inſignis pugna illa Creſciana, qua principes, & nobiles plurimi cecidêre: Delphinus eo tẽpore primus dictus eſt Carolus maior natu. Succeſſit verò Philippo Valeſio anno 1350. Iohannes; tum anno 1364. Carolus 5. Sapiens.

Turcarum III. imperator anno 1358. Sultan-Murat-Chan, noſtris Amurathes; dũ adhuc de imperio Græci diffidẽt, ex Aſia principatũ in Europã transfert; vbi Cherroneſum, Philippolim, Hadrianopolim, Cumulzam, & Maroniam in Thracia, atq; Macedonia cum aliis capit; adhæc in Aſia Cæſaruntẽ Ponti, Cotyaiũ Phrygiæ, & Hierapolim; demũ etiã in Europa Seruiã, & Bulgariã prouincias ſubiugat, Lazaro principe Seruiæ victo; à cuius ſeruo traiectus ſica obiit Filios tres habuit Siaus Zelebi, quem excæcauit, Bajaſith, & Iacup-Zelebi.

De Eccleſia Chriſti.

SAncta Brigitta regiis natalibus ex Suedia illuſtris, vitã illuſtriorem ex virtutũ diuinarũ ſtudio effecit, ordinẽ Brigittanũ inſtituit, miraculorũ, prophetiæ, reuelationumq; gratia à Chriſto caſtimoniæ amatore dotata: qui inter cætera ei apparuit recẽtibus plagis cruentus in hæc verba; En iterũ crucior à Chriſtianis qui me vel ſpernunt, vel amore non proſequuntur. *Trithem. Surius.*

S. Catharina Senenſis admirabilis ſanctitatis virgo, repudiatis huius vitæ illecebris, continentia, & in proximum charitate plurimum excelluit; cibo primùm parciſſimè, deindè raró, tandẽ nullo vtebatur; tãto amore animæ in Chriſtum ſponſum cœleſtẽ ſuccenſa, tantiſq; ab ipſo diuinis dotibus exculta, vt ipſius Chriſti Domini per apparitionem colloquiis familiariter, & beatorũ viſionibus ſæpe frueretur; multos ſceleratos admirabili gratia ad pænitentiam

conuertit;ad eam iter facientes è pagis, & montibus gregatim cõfluebant homines, vt de Chriſti mandatis differentem audirent; migrauit ad thalamum ſponſi ætatis anno 33. *Raimundus de Capua.*

201 Innocentius VI.

INNOCENTIVS VI. Lemouicenſis, Gallus, pont. max. anno 1352. epiſcopos, & paſtores omnes eccleſiis à Chriſto commiſſis præſentes adeſſe mandauit; nulli cuiuſquam eccleſiæ curam niſi eruditione, & virtute exculto tribuit, non tam beneficij opulentis, quàm Chriſtianorum ſalutis rationem habendam eſſe dictitans. Præfuit annos 9. menſes 8. dies 26. *Platina.*

In Vngaria Ludouicus rex autore S. Peregrino epiſcopo Boſnienſi eccleſias auxit, Cumanos Tartaros ad Chriſtianæ ſalutis gratiam adduxit, Patarinos Lipnæ incolas Sclauos ad Catholicam fidem reuocauit. *Bonfin. lib.* 20.

202 Vrbanus V.

VRBANVS V. Mimatenſis Gallus, pont. maxim. anno 1362. præeſt annos 8. menſes 2. dies. 23.

Patriarcha Neſtorianorum Maraus electus, ex Oriente Romam venit, vt à pontifice confirmaretur; quò eodem tempore Vrbanus Auinione profectus erat: ea enim antiquitus Neſtorianis lex eſt, patriarcham à quatuor archiepiſcopis inungi, & conſecrari, ſi deſint, ad Romanum pontificem proficiſci oportere. Quam legem Siudes patriarcha, poſtea eandem ob cauſam ad Iulium III. Romam veniens, teſtificatus eſt in ea profeſſione, quam ſuorum omnium nomine apud pontificem fecit, quæ ex Syriaco tranſlata, latinè, & vulgari lingua proſtat. *Theuet. in coſmographia.*

Abyſſini Chriſtiani ex ampliſſima vicina Indis prouincia, Cataya à Tartaris exturbantur. *Theuet. coſmogr.*

203 Gregorius XI.

GREGORIVS XI. Lemouicenſis, Gallus pont. max. anno 1371. Romanam ſedem miſſa Auenione repetiit; præfuit annos 7. menſes 2. dies 29.

Johannes Taulerus Colonienſis, Franciſcus Petrarcha celebres ſunt ſingulari eruditione.

Hæreſes.

IOhannes Viclefius Anglus ingenij acumine ob negatum epiſcopatum Vigorienſem peruersè locato, multa ex Marcionis, & Manichæorum, & ſimilium erroribus ex orco reuocat; libros plures ſcribit, ex quibus quadraginta quinque errores deſumpti Conſtantiæ damnantur. *AEneas Sylui. Bohem. hiſt. cap.* 35. *Concil. Conſtant. ſeſſ.* 8.

Adamitæ in Bohemia oriuntur: Berchtoldus Rorbachius impiè affirmat Chriſtum in cruce deſperaſſe; Michaël Ceſenius; Marſilius Patauinus; Claudius Taurinus, erronea nonnulla diſſeminant. *Præteol. Naucler.*

Lamperiani, & Armacani Viclefium ex parte ſequuntur; Turelupini opibus, & pudore deſtitutam vitam more Cynicorum ducunt. *Prateol. ex Ioan. Gerſone.*

Pſeudopropheta Mohometanus exurgit in Africa. *Theuet. coſm.*

CAP. XXXV. VENCESLAVS *Imperator.*

Anno 1379.

VENCESLAVS, Bohemiæ rex Carolo patre 26. Febr. mortuo, imperator in comitiis appellatus, non niſi ocium ferè, & voluptates ſectatus, à principibus per conſenſum pontificis abire imperio coactus eſt, cum imperaſſet annos 21. menſes 5. dies 28. inde in Bohemia adhuc regnauit per viginti annos.

Imperator Græcorum Palæologo ſuccedit anno 1384 Manuel 2. Tartarorum adhuc eſt Cublai-Can.

Galliæ rex Carolo V. ſuccedit anno 1381. Carolus VI.

In Hiſpania regnum adeptus anno 1379. Iohannes cæſus eſt à Luſitanis; cui ſuffectus eſt anno 1390. Henricus III.

In Vngaria Ludouico mortuo ſucceſſit anno 1382. Maria filia; deinde anno 1385. Carolus II. Neapolitanus; tum anno 1386. Sigiſmundus Caroli 4. Imp. filius, ducta in vxorem Maria.

Poloniæ regnum anno 1386. Iagelloni Lithuaniæ duci per nuptias Heduigdis filiæ Ludouici vltimi regis defertur: qua in Iagulana ſtirpe porrò perſtitit.

Angliæ rex eſt anno 1377. Richardus II.

Mediolanenſium dux primus ab imperatore nominatur Galeatius, qui complures ciuitates Italiæ ad ſe pertraxit.

In Heluetia prælium commiſſum eſt ad Sempachium anno 1386. quo cæſus eſt Lupoldus dux Auſtrius.

Turcarum 4. imperator fit anno 1390. Bajaſit-Gilderùn-Cân, vel Baiazetes, qui Soleimanem fratrem ſtrangulat, Bulgariam denuo inuadit, Boſniam & Croatiam, partimq́; Sclauoniam vaſtat, ac diripit: Conſtantinopolim vrbem octo annis obſidione premit, vicumq́; in ea ex pacto cōſequitur; Thraciā magna ex parte ſubiugat, Valachiam diripit; Vindinam ad Iſtrum expugnat; adhæc Malatiā in Aſia ad Euphratem, & in Morea Ferigē; inde Armeniam, Syriam, & Damaſcum inuadit, veteres Turcomanos Caramania auita ſede exuit, à quibus ſolicitatus Tamerlanes arma in ipſum vertit. Sub eo Turcæ plurimum à probitate, & priſtina integritate degenerauêre; prolem habuit numeroſam ipſe, ſeptem filios Orthobut; Emir Soleiman; Muſtapha Zelebi; Iſa Zelebi; Muſa; Sultan-Muchemeth; Caſan Zelebi; & filiam præterea cuius nomen obſcurum manſit, & ignotum.

De Eccleſia Chriſti.

204 Vrbanus. VI.

VRBANVS *VI.* Neapolitanus, pont. max. anno 1378. præeſt annos 11. menſes 6. dies 7. Elegerunt verò alij Auenione Robertum Genuenſem, deinde Petrum Lunam Hiſpanum, & AEgidium, contendentibus contra Romanos Auenionitis, per quinquaginta annos. *Onuphr.*

Academiæ Colonienſis, Erfurdienſis, & Cracouiana inſtituūtur.

Iagello

Iagello princeps paganus, rex Poloniæ creatus baptiſmum cum fide ſalutari ſuſcipit, Vladislaus dictus, qui in omni vita præcepta Chriſti qua potuit maxima obſeruantia perfecit, ſtatos ieiuniorum dies ſemper obſeruauit, vino penitus abſtinuit, ſexto quoque hebdomadis die, morte Saluatoris ſacrato, panem tantum cibarium ſumpſit, citra vllum obſonium, aut potum; qua ſpectata in Deum pietate ad centeſimum ferè annum vixit. *Hoſius Confeſſ. cap. 91. Olaus Mag. hiſtor. 2. lib. cap. 1.*

Lithuania eiusq; metropolis Vilna poſtrema in Europa ad Chriſti fidem Vladislao duce accedit. *Munſter.*

205 Bonifacius IX.

BONIFACIVS *IX.* Neapolitanus, factus pont. maxim. iuuenis, anno 1389. probè ſe geſſit; Annates poſtulauit. Præfuit annos XIV. menſes XI. *Volater. Platina.*

Hæreſes.

IOhannes Huſſius cæpit virus in Bohemia ſpargere, imperatore conniuente, ac ne Senatores quidem ſuos ab Huſſinis ad necem abreptos, aut expulſos defendente; plura inferius. *AEneas Syluius hiſt. Bohem. cap. 35.*

Albani ex alpibus turmatim in Italiam ruunt, duce presbytero quodam hypocrita. *Palmer. Naucler.*

CAP. XXXVI. RVPERTVS *Imperator.*

Anno 1400.

RVPERTVS Palatinus comes, exauctorato Venceslao 20. Auguſti, mortuoque Friderico mox vt Venceslao ſuffectus erat, imperator deſignatus, cum legionibus Italiam, vt Florentinos contra ducem Mediolanenſem defenderet, ingreſſus, parum profecit; imperauit annos 9. menſes 8. dies 22.

Roma capta eſt à Ladislao rege Neapolitano, qui repulſus inde eſt à Paulo Vrſino Romano duce.

Imper. & reges iidẽ paſſim regnãt; in Anglia regnũ ca[illegible] 1399.

Henricus III. in Hiſpania anno 1407. Iohannes II.

TAMERLANES, rectius Temir-Chan, & Temir-Lanc, ex Scythia trux Tartarus, ex inope raptore immanis bellorum concitator, coacta hominum ſupra decies centena millia in aciem eduxit, quibus conterrito orbe toto, in Mahometanos latè per Aſiam impetu facto, Turcorum ferociam repreſſit, quorum ducenta millia collatis ſignis deleuit, imperatorem Baiaſitem captum, vinctum catena aurea, & cauea ferrea incluſum ad ſpectaculum circũuexit, & vt quidam volunt, ſcabelli loco conſcenſurus equum adhibuit; Iberiam, Albaniam, Meſopotamiam, Armeniam, Parthiam, Perſiam, AEgyptum peruaſit: erupit primùm, vt ex annalibus Turcicis liquet, primis propè Venceslai annis, Baiaſitem vicit ſub Ruperto; regiam habuit vrbem Hircaniæ, vel Sogdianæ Samerchandam; filios reliquit duos, quibuſcum regnum extinctum eſt.

Turcorum V. imperator factus anno 1404. Emir-Soleimanes dum voluptates conſectatur, à fratre regno exutus eſt inglorius; profugientibus filio Vrchan-Zelebi, & filia Conſtantinopolim.

Bombardicę machinæ pyrio puluere diſplodēdæ Venetiis à Germano excogitatæ ſunt.

De Eccleſia Chriſti.

206 Innocentius VII.

INNOCENTIVS XII. Sulmonēſis, pont.max. anno 1404. Præeſt annos II. dies XXI.

207 Gregorius XII

GREGORIVS XII. Venetus, pont. maxim. anno 1406. à ſynodo Piſana ſimul eſt cum Petro Luna, quem Benedictum III. vocitabant, officio motus, cum præfuiſſet annos II. menſes VII. dies V. *Onuph. in faſtis.*

ALEXAN-

209 Alexander V.

ALEXANDER V. Cretenſis. pont. max. anno 1409. theologus eleemoſyna, & probitate plurimũ commendatus, nihil ſibi reliquum fecit, diſtributis in pauperes facultatibus omnibus, factusq́; eſt ex diuite epiſcopo, pauper Cardinalis, & demum põtifex mendicus. Præfuit menſes 10. dies 8. *Onuph. in Plat. Thcuet. coſmogr.*

209 Iohannes 22.

IOHANNES XXII. Neapolitanus, pont. max. anno 1410. Conſtantienſe Concilium conuocat; quo ita cenſente, primatu ſe abdicat, cum præfuiſſet annos 5. dies 15. *Onuph. in Platinam.*

Græcarum literarum ſtudia, & diſciplinæ poſteaquam tot barbarorum per Europam excurſionibus in altum ſilẽtium demerſæ, ſeptingentis ferè annis è Latinorum ſcholis exulaſſent, ab Emmanuele Chryſolora Conſtantinopolitano ex Græcia reduces aduectæ, excitatæ primùm ſunt ab eo Venetiis, Florentiæ, Romæ, & Ticini; quem ſequuti deinde ſunt Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Gregorius Tiphernas qui Pariſiis floruit, Hieronymus Spartiata, tum Iohannes Argyropylus, Demetrius Chalcocondyles Atticus, Turcicorum motibus & immanitati cedentes; quorũ ſtudio, & opera effectum eſt, vt Græcarũ literarum fontes, & floſculi paſſim inter Latinos reuireſcerent.

Theologi florebant tum quoq; Thomas Kempenus, ſpirituali doctrina plurimum præſtans, Iohannes Capreolus, Petrus Alliacus Cardinalis, & epiſcopus Cameracenſis, Bartholomæus Vrbinas epiſcopus, Iohannes Gerſon, Thomas Valdenſis, Antonius Panormitanus; adhæc ſanctitatis laude celebres S. Bernardinus, & S. Vincentius Valentinus, aliiq́; complures.

Laurentius Valla elegantiæ excitator, M. Paulus Venetus, & Alfonſus rex Arragoniæ item florent.

Hæreſes.

IOhannes Huſſius in Bohemia ex Viclefij libris doctior euaſiſſe ſibi viſus, cum etiam eſſet lingua expeditus, faſtos, neſaſtosque

dies ad prædicandum impendit, eccleſiam Catholicam, fidem Apoſtolicam, & veritatem Chriſtianam impugnat, eiectus verò ab archiepiſcopo in pagum concedit, vbi diuerticula fraudis inſtituit. *AEneas Syluius cap. 35. hiſtor. Bohem. & Bonfin. lib. 22.*

Petrus Dreſſenſis, & Iacobellus in Bohemia nouas turbas excitant, negantq; primi ſufficere ſacram ſub panis ſpecie communionem. *Syluius ibidem.*

CAP. XXXVII. IODOCVS *Imperator* *Anno* 1410.

IODOCVS Marchio Brandeburgenſis, Caroli 4. ex fratre nepos, poſt interregnum trium menſium imperator nominatus, imperat menſes 6.

CAP. XXXVIII. SIGISMVNDVS *Imperator.* *Anno* 1411.

SIGISMVNDVS Caroli 4. fil. rex Vngariæ menſe Martio imperator conſalutatus, prudentia, æquitate, militiaq; multam laudem conſequutus eſt; pacis tamen, quàm belli artibus felicior; contra Turcorum impreſſionem maximis cum principum auxiliaribus copiis in Vngaria bis pugnauit, ſed in fugam actus, dein Germanorum robore ſtipatus in Ziſcam Bohemum principem hæreticum duxit, nullo tamen ſucceſſu; quod malum iam inualuiſſet; prouincias Europæ Gallias, Hiſpanias, Angliam, & alias triēnio ipſe obiuit ad conciliandam eccleſiæ pacem; Fridericum Auſtrium ob receptum Iohannem pontificem à Concilio abrogatum fortunis omnibus exuit; deinde verò reſtituit: coronatus eſt ab Eugenio: Imperauit annos 26. menſes 8.

Imperator Græcorum Manueli ſuccedit anno 1418. Io hannes 7. Palæologus; Turcorum eſt anno 1411. Muſa: tum anno 1414. Muchemetes: tum anno 1422. Murates II.

In Vngaria regnat Sigiſmundus Imperator, vt & in Bohemia mortuo Venceslao. In Anglia anno 1413. Henricus 5. tum anno 1422. Henricus VI.

Cliuiæ ducatus ex comitatu ab imperatore excitatur; Sabaudia Allobrogum item ducatus inſtituitur primo duce Amedæo.

Italiæ ciuitates inteſtino ſe bello conficiunt; Ludouicus Caroli 5. Galli filius Galeatij ducis Mediolanenſis filiam in vxorem ducit.

Gallia ab Anglis, & Burgundis maxima clade afficitur, Carolo 7. qui anno 1423. Carolo 6. ſucceſſerat, propemodum regno exuto, ac apud Bituriges tantiſper delitеſcere coacto, quoad à Iohanna Viragine Aurelianenſi militari manu ereptus, ac Rhemos, vt coronaretur, deductus eſt; proclamato interea Pariſiis in ſummo templo rege Henrico 6. Anglo.

Turcarum 6. imp. Muſa, aliis Moſe, fratrem Iſa Zelebi interficit, triennio contra fratrem Soleimanem armis decertat; contrà verò Muchemet Chan tertius frater Muſam è medio tollit.

Turcarum 7. imp. Sulthan-Muchemet-Chan, noſtris Machometes, ex Aſia in Græciam contra fratrem Muſam cum exercitu tranſmiſit, imperatore Conſtantinopolitano ſubminiſtrante naues; Valachiam, quæ Daciæ pars eſt, vaſtauit, eiq; tributum imperauit; cætera ferè ſuorum motibus, & ſeditionibus reprimendis occupatus filios duos reliquit, Sulthan-Murat-Chan, & Muſtapha-Zelebi, ſeu Calepinum.

De Eccleſia Chriſti.

CONCILIVM Conſtantienſe ſacroſanctum vniuerſale Sigiſmundi imp. hortatu anno 1414. & deinceps per quadriennium celebratũ ſuſtulit contentiones de primatu, quæ interceſſerãt inter Gregoriũ 12. diu ante exauctoratũ, quàm Iohannes 22. electus eſſet, & Petrũ Lunã cognomento Benedictũ 3. antipapã obſtinatũ; illis enim Concilio ſe ſubmittẽtibus abrogatus omnibus eſt pontificatus; & ſuffectus Martinus 5. Damnati quoq; fuêre Vicleſij, & Huſſij plurimi errores. Interfuêre huic Concilio patriarchæ 4. Cardinales 29. archiepiſcopi 47. epiſcopi 160. Abbates & doctores 560. ſimulq; ipſe Sigiſmundus imp piiſſimus, Ludouicus dux Saxoniæ, Ludouicus comes Palatinus Rheni, Ludouicus dux Sileſiæ cũ cæterorum principum legatis frequentiſſimis. *Tom. concil. Naucler. Canus lib. 5. Theol. cap. 5. & 6.*

Samogethia fidem Chriſtianam ad ſalutem conſequendam edocetur. *Merman. in theatro conuerſionis gentium.*

210 Martinus V.

MARTINVS III. aliâs V. Romanus, Conſtantiæ creatus pont. max. anno 1417. ſapientia, virtutibus, eruditione, integritate conſiliorum eccleſiæ pacem plurimum promouit; ei vt primum in concilio pontifex renunciatus fuit, imperator Sigiſmundus, cui eius ex diutina conſuetudine perſpecta erat ſinceritas, lachrymas præ gaudio ſolutus, ad pedes ſe abiecit, in ſpem bonam veniens tanto viro à Deo ad primatum prouecto, rebus eccleſiæ optimè conſultum iri. Præfuit annos 13. menſes 3. dies 10. *Onuphr. Plat. Naucler.*

Græcorum eccleſia legatis ad pontificem miſſis ſe in ſententiã Romanæ eccleſiæ de fide concedere velle declarat. *Naucler. in chronographia.*

211 Eugenius IV.

EVGENIVS IV. Venetus, pont. maxim. anno 1431. probitati ſtuduit, multa egregiè perfecit. Præfuit annos XV. menſes XI. dies XXI. *Platina.*

Concilium Baſilienſe inchoatum anno 1431. graues ob cauſas Ferrariam, deinde Florentiam transfertur; ac propterea quæ deinceps per annos XII. Baſileæ habitę ſunt ſeſſiones autoritate carent, & qui illic quoque electus antipapa fuit Amedæus dux Allobrox Felix V. appellatus, ſponte ſe dignitate abdicauit. *Melch. Canus. 5. theol. cap. 6. Naucler. Soteallus de ſumma ſynodorum.*

Hæreſes.

IOhannes Huſſius, & Hieronymus Pragius errorum in Concilio Conſtantienſi conuicti, cum apertis, quod propheta ait, oculis non viderent, nec auribus audirent, veluti in reprobum ſenſum dati, obſtinatiq; damnati ſunt; igniq; traditi; & quidem longè alia ratione quàm vulgus aduerſariorum calumniatur: neutri fide vllo modo violata; nam quod ad Pragium attinet, nulla ei fides, vltrò ſe

illuc

illuc conferenti, data fuit; Huſſio ſaluus cõmeatus ab imperatore factus eſt, ſed ea lege, ne Conſtantiâ, propoſita capitis pœna, excederet, id quod chirographo in ſe recepit; aufugit tamen, ſublatus itaq; ſimul eſt ſaluus commeatus datus, & incurrit ipſe in capitis ſupplicium; retractum ergo ex fuga conſul Conſtantienſis iudicio reſtituit, obſtinato animo pertinacem ſynodus hæreticum iudicauit, atque ſacra ſacerdotali dignitate exutum, & execratum, quod degradatum vocant, magiſtratui ciuili permiſit, qui capitis damnatum flammis, & Vulcano cõſecrauit fruſtra Chriſtum inuocantem, quum vbi ſana non eſt fides, ait D. Auguſtinus, non potuit eſſe ſalus aut iuſtitia, quia iuſtus ex fide viuit. Oportebat verò eum, vel maximè agentem cauſam non ad tribunal imperatoris, aut de prædiis huius mundi, ſed de fide, & eccleſia Chriſti, & quidem apud eccleſiæ totius conſeſſum, laboraſſe pro ſaluo commeatu ab eccleſiæ proceribus, & præpoſitis impetrando; quod cum & neglexerit, & contempſerit; quid eſt obſecro, cur eccleſiam temeratæ fidei, quam nullam dederat, inſimulent aduerſarij? itáne verò liceat apud Chriſtianos calumnias contorquere in eccleſiam, de qua cõtra Huſſium quoque Saluator pronunciat, qui eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus? Intoxicauit autem Huſſius venenata doctrina non ſolum Bohemiam, quæ adhuc ex parte per eum aberrat, verumetiam Morauiam, Sileſiam, ac Germaniæ, & Poloniæ confinia; & præter animas hæreſi peremptas, in Bohemia peſtilentiſſimos cõcitauit motus, per ſuos ſectatores, qui duce inſano Ziſca, quem propugnatorem hæreſeos nactus erat Huſſius, ſæuierunt in quoſuis, populati ſunt agros, demoliti templa, euerterunt ſacra; vt rectè de hæreticis huiuſmodi B. Auguſtinus dicat: Videte, inquit, quid faciunt, & quid patiuntur; occidunt animas, affliguntur in corpore; ſempiternas mortes faciunt, & temporali ſe affici conquerentur. *Auguſt. lib. 1. de ſermone Dom. in monte, & tractatu 11. in Iohan. Concil. Conſtant. ſeſſ. 15. Naucler. gen. 48. Edmundus Campianus ratione fidei 4. AEneas Syluius de Bohem. cap. 36. & ſeq. Bonfin. lib. 22. & 23. Martinus Cromerus de Polonia lib. 16. & 20.*

Ziſca vnoculus Huſſinorum dux immani furore percitus, co-

aƈto exercitu principum copias in Bohemiam duƈtas omnes repreſſit, viƈtor contra Chriſtianos æquè, ac Turca ſemper extitit; pellem ſibi mortuo detraƈtam tympano induci mandauit, cuius ſonitus etiam poſt mortem, aiebat, hoſtes orthodoxos territos in fugam ageret. *Sylutus ibidem Bonfin: Cromer.*

Orphanos ſe dixerunt Huſſini amiſſo duce Ziſca, quem alterum Gedeonem dicebant; Huſſium verò, & Hieronymum venerabiles, & ſanƈtiſſimos martyres habuerunt; tales enim colit hæreſis martyres. *Sylius Peucerus in chronicis.*

Thaboritæ iidem vocitabantur, qui in area, vbi caſtra Huſſini fixerant, oppidũ ſanƈtum ſcilicet Thabor excitarunt; ſic omnia per ſacram ſcripturam palliare nituntur hæretici. *Sylutus Bonfin.*

Orebitæ eodem è fonte emanarunt, ad Græcenſem vrbem; à quibus atrociter in presbyteros ſæuitum eſt. *Naucler. ex Sylutio.*

Pragæ tandem tantum effecit Sigiſmundus imperator, vt poſtquam furores Huſſinorum coercuiſſet, Catholica fides, & ſacra diuina aliqua ratione reſtituerentur. *Bonfin. lib. 3. decad. 3.*

Striges, & ſagæ in Gallia paſſim deprehendũtur, quibus pleriſq; ex magia faſcinum conficere in vſu erat. *Theuet. coſmographia lib. 14. cap. 17.*

CAP. XXXIX. ALBERTVS *II. Imperator.* *Anno* 1438.

ALBERTVS *II.* Auſtrius, Sigiſmundo ſocero in imperio calend. Ianuarij ſufficitur, Bohemos ſubiugauit, ex Vngaria Turcis feliciter profligatis, Sinderouiam, & Theſſalonicam cæpit. Imperauit annum 1. menſes 9. dies 27. ſubſecuto bimeſtri interregno, iiſdem regibus alibi: in Noruegia, & Dania verò regnante Chriſtophoro Bauariæ duce.

Turcorum imperator faƈtus anno 1422. Sultan Murat-Chan, vel Amurates, Duſmen, Muſtapham ementitum patruum armis fregit, fratrem Muſtapham rebellẽ interfecit; Smyrnæ deſpotã Turcomanũ expulit, varias faƈtiones principis Caramaniæ cõtra Othmanidas attriuit. Chriſtianis verò ademit Theſſalonicã, Sãderouiã,

Nouo-

Nouogradum quæ ab Alberto recuperata iterum maiore cum clade ſunt amiſſa: vaſtauit, ac diripuit Valachiam., Epirum nunc Albaniam, Vngariam Alba Græca obſidione tentata; ſub iugum miſit Seruiam, & nobiles Græciæ regiones Macedoniam, Achaiam, Bœotiam, Atticam; penetrauit in Peloponneſum, ductis in eam, & Epirum coloniis; captis, aut trucidatis vbique Chriſtianis; Vladislaum regem Vngariæ adoleſcentem ingenti cum Chriſtianorum clade ad Varnam fudit, & interfecit. Habuit filios tres Aladin-Zelebi, Sultan-Muchemet Chan, & alterum Zelebi, qui fide cum baptiſmo ſuſcepta, Caliſtus Othmanides eſt dictus.

De Eccleſia Chriſti.

CONCILIVM Florentinum ſacroſanctum œcumenicum Ferrariæ anno 1438. inchoatum, cum migraſſet Florentiam, ſequenti anno abſolutum eſt, præſide pontifice Eugenio 4. præſentibus imperatore Iohanne, & patriarcha Conſtantinopolitanis. Redintegrata in eo eſt vnio Græcorum, Armenorum, Indorũ cum eccleſia Catholica, ac declarata denuò proceſſio Spiritus ſancti in diuinis ab vtroque. *tom. 4. concil. Palmer. Plat. Volaterr.*

Armeniæ legati, & AEthiopes aliquot qui de Ieroſolymitano itinere Romam perrexerant concilio interfuêre; qua occaſione Eugenius legatum ad Magnum Imperatorem AEthiopiæ, presbyterum Iohannem vulgò dictum, miſit exhortatum eum ad eandem eccleſiæ communionem. *Blond. lib. 3. Roma inſtaurata. AEmyl. lib. 10. ex epiſt. Dauidis AEthiopiæ regis ad Clementem 7.*

Hæreſes.

GRæci, poſtquam diſceſſum à concilio fuiſſet, reuertuntur ad vomitum, incentore Marco Epheſino archiepiſcopo, qui quod in ſacro conſeſſu accuratè diſputatum, definitumq; fuerat, nouis argutiis poſtea inter ſuos eleuauit, deluſitq;, Græcosq; ab inita fidei conſenſione extremùm abduxit. Fuit hæc Iſraëlis à domo Iuda infelix ſeceſſio, ac quaſi factis gradibus ruina in ſummam perniciem, ab errore de Spiritu ſancto, qui Deus pacis eſt, in ſchiſma, & rupturam vnitatis eccleſiaſticæ; ab hac deinde in iacturam fidei, libertatisq; Chriſtianæ; ex quo illi in reprobum

ſenſum

ſenſum dati,eccleſiam catholicorum etiam quotannis palàm exe crantur:cum tamen,quod partim Bellonius annotauit,partim ipſi vidimus, atque audiuimus dum in Orientalibus eccleſiis in illorũ libros reliquos,laceros incidiſſemus,vltrò fateantur longè beatiores nos Latinos eſſe, tanta in fidei libertate, tantaq; librorum, & optimorum autorum copia; cum illis Turcæ nihil reliquum faciant, niſi abſtruſioribus locis perraris: ſimulq; rogati, cur ab ea quæ illorum maioribus fuerat,fidei,& eccleſię vnitate deſciuerint, nihil habeant quod ſolidè reſpondeāt; ac conſtet Græcorũ veteres ſanctos doctores ea crediſſe,ac docuiſſe,quę iam illi negẽt;illorũque patriarchas S. Athanaſium,S. Chryſoſtomum, S. Cyrillum,vt alij omittantur, Pontificem Romanum primarium agnouiſſe, ab eoq; contra aduerſariorum factiones opem imploraſſe; cui nunc illi ſuũ patriarchā Conſtantinopolitanũ temerè æquant;vtrectè dixerit S. Cyprianus ;nõ aliunde hæreſes obortas eſſe,aut nata ſchiſmata,quā inde,quòd ſacerdoti Dei nõ obtẽperatur;nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex, vice Chriſti cogitatur. Cæterùm habẽt ſua adhuc Græci altaria,& ſanctorũ imagines, ſacrificium liturgiæ vel miſſæ frequentant,veram Corporis Dominici præſentiam in Euchariſtia fermentati indubitatò credũt, hymnorum concentus continuant artificioſa, & varia notularum dimenſione; cætera eorum quibus cum Latinis conſentiunt,etiam in iis quæ nunc Caluiniani, aliiq; negant, nota ſunt ex cenſura Orientalis eccleſiæ, quam Græci ipſi contrà Lutheranos proximè ſcripſerunt. *Cyp.lib.1. epiſt.3.ad Cornel.Pont.Genebrard.chron.Bellonius obſeruationum lib.1.cap.39.& 40.*

CAP. XXXX. FRIDERICVS *III. Imperator.*

Anno 1440.

FRIDERICVS III. Auſtrius Calendis Ianuarij Imperator appellatus eſt,magni ſed ſedati,religioſi,æquique amantis animi,palàm profitentis, illos ſibi iam amiciſſimos fore, quibus Dei maior, quàm imperatoris ineſſet timor; tumentes thraſones,morionesq; ex aula,& comitatu dimouit;principes, & ſenatores voluit non fucatam

catam,ſed cum candore ſententiam dicere: coronatus eſt à Nicolao pontifice: fratris Alberti factione ab Vngaris, Bohemis, & Morauis Viennæ obſidione cinctus,Bohemiæ regis opera euaſit; bellum cum Tigurinis contra Heluetios mouit; tum in Ludouicum Bauarum; demum in Belgas,vbi Gandauo expugnato, Maximilianum fil. captiuum liberauit, imperauit annos 53. menſes 7. dies 19. nam vt Volfius inquit, Nullus ab Auguſto tenuit tot ſceptra per annos.

Imperator Græcorum vltimus eſt ab anno 1445. Conſtantinus Palæologus:Tartarorum Zadachmat:Turcorum adhuc Murates, deinde Machemetes II.tum Bajaſites.

Gallia regnante Carolo VII.à Pariſiis recepto, liberatur tandem diutinis Anglorum bellis,recuperata Normania, & Aquitania :cui ſuccedit anno 1461. Ludouicus 11. à Burgundis preſſus: tum anno 1484. Carolus 8.

In Hiſpania Iohanni II.ſuccedit anno 1454.Henricus 4.tum ann. 1474.Ferdinandus Magnus.

In Polonia Ladislao Iuniori ſuccedit anno 1445.Caſimirus.

Vngariæ regnum cæpit nutare; ei verò præeſt Eliſabetha cum filio Ladislao poſthumo,ex Alberto imperatore ſuſcepto:tum anno 1440. Vladislaus Lituanus à Turca cæſus:tum anno 1444. Iohannes Coruinus Huniades adminiſtrator: tum anno 1452. Ladislaus Alberti imp. filius: tum anno 1458. Matthias Coruinus Huniades:tum anno 1490.Vladislaus rex Bohemorum.

In Anglia Henrico 6.ſuccedit anno 1460.Eduardus 4.tum anno 1482. Richardus 3.

Bohemiæ regnum Georgio rege ob hæreſim exauctorato,Matthiæ Vngaro defertur.

Heroës tres fortiſſimi,& clariſſimi armorum laude florebāt,Iohannes Coruinus Huniades Vngarus, pio æquè ac excelſo animo; in Turcos ſæpè, & conſtantiſſimè pugnauit, multis illorum millibus cæſis; ac perſtitit cum ſuis in conflictu aduerſus obſtinatos ad Belgradum continuo triduo,noctiduoq;;idemq; Turco vniuerſæ Europæ per Vngariam, & Germaniam imminenti velut murum ſe imperterritus obiecit,reſtititq;.

Georgius Caſtriotes Epirota Turcis Iſchenderbeg, quaſi Alexander princeps dictus, noſtris Scanderbegus, animi vigore, corporisq; robore tàm pedes, quàm eques, cùm monomachia, tùm prælio in barbarum hoſtem excellens, præter cæſos, profligatosq; ipſius ductu totos exercitus, duo millia hoſtium ſua manu maximo ictuum impetu trucidauit.

Albertus Marchio Brãdeburgius cognomẽto Achilles Germanicus cũ principibus bellũ Norimbergæ & ciuitatibus imp. intulit.

Heluetij mille ſexcenti, anno 1444. Delphinum Gallum viginti quinque milliũ exercitu Baſilæam accedentem adorti hoſtiũ duo millia fuderunt; deleti ipſi ad vnum præter ſedecim: Quinto poſt anno pugna Galterana fuit inter Friburgum & Bernam.

Conſtantinopolis inclita imperij Chriſtiani altera Metropolis anno 1453. die 29. Maij, à Machomete Turca expugnata eſt, ac ſæuitum à barbaris immani crudelitate in Chriſti fideles, imperatori Conſtantino Palæologo caput abſciſſum, ac lanceæ præfixum per vrbem ſublimè circumlatum eſt, matronæ nobiles, virginesq; ingenuæ diu ludibrio habitæ, ab impuris Mahometanis compreſſæ, ac violatæ, deinde verò membratim acinace diſſectæ ſunt, ex quibus quem euẽtum ſacra, templa, religio, ciues, & ſine nomine vulgus ſortita fuerint, æſtimari facilius, quàm dici poſſit. Paulò ante oſtentum Comi in Italia ſub veſperam mirum viſum eſt; canes ingenti numero per aërem videbantur incedere, tum pecora, mox pedites primùm leuis armaturæ, tum haſtati; tandem turmæ equitum inſtructa velut acies, quos ductabat imperator immani proceritate, vectus equo terribili.

Trapezus & ipſa imperialis vrbs ſeptimo poſt anno eandem ſortem ſubiuit, Dauide Calojohanne Comneno imperatore Conſtantinopolim abducto, & iugulato in carcere.

Carolus Burgundiæ dux grauiter bello Ludouicum 11. Gallum afflixit, Treuerim ad imperatorem ſplendidiſſimo apparatu veniẽs regium ambiuit nomen; Reinhardum Lotharingiæ ducem principatu expulit; inde verò in Heluetiam ducens, aliter quàm putarat exceptus, primùm apud Granſonẽ collatis ſignis fugatus, & caſtris exutus eſt, ſpoliis opimis relictis; reuertens deinde cum cẽtum mil-

libus ad lacum Murtenſem, amiſſis ſuorum triginta millibus iterũ profligatus eſt anno 1476. tertiò apud Nanceam Lotharingiæ, quò profectæ erant Heluetiorum octo millium auxiliares copiæ, cæſus eſt. Ignoti tum apud Heluetios auri cupido nulla erat, maior verò probitas, virtusq́; ; Caroli monile ingentis pretij, quo adamas gemma prægrandis aureo in emblemate, multis vnionibus, & margaritis cincta continebatur, Heluetius quidam repertum vendidit aureo floreno; alter itidẽ Heluetius aureũ illius torquem aurei velleris auguſtiſſimũ apud Nanceã, ex ſpoliis nactus, vt carius cũ venderet, Mediolanũ trãs alpes pertulit; pro quo acceptis duobus aureis, domum contentus repedauit; ſcilicet quantò rerum minus, tantò minus cupiditatis erat.

Turcorũ 9. Imp. fit anno 1450. Sultan-Muchemet-Chan, noſtris Machometes II. poſt Conſtantinopolim captam, & Trapezuntem, Bozinæ regẽ deuicit, Valachiã, & Albaniã, & Daciã ſubiugauit; Mytilenẽ, & Eubœã inſulas expugnauit; Parthorũ regẽ (ſic enim Turcici annales vocant, quem nos Perſam dicimus) Vſum-Chaſam ſemel, atq; iterũ cæſum in fugã egit; Cheroneſum Tauricã ſupra pontum Euxinũ, Moldauiã regionẽ, & Hydruntũ Italiæ maritimã ciuitatẽ ſub iugũ miſit; Vngariã deinde infeſtans bis repulſus eſt, atq; à Scanderbego in Græcia egregiè agitatus, accepta ingenti ſuorum ſtrage. Præ cæteris verò memorabilis illa clades fuit, qua à Perſa ducenta Turcorũ millia cæſa ſunt; quibus tamen incitatus magis Machometes, quàm fractus, Chriſtianos viſus eſt excindere velle penitus; poſtquã enim extorſerat ex noſtrorũ poteſtate duo imperia, regna duodecim, ciuitates ducẽtas, cũ otij impatiẽs eſſet, reparatis viribus, emiſit terra, mariq́; tripartitũ exercitũ, nempe in Italiam, in Rhodũ inſulam, quam Sabaudi ducis fortitudo tenuit & in AEgyptũ; quas inter expeditiones tamen, cõprimente illius furores Deo propitio, animam exhalauit. Filios habuit tres Muſtapham, Baiaſit-Chan, & Zemi, ſeu Gemes, qui cũ finibus à fratre arceretur, in Italia vitam egit, cuius filius Chriſtianus Rhodũ concedens, ea capta cõſtans in fide martyrio coronatus eſt occiſis vnà cũ ipſo pro Chriſti nomine duobus filiis, filiabus verò Cõſtãtinopolim deportatis.

MOSCOVITAE in Sarmatia ſub Tartarorum imperio agentes, excuſſo iugo, anno 1478. ducem ſuum Iohannem imperatorem crearunt longè in vicinos imperio prolatato, & Nouogrado vrbe occupata.

De Eccleſia Chriſti.

212 Nicolaus V.

NICOLAVS V. Lucanus Hetruſcus, pont. max. anno 1447. ſapientia, integritate, eruditione, immortali laude dignus, ſacra Theologiæ, Philoſophiæ, & eloquentiæ ſtudia longa barbarie obſita, in lucem & nitorem reuocauit, conquiſitis vndique bonorum autorum voluminibus, & doctorum virorum opera ſtipendiis publicis liberaliſſimè donata; hac enim via & ad ſcholas paſſim inſtituendas omnes inflammauit, & ſuppeditatis affatim ſelectioribus autoribus, tam linguarū ſtudium propagari, quàm diſciplinarum ingenuarum, vnaq; elegantiæ ſeminaria poni curauit; Vaticanam illam bibliothecam ex veterum ſcriptorum theſauris inſtructiſſimam collegit, & ſimul ad producenda patrum, & doctorum eccleſiæ opera hortatus eſt, propoſito quinque millium aureorum præmio ei qui S. Matthæi euangelium hebraicè attuliſſet; hinc factum eſt, vt erutis vndequaque patrum ſcriptis, ad hæreticorum ſequentium confutationem omnis generis ſanctiſſimorum autorum copia ad manus fuerit, è qua veteris, & primæuæ eccleſiæ fides deprompta, huicq; noſtræ orthodoxæ collata, per omnia ei Catholicæ, Apoſtolicæq; veritatis teſtimonium mirabili conſenſu attulerit. Præfuit eccleſiæ annos VIII. dies XIX. *Volater. Plat. Eckius homil. de S. Matthæo.*

Gennadius patriarcha Conſtantinopolitanus, Iſidorus Archiepiſcopus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius cū aliis viris doctis è Græcia in Italiam demigrant, alij Græcorum etiam ſcripta latinè vertunt, inter quos præcipuè Ambroſius Camaldulenſis abbas excellit.

Academiæ inſtituuntur in Germania, Friburgenſis Briſgoiæ, Baſilienſis, Ingolſtadienſis, Tubingana. *Munſter. Lanb. Ruſtenius cathalogo Academ.*

Typo-

Typographica ars Moguntiæ in Germania primùm inuenta, & elaborata eſt, per Iohannem Fauſtum Gutenbergerum. *Volat. Plat. Polyd. Petrus Ramus lib 2. ſcholar. Mathemat.*

S. Antoninus archiepiſcopus Florentinus, Iohannes Turrecremata Cardinalis, Iohannes Indagineus Carthuſianus theologi florent.

Flauius Blondus, Matthæus Palmerius, Antonius Bonfinius, Baptiſta Platina inſignes hiſtorici florent.

Georgius Rorbachius Germanus Mathematicas diſciplinas primus inſtaurat.

213 Calixtus III.

CALIXTVS III. Valentinus Hiſpanus, pont. maxim. anno 1455. magno zelo in hoſtem Chriſti Domini Turcā tum Chriſtianos, tum Perſam, Vſucaſſanum incitauit, cuius rei gratia Perſa legatū Romam miſit, qui memorabilem illam victoriam, eius precibus, & monitis acceptam renunciaret; benignus idem fuit in pauperes, & planè liberalis. Præfuit annos III. mēſes 4. *Plat. Palmer. in chron.*

214 Pius II.

PIVS II. Senenſis, pont. max. anno 1458. antea AEneas Syluius dictus, ſcriptor elegans, ac rerum gerendarū cum ſingulari dexteritate peritus. Præeſt annos 5. menſes 11. dies 27. *Platina.*

215 Paulus II.

PAVLVS II. Venetus, pont. maxim. anno 1464. præeſt annos 6. menſes 10. dies 26.

216 Sixtus IV.

SIXTVS IV. Sauonenſis Ligur, pont. max. anno 1471. ſub quo Roma Tyberis inundatione, tempeſtate, annonæ caritate, & tumultibus grauiter afflicta eſt. Præfuit annos 13. dies 4. *Onuphr. in Platinam.*

Dionyſius Richelius Carthuſianus polygraphus; Beſſarion Cardinalis Græcus, Angelus Clauaſinus florent.

Ambroſius Calepinus, Pomponius Lætus, prius Petrus Calaber dictus, Rodolphus Agricola, Iohannes Regiomontanus mathematicus, qui Romæ docuit, celeberrimi viri clarent.

217 Innocentius VIII

INNOCENTIVS *VIII.* Genuenſis Ligur, pont. max. anno 1484. poſt varia Italica bella pacem optatam coluit; ei Bajaſites Turca munera miſit ſpiculum lanceæ, ſpongiam, & arundinem dominica paſſione ſacrata, quæ Bohemundus quondam Antiochia Conſtantinopolim deportauerat. Præfuit annos 7. menſes 10. dies 27. *Volaterr. Theuet. coſm cgr.* 11 *cap.* 4.

Nicolaus Subſyluanus, quem fratrem Nicolaum de Vndervalden vulgò nominamus, apud Heluetios admirabili manſuetudine, animi demiſſione, abſtinentia, & ſanctitate floret; quinquagenarius vxorem, liberos, facultates reliquit, Chriſti Domini amore & Iohannis exemplo, in eremum ſe abdidit; vbi porrò viginti annos minus menſes ſex expers cibi omnis, potusq;, diuinis meditationibus deditus animam vno ſuſtentabat cœleſti pane, nempe corporis ſanguinisq; Dominici ſalutari ſub ſacrificio miſſæ communione, quam in ſpiritu ruminans, paſſionis Chriſti recordatione condiebat; ſathanæ præſtigias, quæ multæ fuerunt, eadem ſemper animi tranquillitate eludebat, ſæpè in extaſin raptus, in diuinarum viſionum reuelationem penetrabat; vnde præter alia, hæreſim futuram, eamq; præcauendam diuinitus prædicabat: multa Heluetiis præclara monita cùm diuina, tùm humana dictabat; migrauit ad Dominum anno 1487. claretq; ſepulchrum miraculis. *ex hiſtoria eius Heluetica.*

Hermolaus Barbarus patriarcha Aquilegienſis, Angelus Politianus, Gabriel Biellus theologus, Iohannes Picus Mirandula; Baptiſta Mantuanus poeta, Marſilius Ficinus, Iouinianus Pontanus, Iodocus Baduis, Philippus Beroaldus viri eruditiſſimi, & ſimul Laurentius Valla Lutheri prodromus.

Raphaël Volaterranus, Iohannes Trithemius abbas, Polydorus Virgilius

Virgilius, Antonius Sabellicus, Iohannes Nauclerus, Baptiſta Egnatius, Philippus Bergomas, Paulus AEmylius, Robertus Gaguinus, Franciſcus Irenicus, Albertus Krantzius hiſtorici celebres.

Hæreſes

GRæcorum eccleſia, Conſtantinopoli capta, à Mahometanis penitus oppreſſa eſt, anno milleſimo à primo ſchiſmate Anatolij patriarchæ, poſtquã à Nicolao 5. ſumo Pontifice anno 1451. extremùm literis paternis admoniti, à ſchiſmate, & hæreſi reſipiſcere noluiſſent; ſcripſerat verò Pōtifex prophetico ſpiritu ſecurim iã ad radicē arboris cernēs, inter alia in hæc verba: Excuſatiònes optimè cūctas nouimus, ſed toleramus, in Ieſum reſpiciētes ſempiternum ſacerdotē, & dominū, qui ſterilē illam ficū vſq; ad tertiū annū iuſſit aſſeruari, agricola iam ad exſcindendã arborem ſe accingente, quia nullū fructū ferebat. Quæ verba de tertij anni termino ad reſipiſcēdū dixit, cū poſtea ponderaret Græcorū patriarcha Gennadius, dū ſuorū obſtinatū animū, & excidiū deplorat, his verbis ipſos alloquitur; O magnã calamitatē! anno 1451. hanc pontifex conſcripſit epiſtolam, & anno 1453. capta eſt Conſtantinopolis; nū poteſtis dicere hæc vera nō eſſe? minimè gentiū, cū id ſit manifeſtū & res ipſa loquatur, tres inquit annos expectabimus, ſi vos forte à ſchiſmate, & ſeparatione cōuerteritis, & vos vero decreto adiunxeritis, ſecundū ſaluatoris de ficu præceptū; ſi verò non, excindemini, ne terrã ocioſam, & inutilē reddatis; hoc miraculorū miraculū maximū; hactenus Gennadius, & recte; tertio enim anno à ſcripta per pontificem epiſtola. Conſtantinopoli capta eſt; tum idē Gennadius alio loco, apud vnos Latinos eccleſiã Chriſti extare aſſeuerãs, apud Græcos verò minimè; omnis, inquit, Græcorū eccleſia, imò verò totus Oriens à Machomete abſorptus eſt; nónne videmus omnes patriarchas, atque epiſcopos, ac ſacerdotes in poteſtàtem veniſſe Mahometis? & ab eo petere ſacerdotij facultatem? & pedibus eius aduoluuntur, & pro eo etiam inuiti deprecantur: in quo loco collocabis, Portæ inferi, id eſt, hæreticorum ora aduerſus Chriſti eccleſiam non præualebunt? minimè apud Græcos ait; vbi ita euaſêre ſuperiores hæretici, imò infideles & alienigenæ, vt dulce Chriſti

Chriſti nomen nemo poſſit liberè proferre: hactenus Gennadius. Atque hic quidem euentus hæreſeos Arrianorum, Eutychianorũ, Pneumatomachorum, & ſchiſmatis fuit: & ita eccleſia Orientalis olim florentiſſima, quæ decem tribubus Iſraëlis rectè comparatur, ab Aquilonari principe Aſſur perpetua captiuitate oppreſſa, & libertate Chriſtiana exuta eſt. *Gennad. lib. pro defenſione primatus pont. Romani ſect.* 14. & 12.

Picardus priuata doctrina delectatur, purgatorium ignem negat: contra quem initio Lutherus ipſe ſcripſit, *in reſolut. indulgent. concluſ.* 15.

Hermannus Riſuichius è Luciani ſchola prodiens Ariſtotelem philoſophum ſanctæ Chriſtianæ doctrinæ anteponit, atque euangelica dogmata plura ad fabulas relegat. Exuritur Romæ ſub Alexandro. *Prateol. de hæreſib.*

CAP. XLI. MAXIMILIANVS. *Imperator.*
Anno Chriſtiano 1493.

MAXIMILIANVS Auſtrius, cum 19. Auguſti humanis Fridericus 3. pater exceſſiſſet, imperator Chriſtianorum ſuffectus eſt. Is poſt variam fortunam in adoleſcentia expertam, magnanimitate, prudentia, & in Deum confidentia clarus effectus, bello Belgas, Vngaros, Heluetios tentauit; Rupertum Palatinum comitem fortunis omnibus priuatum, in Bauaria fudit: inde Geldriæ duce in ordinem redacto, fœdere cum Pontifice, & Gallis icto, in Venetos ducit, quibus pleraſque ciuitates ademit, præcipuè Veronam, Paduam, Teruiſium. Iulij Cæſaris exemplo ſuas ipſe res geſtas deſcripſit. Imperauit annos 25. menſes 4. dies 25.

Imperator Turcarum eſt Bajaſithes 2. adhuc: cui ſuccedit anno 1512. Selymes. Parthorum, ſeu Perſarum Iſmaël.

Sultanus AEgypti Canſaues, & poſt eum Tomambai poſtremus. Moſcouitarum dux Iuuan Baſilouiz; Baſilius Iohannes.

Galliæ rex adhuc eſt Carolus 8. à quo regnum Neapolitanum eſt ſubactum, quod tamen paulo poſt per deditionem rediit ad Ferdinandum Hiſpanum: Carolo ſucceſſit in Galliis anno 1498. Lu-

douicus

douicus 12. qui Italiam bello laceſſiuit: quo ſine filio mortuo, extincta familia Capetorum, deuolutum ſceptrum eſt ad gentem Valeſiorum; ac creatus eſt rex anno 1515. Franciſcus Valeſius dux Engoliſmius Caroli defuncti gener, Borbonio duce regij ſtemmatis magiſtro equitum facto. Fuit verò Franciſcus filius Caroli Valeſij, qui Caroli Sapientis dudum regis Galliæ pronepos erat, animi magnitudine, rerum bellicarum gloria, rerum gerendarum prudentia clariſſimus, & qui magno quoq; ſtudio conquiſitis viris doctiſſimis academias ad ſummum florem excitauit.

Hiſpaniæ regnum quod Caſtellæ, & Legionis præcipuum eſt, augetur acceſſione Arragoniæ, Valentiæ, Nauarræ, Granatæ; adhæc externorum Siciliæ, & Neapolis in Italia, auſpiciis Ferdinandi V. cognomento Magni; qui quidem Granatam regnum decennali bello expugnat, anno 1492. pulſis inde Mauris & Saracenis, qui octingentos annos eam inſederant: ei ſucceſſit anno 1504. Philippus Auſtrius Maximiliani Imperatoris filius, ducta in vxorem Iohanna Ferdinandi filia: tum anno 1516. Carolus 5. Imp. Philippi F. tertio anno ante adeptum imperium.

Regnant porrò in Luſitania poſt Iohannem II. anno 1495 Emmanuel Africæ, & Indiæ regnis penetrandis & ad religionem Chriſtianam inuitandis immortali laude dignus: in Vngaria anno 1490. Vladislaus: in Polonia anno 1492. Iohannes Albertus: tum anno 1501. Alexander: tum anno 1506. Sigiſmundus: in Anglia poſt Henricum 7. anno 1508. Henricus 8. in Scotia anno 1490. Iacobus 4. tum anno 1513. Iacobus 5. in Dania poſt Iohannē anno 1513. Chriſtiernus.

Virtembergiæ comitatus ab imperatore in gratiam Eberhardi principis ducatus dignitate cenſetur.

NOVVS ORBIS detectus primùm eſt à Chriſtophoro Columbo Italo, qui quum apud Ferdinandum regem Hiſpaniarum ageret, ſæpè fatigatum precibus regem tandem permouit, tres vt illi naues permitteret, quibus Deo duce, & auſpice per vaſtum Oceanum nouas regiones, & populos aperiret. His igitur rectà ſecundùm Occidentem ſolem contendens, anno 1492. primùm ad inſulam Hiſpaniolam abs ſe dictam appellit, ac rediens anno eodem;

mox cum ſeptemdecim nauibus,quibus præter artifices, armenta, frugum ſemina,atque alia,mille ducenti milites vehebantur, eodẽ denuò remeat;ac poſt varias pugnas cum peregrinis illis incolis,arces, oppidaq́; excitat, præſidia locat, repetitq́; Hiſpaniã anno 1495.

Americus Veſpucius Hiſpanus, anno 1497. cum noua claſſe eodem deuehitur,qui iis inſulis non contentus,continentem terram perueſtigat,eamq́; repertam de ſuo nomine Americam vocat; anno ſequente Parias ab eodem aperitur, quarto deinde anno inſulæ quæ poſt Cubam viſuntur.

Braſilia,& ipſa Americæ pars in meridiem excurrens anno 1500. à Petro Aluaro Caprali, dum in Indiam cum claſſe Portugalleſica nauigat,vi tempeſtatis in occaſum abrepto, reperitur.

Perunia,& Picora Braſiliæ partes mediterraneæ reperiuntur anno 1512.tum etiam ordine in Septentrionem Hiſpania noua, Terra florida,Noua Francia,& reliquæ prouinciæ.

INDIA poſt veterum notitiam iterum hoc ſæculo detecta eſt, anno 1497. ab Emmanuelẽ rege Portugalliæ, rem Chriſtianam augendi cupidiſſimo, Vaſcum Gambam principem virum cò cum tribus nauibus ablegante;qui circum Africæ oram vaſtiſſimo gyro circumuectus,poſtquam in Indiam penetraſſet,exantlatis plurimis periculis anno ſequente in Portugallia redux appulit. Repetiuêre deinde Indiam cum iuſta claſſe Luſitani ijdem Emmanuelis itidem auſpiciis, qui expugnatis vrbibus, inſulis, regnis, ſimul aperuerunt inſulas peramplas,& opimas Madagaſcar, Zacotoram, Taprobanam,Iauam vtramque, Moluccas, cum aliquot millibus aliis, quæ anguſtiores perhibentur: adhæc ſequentibus annis Schinam ſeu Sinarum prouinciam,& Iaponiam nobilem, ampliſſimamq́; inſulam. Indicarum expeditionum duces fuêre ordine poſt Gambam, Odoardus Paciecus, Franciſcus Almeida, Alfonſus Albuquercius.

In Africæ regnis Feſſa, Azamora & Maroco rex Luſitanus Emmanuel Mauros bello fatigat, occupatq́; aliquot illorum oppida, vt etiam Hiſpanus rex Tripolim Barbariæ.

Magellanus Hiſpanus anno 1519. ex Hiſpania cum quinque nauibus ſoluens,ac maritimam oram Americæ legens,ad eius meridianam metam peruenit,quam anguſto freto prætervectus, per alte-

rum hemiſphærium ad inſulas Moluccas Indiam verſus vela fecit; ipſo verò perfidia inſularis cuiuſdam regis è medio ſublato, ac quatuor nauibus longa tempeſtatum violentia detritis, quinta ex cæteris refecta cognomento Victoria, cui præfectus erat Sebaſtianus Canus, in Indiam peruenit, atq; inde circum Africam ducta, in Hiſpaniam incolumis rediit tertio anno; totius orbis terrarum, & aquarum circuitum per gyrum emenſa.

Heluetiis intercеſſerunt pugnę aliquot cum Sueuis, & Cæſarianis anno 1519. quo ad Baſilæam cæſi ſunt hoſtium ſexcenti, vno tantum ex Heluetiis deſiderato; apud Conſtantiam duabus pugnis cæſi ſunt hoſtium bis mille quingenti, & ad Fraſtentiam tria millia, deſideratis Heluetiis vndecim; in Malſeris campis, & ad Dornacum tribus hoſtium millibus cæſis, amiſerunt de ſuis centum: antea quoque anno 1513. propugnantes ducem Mediolanenſem, Nouariæ à Ludouico rege obſeſſi, facta per ipſos è ciuitate in Gallos excurſione, per ipſa bellicarum machinarum fulmina mille quingentos ſuorum amiſerunt, antequam ad hoſtem, vt manum conſererent, deuenirent, qua ſuorum ſtrage nihil conſternati, hoſtium ſex millia cæciderunt, cæteris profligatis, ciuitate ab obſidione liberata; inde eodem anno Diuionem in Burgundiam expeditionem ſuſceperunt, vnde pacatis à Gallo rebus reuerſi ſunt.

Turcorum 10. imp. Sultan-Bajaſit-Chan, vulgò Baiaſetes fratrem Zemin finibus pellit, Chriſtianos fines Albaniæ, ſeu Epiri, & Illyricum vaſtat, Sultanum AEgypti laceſſit, Græcię ciuitates Naupactum, nunc Lepanthum, Methonem, Coronem Venetis extorquet, ſeditiones ſuorum in Phrygia ſupprimit; filios complures habuit Sinan Scach; Alem Scach; Achmet; Muchemet; qui à patre veneno eſt extinctus, item Corcut, & Sultan Selim Chan.

Turcorum 11. Imp. Sultan-Selim Chan, ſeu Zelimus, patrem veneno ſuſtulit, fratres Corcut, & Achmet eodē parricidio oppreſſit, & vnà Sinanis filios Muchemet & Aladin Zelebi; Perſarū Monarcham quadringentorum millium exercitu inuaſit; Tauriſium eius metropolim diripuit, Syriā, & Ieruſalē Sultano AEgyptio Canſaue Gauri ademit; eoq; occiſo AEgyptum cæpit cū Alcayro vrbe vaſtiſ-

ſima, cuius Soldanum Tomambai à Mamelucis, ſiue Circaſſis ſuffectum, tyrannico ludibrio circumuectum ſtrangulauit.

Persarum imperium ab Iſmael Sophi cæpit circiter annum 1500. filius is fuit Harduelis pſeudoprophetæ Mahometani, quem ob nouum dogma Iacuppus Aſſambey Huſſumcaſſani filius de medio ſuſtulit, licet ſuæ ſorori nuptiis iunctum. Vlturus itaque Iſmaël parentis necem, toxicum Iacuppo propinauit, ac filiis regno pulſis, principatũ ipſe Perſarum inuaſit, quem rebus callidè ſimul, & ſtrenuè geſtis auctum ad imperij amplitudinem prouexit, cum hactenus tantùm regni titulo inſigniretur.

De Eccleſia Chriſti.

218. Alexander VI.

Alexander VI. Valentinus, Hiſpanus, pont. max. anno 1492. Ruthenos Moſcouię vicinos ad Chriſtum Dominum fide agnoſcendum per legatos adhortatur; Ferdinando Hiſpano, & Emmanueli Luſitano regibus, de noui orbis limite diſſidentibus lineam ortus, occaſusq; diſcrimen à Mathematicis conſtitutum, terminum ditionis, huic Orientis, illi Occidentis decernit. Præeſt annos 11. dies 8. *Petrus Martyr Mediolan. hiſt. Oceanicæ decade 2. lib. 8. Surius commentar.*

Nouus orbis, diſcuſſa errorum caligine, ad veri, & æterni Dei agnitionem peruenit, & gentes illæ euangeliſatæ ſunt hac noſtra demum ætate, adducente Chriſto liberatore, ac Domino noſtro etiam alias, quas præſtitutas habebat, oues ad ouile ſuum, vt & ipſe vocem eius audirent; fieretq; grex vnus, & vnus paſtor: ac penetrauit ab iſto tempore annis non multis tuba regni cœlorum plures prouincias, quàm totis mille ſuperioribus annis. Duo verò, præter alia, gentes illas ad Chriſti euangelium ſuſcipiendum inprimis permouerunt; alterum quòd patrum memoria præſignificati prophetia quadam eſſent affuturi Chriſtiani, qui fide excellerent vera; alteram quod ruina ſubita idolorum conſequuta tanta fuit, vt neq; crucis conſignationem; neque ſanctiſſimi corporis Domini in ſacramento præſentiam ferre idola vllo modo potuerint; atque inter cætera quadrupes quoddam idolum quod Zemes appellatum

cole-

colebant,ad primum Chriſtianorum aduentum fugæ ſe per patentes campos quàm maxima pedum pernicitate dedit, nec ſub aſpectum deinceps rediit. Primam illic fidei doctrinam fecit Romanus presbyter, deinde Buellus Catalanus vir inſignis inſtituti D. Benedicti, cum comitibus duodecim presbyteris, qui Domino cooperante,& ſermonem gratiæ largitate confirmante, fidei incrementa indies maxima produxerunt. *Petrus Martyr Anglerius decad.1.lib.9. Genebrard.ex Fumo, Acoſta lib.1. De temporibus nouiſſ. cap.17.*

India primitus fidem à S. Thoma apoſtolo edocta, etſi raros amplius habebat Chriſtianos per Narſingam, Pegunam, Malabarem prouincias, & Taprobánam inſulam,ibi tamen adhuc reperta ſunt antiquiſſima Cátholicæ religionis monumenta:cæterùm idolorum ſuperſtitioni,quæ craſſiſsima irrepſerat, dedita, denuò per noſtros ſacerdotes Chriſtum Saluatorem agnoſcere cæpit his Luſitanorum nauigationibus; ac primùm per quinque presbyteros inſtituti B.Franciſci,ad quos ſe cum ſe veteres Chriſtiani initio,deinde etiam pagani familiariter adiungerent, paulatim Deum æternum ſincera religione profiteri cæperunt. *Oſorius lib.2.& 3.hiſt. Emmanuelis. Thenet.coſmogr. Botherus epiſt. ad Antonium Caraffam.*

219 Pius III.

PIVS III. Senenſis, pont. maxim. anno 1503. magnæ ſpei,præeſt dies 14.

220 Iulius II.

IVLIVS *II.* Sauonenſis,Ligur,pont. max. anno 1503. eccleſiæ oppida quod à principibus detinerentur,armata manu recuperauit,& Heluetiorum opera Gallorum copias infeſtas ex Italia eiecit; cætero-quin modeſtiæ, & æquitatis ſtudioſus. Præfuit annos 9. menſes 3. dies 21. *Onuphr. Paul. Iouius, Surius comment.*

Academiæ Virtembergica,& Francofordiana inſtituuntur.

In America fides Catholica inſignes progreſſus facit, miſſis eò

pluribus presbyteris Dominicanis,excitanturq́; epiſcopales eccleſiæ quinque, in inſulis Hiſpaniola, Cuba, Iohanna, Darienes,& in Paria. *Pet.Mart.dec.2.lib.8.*

In Africæ prouinciis Guinea,& Congo,ſeu Manicongo, quæ ab æquatore circulo perſecantur, & à Iacobo Cano equite primùm apertę erant,Chriſtiana religio magno cum fructu aperitur,ſtudio, & auſpiciis Emmanuelis regis. *Oſor.3.hiſt. & Iohannes rex Portugall. epiſtola ad Clementem 7.*

Dauid imperator Chriſtianus in AEthyopia,presbyter Iohannes cognomento, ſedecim regnorum Africæ interioris monarcha ad Emmanuelem regem, rei in India ab ipſo benè geſtæ fama permotus, legatum mittit Matthæum Chriſtianum Armenum amicitiæ ineundæ cauſa:huic redeunti viciſſim legatum de ſuis rex adiungit Oduardum Galuanum. *Oroſ.lib.8.9.10. hiſt. Emmanuelis regis.*

CONCILIVM Lateranenſe vniuerſale ſacroſanctum cogitur anno 1512. ſub Iulio, abſoluitur demum ſub Leone; actum in eo eſt de reformatione diſſolutæ vitæ ſacerdotalis ordinis, & tollendis diſcordiis Piſanæ congregationis; interfuêre præter epiſcopos, legati Patriarchæ Maronitarum ex Syria Acurius Ioſeph presbyter, Moſes monachus,& Helyas Hypodiaconus. *Onuphr. in Iulio. Ferronus in append. AEmyl. Genebr.*

221 Leo X.

LEO X. Florentinus, pont. max. anno 1513. ad reprimendam Turcorum vaſtationem pecuniaria ſubſidia collegit, largientibus indulgentiarum gratiam conceſſit; capta verò Ieroſolyma à Turca, & ſectas introducente Luthero, ſupplicationes publicas per vrbem indixit, quibus ipſe nudis pedibus interfuit. Præfuit ann.8. menſes 8 dies 20. *Onuphr. in eius vita.*

In Africæ ciuitatibus Azamore, Tite,& Almedina pulſis ab Emmanuele rege Mauris, fides Chriſti prædicatur, vt & in mediterraneis AEthiopiæ,quo eodem Emanuele procurāte, plures ſacerdotes cū libris ſacris,& muneribus ad regem Congo pietatis & ſacrarum litterarum percupidum deſtinantur. *Oſor.lib.9.& 10 hiſtoriæ.*

Chriſtophorus Longolios, Bilibaldus Pircamerus, Iacobus Sa-

doletus

doletus, Petrus Bembus, Thomas Morus, Andreas Alciatus, Ludouicus Viues, Iohannes Stophlerinus, Marcus Marulus, Iacobus Faber Stapulenſis, viri doctiſſimi florent; & ſimul Eraſmus Roterodamus, qui hæreſi nō exiguam anſam dedit.

Hebraicæ linguæ propagandæ nauabant operam Iohannes Lapidanus Pariſiis, Iohānes Reuchlinus Capnion in Germania; Petrus Galatinus in Italia; in Hiſpania verò AElius Antonius Nebriſſenſis, & Iacobus Lopes Stunica Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ linguæ peritus; vnaq; Franciſcus Ximenius epiſcopus Toletanus, qui bibliorum ſacrorum editionem illam Complutenſem variis linguis Origenis exemplo adornauit; excellebat verò in primis Sanctes Pagninus in Hebraicis, & Romæ Elias Leuita Iudæus; Syriacam aperuerunt noſtris, præſertim Theſeo Ambroſio Alboneſio, legati Syri ad Concilium Lateranenſe miſſi. *Genebrard. in chronographia.*

Auguſtinus Iuſtinianus Nebienſis epiſcopus, biblia octapla adornauit; prima linea Hebræa ponendo, ſecūdo Latinā interpretationē Hebraicæ correſpondentē, tertia latinā vulgarem, quarta Græcam, quinta Arabicam, ſexta Chaldaicam, ſeptima Latinam Chaldaicæ verſionē, octaua demū Scholiola. *Sixtus Senēſis in bibliotheca ſancta.*

Hæreſes.

MArtinus Lutherus Islebinus, homo Aquilonaris, nouum ſeu quintum ſuū euangeliū quinto angelo apocalypſeos tuba canente primo promit anno 1517 in Saxonia: cum eſſet enim Auguſtinianus monachus eruditione inflatus, ac prælatū ſibi eſſe ad promulgādas indulgētias Iohannē Tezeliū concionatorē percelebrē ægrè ferret, vt erat animi impotens, admirator ſuiipſius, lingua petulans, ac ſermone per omnia obſcœnus, ſtylum cōtra ipſas indulgentias initio vertit; tum progreſſus vlterius ſub prætextu euāgelij, & verbi Dei, quod identidē ingeminabat, plura fidei dogmata oppugnauit, nec antè deſtitit quā ſurſum, deorſum omnia miſcendo, Germaniæ magna ex parte eccleſias ſubuertit. Euangeliſtam ſe Dei palàm venditabat, indicio tamen, aut ſigno non alio, quā ſcripturæ deprauatæ iactantia, & inſolentia intolerabili, qua ſupra mortales vniuerſos ſe, ſupraq; cœlorū Angelos efferebat, ait enim in hęc verba libro

ba libro aduerſus ſtatum eccleſiaſticorum; Doctrinam meam ego nolo iudicari à quocunque, nec ab Angelis omnibus; cum enim certus de ea ſim, volo per eam & veſter, & Angelorum iudex eſſe; & libro contra regem Angliæ; hîc ſto, inquit, hîc ſedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc inſulto Papiſtis, vt nihil curē, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent. Huic itaque tanto prophetæ data eſt clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol, & aër de fumo putei; & de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ; hic inquam hæreſeon, & blaſphemiarum clauſtra reſerauit, inuectus in Apoſtolicam patrum doctrinam, in eccleſiam, in ipſum Deum, quem negauit æqua hominibus mandata dediſſe, quòd maiora viribus humanis illius præcepta eſſent; quòd ad malum Deus æquè, ac ad bonum hominem impelleret; negauit porrò vllum in tota Euangelij lege præceptum extare; negauit vllum peccatum capitale eſſe præter incredulitatē; negauit ſacramenta, Chriſti licet dona ſanctiſſima, vllam gratiam hominibus conferre; quorum de numero maiorem etiam partem reſecauit; negauit in homine liberum arbitrium ſupereſſe; negauit hominem ſe ipſum peccatis damnare, ſi vel maximè cupiat, poſſe, niſi credere nolit; affirmauit verò fidem quolibet mortali peccato amitti; iuſtum quouis opere bono peccare, adeoque opera omnia etiam ſanctiſſima eſſe peccata; Corporis Domini ſacroſanctum ſacrificium execratus eſt, & exploſit: diuorum in cœlis cum Chriſto regnantium interceſſionem deriſit, fideiq; Catholicæ alia dogmata plurima ſuſtulit, erronea ipſe ſupra quinquaginta mundo obtruſit; qua errorū caligine è puteo emergente, fides Chriſti, qui vnus mundi Sol in hominum animis ſplendēbat, & ſcripturarum ſinceritas obfuſcata adeò eſt, in ſectatorum ipſius animis, vt tot ſectarum inuolucris intricati infelices Lutherani, quid potiſſimum credant, quem potius ſequantur, ipſi nec videant, & hoc ipſum fruſtra conquerantur, dum tot locuſtarum, & prædicantium exitialibus artibus dementati, euadere in lucem amplius nequeant. Ita nimirum

dum

dum in inſulis,& peregrinis regionibus creſcit fides,& nomen Domini gloriosè prædicatur, perit apud nos ſalutis nomen, euenitq́; quod Chriſtus Dominus prædixit, quòd multi ab Oriente,& Occidente venient,& recumbent cum Abrahã,& Iſaac,& Iacob in regno cœlorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. *Apocal. 9. Matth. 8. Cochlaus lib. de actis Luther. & autores quique paſsim.*

Dalmanutha Dalila Neſtorianus apoſtata ex Chriſtianiſmo in Aſia cum triginta millibus ad Mahometanam perfidiam prolabitur. *Theuet. in coſmographia.*

Sophi in Perſia Mahometanam ſectam ex traditione Haly generi Mahometis contra Turcorum ritum introducit: hinc illæ diſſenſiones & bellum ἄσπονδον inter Turcas,& Perſas. *Theuet. Leonclauius in Annal. Turcorum.*

Muley Xariſ,vel Muleameth Scirif, Morabuth,inſignis legiſperitus Mahometanus, ex vrbe Mecha Arabiæ magnis opibus fultus in regna Africæ Feſſam,& Marocum traijcit,nouum regnum, & ſimul nouam ſectam excitat. *Paulus Iouius lib. 7. vir. illuſt. Theuet. Freigius de bello Africano.*

CAP. XLII. CAROLVS V. *Imperator.*

Anno 1519.

CAROLVS V. Maximiliani nepos, Philippi Auſtrij Hiſpaniæ regis filius, ſexto interregni menſe, 28. Iunij anno ætatis 19. imperator electus,ſequẽti anno Aquiſgrani coronatus,deinde anno 1530. Bononiæ à Clemente pontifice diademate Romano inauguratus,rerum geſtarum,virtutisq́; gloria magnus, animo excelſo par priſcis Romanis,pietate,clementia,ſapientia,fortitudine,æquitate nulli ſecundus; expeditiones varias, grauesq́; è Germania in Italiam,Angliam,Hiſpaniam,Galliam,Belgium,Africam,pro temporum ratione terra, mariq́; ſuſcepit; primus ipſe vbiq; belli dux, præclaras de Turcis,Gallo,&Germanis rebellibus victorias reportauit; Turcam Viennam obſidentem anno 1529. abſens tum in Hiſpania per Fridericum Palatinum repulit, cæſis octoginta millibus

barbarorum; redeuntem quingētorum millium exercitu ſolo nominis metu iterum repreſſit; in Africa munitiſſimam arcem Guletam, & Tuniſiū regnum cœpit, Romamq́; in reditu cum triumpho ingreſſus eſt; traiecto iterū mari Algerium tentauit, verùm tempeſtatis vi prohibitus, per proregem Neapolitanum poſteà Aphrodiſiū occupauit; decertauit porrò cōtra Proteſtantes Germaniæ principes, Lutheri dogmate excitatos, quos (quū ſeruare, quā perdere ciues mallet) cunctando magis, & parcendo quàm cæde vicit, licet copiis, viribusq́; lōgè ſuperiores; recepitq́; in gratiā Fridericū Palatinū, ducē Virtembergicū, vnaq́; Vlmā, Auguſtā, Argentinā, aliasq́; nobiles ciuitates; perſeuerātibus obſtinato bello Saxoniæ duci Ioanni Friderico, & Landgrafio Heſſo, victis, fuſisq́; prælio, & captis vitā donauit. Huiuſmodi in rebus dexterè cū infidelibus, ac hæreticis gerendis, impedimēti plurimū illi perpetuò obiecit Franciſcus Galliæ rex, magnanimus ille quidē, ſed æmulus gloriæ importunus, cōtentione inauſpicatò ſuſcepta, ſummoq́; cū diſpēdio rei Christianarū; vnde illa inter vtrumq; optimatem Christianū bella apud Mediolanū, & in Gallia Ciſalpina, in Belgio, in Prouincia, Neapoli; hinc claſſem Carolo in Africam transferente, Gallorū infeſtæ irruptiones in Hiſpaniā, Luzelburgū in Picardiam, Inſubriā, & in Brabantiam; vnde tamen breui reiecti ſunt, & dux Geldriæ, atque Cliuiæ ob præſtitā Gallo opem fortunis omnibus exutus; hinc ſuccedentis Henrici II. Galli, dum Mauritius Saxo imperatorem armis laceſſit, in Germaniā ingenti cum manu aduentus, ſimul & vox, cum occupaſſet Mediomatricem, innctus Proteſtantium motibus, ſe ſe Germanicæ libertatis vindicē dixit; maiore profecto Gallorū incōmodo, qui hac ratione viā iiſdē proteſtantibus monſtrarūt, in Galliā ſuccedente tēpore, pari cū Gallici regni diſpendio, irrumpendi; cū intereà Caroli nomē tàm non obſcuraretur, quàm ſummè illuſtraretur, non ſolū his aduerſis propulſandis, & veteri Romanorum orbe plurimis victoriis exornando; verū etiā Nouo orbe perluſtrādo, & ad Chriſti regis regum imperiū adducendo; vbi per duces, & legatos multa præclarè perfecit, infideles, & barbaras gentes latè ſubiugauit, arces, & oppida excitauit, quibus proreges duos Auſtra-

bus,

libus,& Borealibus ſingulos præfecit. Toto itaq; terrarũ orbe cum clariſſimus celebraretur, legati ad eũ ex Africa Maurorũ,& AEthiopũ, ex Aſia Perſarũ,& Tartarorũ ſæpe aduentantibus, Turco ingentẽ terrorẽ ſui incuſſit, venerantibus eũ, ac prædicantibus vt monarchã vniuerſi. His nihilominus diſtrictũ curis, religionis amor ſemper captũ tenebat, inſumentẽ perpetuo manè, & veſperi horas aliquot precationibus,& comentationibus diuinis; ac perſoluentem quotidie ſeptenas precũ, laudumq; ſpiritualiũ horas, Dauidis regis exemplo. Poſtremò imperij ſceptris fratri Ferdinando permiſſis, menſe Martio cũ imperaſſet annos 38 menſes 8. dies 14. in monaſterium S. Iuſti in Hiſpania Toletanæ diœceſis conceſſit, vbi ablegatis curis omnibus, totũ ſe diuini amoris exercitiis, & pœnitentiæ mãcipauit, migrauitq; ad Dominũ S. Matthæi feſto, anno eodem quo ſe abdicauerat imperio, ætatis anno 58.

Imperator Turcorum eſt Soleimanes II. anno 1520. Perſarum Iſmaël Sophi, Tamas ſeu Techmaſe: Tartarorum Kadair-Can.

In Gallia Franciſco Valeſio ſuccedit anno 1548. Henricus II. haſtiludio interemptus.

Hiſpaniam regit Carolus V. Imp. & eo plerumq; abſente Philippus II. filius.

In Vngaria Ludouico II. ſuccedit anno 1527 Iohannes Vaiuoda; & ſimul cum ipſo electus Ferdinandus Auſtrius.

In Polonia Sigiſmundo Magno ſuccedit anno 1528. Sigiſmundus Auguſtus.

In Anglia Henrico 8. ſuccedit anno 1548. Eduardus 5. tum anno 1553. Maria regina.

In Portugallia Emanuele Sapiente vita functo, rex creatus anno 1521 Iohannes 3. filius: tum anno 1557. Sebaſtianus.

Bohemiæ rex poſt Ludouicum II. creatur anno 1527. Ferdinandus Auſtrius.

Scotiæ rex eſt ab anno 1514 Iacobus 5. tũ anno 1542. Maria infans.

Daniæ, & Noruegiæ Chriſtierno ſuccedit anno 1523. Fridericus; tum anno 1537. Chriſtianus. Suetiæ item rex eſt Chriſtianus idem; tum anno 1524. Goſtauus.

Rhodus inſula celebris à Soleimane capitur anno 1522. Iohannitis militibus à Carolo Melita inſula ſedes datur, anno 1523.

Ruſticorum bellum per Alſatiam, Thuringiam, Franconiam, & Sueuiam à Thoma Munzero Lutherano, magiſtratum ferendum eſſe negante, graſſatur, quo cæſa ſunt illorum amplius centum millia, anno 1525.

In Heluetia infenſis mutuò ob deſertam à nouatoribus fidem orthodoxam, animis, bellum inteſtinum oritur, quo nouatores numero longè ſuperiores cæſi ſunt aliquoties à Catholicis ad Capellam, anno 1531.

Turcorum 12. imperator Sultan-Soleiman-Chan, noſtris Soleimanes 2. poſt Rhodum occupatam, in Vngaria Belgradum, ſeu Albam Græcam, Budam metropolim, Peſtum, Strigonium; & noua expeditione alia loca; adhæc Filecum, & demum Zigethum cæpit; penetrauit in Germaniam, Viennam bis obſedit; Albaniam, Apuliam Italiæ partem, & Corcyram inſulam diripuit, vaſtauitq́;: arcem nouam Dalmatiæ recepit; Neapolim, Plumbinum, & Elbam, ſeu Iluam in Italia, adhæc Siciliam, & Melitam, claſſe infeſtauit; Corſicam ſubiugauit, & Tripolim Barbariæ, vbi claſſis Chriſtianorum poſtea ad Gerben, vel Zerbin inſulam Lothophagorum fuſa, merſa, capta eſt: Chium inſulam ſubegit, expeditionem inſtituit in Perſiam, cuius cum imperatore Techmaſe diutinum ei interceſſit bellum præliis aliquot cruentiſſimis memorabile. Filios ſuſcepit plures; ij ſunt, Muſtaphas, quem cum nepote Murat-zelebi ſtrangulari curauit; Muchemet; Sultan Selim Chan; Bajaſith; Ziangir, qui ſibi manus intulit, & Chameria filia.

De Eccleſia Chriſti.

QVum in pugnam ſuos excire rex, & Deus noſter Chriſtus à primis eccleſiæ initiis conſueuerit, ac primæua illa militantis eccleſiæ ſæcula tyrannorum, & hæreticorum dura ſuſtinuerint bella; habeat verò ſeneſcentis mundi vltima tempeſtas æquè electos ſuos, quos quaſi ſacrificium veſpertinum Deo aptet, atque afflictionum exercitiis probet, perpoliatq́;; perſuaſum planè habeamus oportet, ſectarum tot aduerſantes oppugnationes ob id euenire,

nire, vt à torpore excitati Chriſti fideles, non modo priſcam fidem non prodant, deſerantúe, ſed etiam tãquam incomparabilem theſaurum priſcorum martyrum exemplo viribus omnibus tueantur; ſimulq; abdicata vitiorum prurigine, malorum omnium fomite, puriores ſe, & digniores Dei conſpectui ſiſtant, adeoq; cum fide ſimul & conſtantiam, ſanctitatemq; patrum imitentur, ſi ad eandẽ beatitudinem euadere, & cœleſte brauium conſequi velint. Hæc meditanda nobis, animoq; voluenda veniunt, dum ſtatum eccleſię præſentem intuemur, & ponderamus.

222 Adrianus. VI.

ADRIANVS *VI.* Vltraiectinus Germanus, pont. maxim. anno 1522. vehementer ſcelera Chriſtiani Cleri, plebiſq; deteſtatus, pios, & doctos viros eccleſiis præfici voluit, vrbem Romam reformare cœpit; ſuccurrendum omnibus modis virtutum ſtudio cenſuit; Fridericum Saxoniæ ducem grauiter monuit, ne Lutherum docentem contra fidem Apoſtolicam, ſanctorum martyrum, & doctorum ſanguine, ac ore confirmatam, reciperet, aut propugnaret. Præfuit annum 1. menſes 8. dies 6. *Onuphrius.*

Iohannes Fiſcherius Roffenſis epiſcopus & Cardinalis Anglus, doctrina, induſtria, & ſanctimonia illuſtris, populum ſumma cura ad pietatem ſectandam inducebat, cui vigiliis, laboribus, ieiunio, liberalitate in egenos, virtutibuſq; epiſcopo dignis aliis mirificè prælucebat; ieiuniorum diebus Xenodochia, carceres, ac ædes afflictorum, quos in Chriſto ſolabatur, perluſtrabat; hæreſes Lutheri, & Oecolampadij tam dextrè confutauit, vt neuter reſpondere ei auſus fuerit; argentum, & aurum decedẽs nullum reliquit, ſed eius loco in ſcrinio probè obſerato, cilicium; & flagellum, quibus affligebat corpus, repertum eſt; demum martyrio affectus eſt ab Hẽrico rege cum aliis. *Sander. lib. 1. ſchiſmatis Angliæ.*

Theologi egregij qui primis hæreticorum motibus ſe murum pro domo Iſraël oppoſuerunt, florebant, Thomas Caietanus Cardinalis, Laurentius Campegius Cardinalis, Hieronymus Alexander archiepiſcopus Brunduſinus, Hieronymus Genutius epiſcopus

Aſculanus, Syluester Prierias, omnes ordine apoſtolici legati ad Lutherum; adhæc Iohannes Eckius athleta fidei incomparabilis, Ambroſius Catarinus, Iohãnes Cochlæus, Iacobus Latomus, Hieronymus Empſerus, Georgius Vicelius, Iohannes Dictenbergius, Fridericus Nauſea epiſcopus, Iohannes Faber epiſcopus Viennēſis, Iohannes Driedo, Bernardus Lucemburgius, Iodocus Clitouæus, Franciſcus Titelmannus, Conradus Tregerius, Thomas Murnerus.

223 Clemēs VII.

CLEMENS VII. Florentinus, pont. max. anno 1523. Carolum V. Imper. coronauit, eius & Franciſci Gallorum regis conſilio, Henricum Angliæ regem ſanctorum communione excluſit. Præfuit annos 10. menſes 10. dies 7. *Paul. Iouius lib. 27. & 31. Sander. 1. ſchiſmatis Anglicani.*

In nouo orbe fides Chriſtiana latè propagata eſt, confluentibus vndique ad cœleſtem lucē populis illis, quorum in cordibus illuxit Deus, qui iuſſit de tenebris lucem ſplendeſcere, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti. Ablegatus porrò cò eſt Martinus Valentinus præſul eximiæ virtutis, cum duodecim ſociis presbyteris; tres inſtitutæ ſunt metropolitanæ eccleſiæ; prima Mexicana in Hiſpania noua, eſt enim totius Americæ Mexicū vrbs primaria: ſecūda in regia vrbe Lima Peruninæ prouinciæ maritima; tertia S. Dominici dicta, inſularū ſupra Pariā; ac producta fidei fundamēta ſunt Temiſtitā vſque, quæ Septentrionem inter, & Occaſum Indiam reſpicit. Mexicani quoque legatos binos ad imperatorē, & pontificem maximum miſerunt, quos Romæ Paulus Iouius ſe vidiſſe ſcribit. *Onuphr. in Paul. 3. Surius comment. Iouius 6. de viris illuſtrib. de Corteſio.*

Heluetiorum optimates Lucernæ in comitiis contra emergentes ſectas ſe communiunt, ac ſtatuunt nihil immutādum in fide eſſe, ſed ſeruandum quod ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris traditum eſt; anno 1524. quibus cum ſectarij minimè acquieſcerent, habita eſt diſputatio Badena poſt biennium, vbi Oecolampadius falſitatis ſæpe conuictus eſt, & prodire Zuinglius nunquam voluit. *Ex actis diſputat. Badenæ.*

Roma

Roma vrbs ab exercitu Cæſaris ipſo inſcio capta direpta, pontifex multis aureorum millibus redemptus eſt anno 1527. milites qui Germani erant cum præda eccleſiaſtica ſenſim interierunt, nihilq́; auri illius Tholoſani alpes ſuperauit; dux Borbonius Gallus in ipſa vrbis expugnatione oppreſſus eſt. *Paul. Iouius. Onuphr.*

Academia Pariſieuſis lectiſſimis profeſſoribus, & ſtipendiis regiis inſtauratur à Franciſco rege. *Tilius chronico.*

Romæ Theatinorum patrum viuendi ratio piis, & ſalutaribus legibus inſtituitur, autore Iohanne Petro Caraffa Cardinale, epiſcopo Theatino. ad quem ſe plurimi presbyteri adiunxerunt, quos benè, beateq́; viuendi amor inceſſerat; is Caraffa poſtea pontifex factus, Paulus 4. eſt vocatus, primus reformator Romani Cleri, qui hoc tempore ſacerdotum vitam luxu diffluentem, ad veterum canonum normam reuocauit. *Onuphr. de eius vita.*

AEthiopiæ imperator Dauid legatos Romam mittit, per quos ſe ad eccleſiæ Catholicæ communionem confert, iungitq́;; ac ſecundùm Chriſtum Dominum, ſumum omnium paſtorem agnoſcit pōtificem Romanum, ad quem binas literas ſcripſit, totidemq́; ad Iohannem regem Luſitaniæ, quæ à variis autoribus editæ habentur. *Theuet. in coſmographia.*

224 Paulus III.

PAVLVS III. Romanus, pont. max. anno 1534. ſapientia, doctrina, & virtutibus illuſtris, primus temporis iſtius vniuerſalis reformator, multa egit ad pacem conciliandam inter imperatorem & Gallum regem; indixit Concilium Tridentinum, quod dum bellicis motibus impeditur, nouem antiſtites, ſpectatæ eruditionis, & vitæ integritatis legit, quibus reformandi Cleri rationē cōſtituendā demādat. Præfuit ann. 15. dies 28. *Onuphr.*

Antiſtites ij fuêre viri ſummi Caſparus Contarenus, Iohannes Petrus Caraffa, Iacobus Sadoletus, Reginaldus Polus quatuor Cardinales, Fridericus Fregoſius, Hieronymus Alexander duo archiepiſcopi, Iohannes Matthæus Gibertus epiſcopus, cuius ſanctitatē Vida cecinit; Gregorius Corteſius abbas, & Thomas Badia Magiſter ſacri palatij. *Onuphr. in vita Paul. 3. Hieron. Vida inter poëmata.*

Tho-

Theologi porrò alij florent, Aloyſius Lippomanus epiſcopus, Hieronymus Vida epiſcopus, Alfonſus Caſtrenſis, Ludouicus Bloſius, Iohannes Hoffmeiſterus, Ruardus Tapperus, Bartholomæus Latomus, Albertus Piggius, Petrus Sotus, Nicolaus Tacitus Zegerus.

Viri docti alij Guilhelmus Budæus, Beatus Rhenanus, Franciſcus Vatablus, Ioachimus Perionius, Martinus Cromerus; adhæc Iohannes Magnus, Olaus Magnus, Paulus Iouius hiſtorici epiſcopi, & Alexander Sculretus qui Romæ chronologiam edidit.

Anglicana perſecutio excitatur ab Henrico octauo rege, quòd ſacris ei à Pontifice interdictum eſſet, ob repudiatam Catharinam reginam Ferdinandi Magni Hiſpaniarum regis filiam, cum qua ſupra viginti annos legitimo matrimonio vixerat, quæ ieiuniis, precibus, ſacra lectione ſanctã agebat vitã, ex qua etiam prolẽ ſuſceperat; quare in reprobum ſenſum datus caput ſe ſe Anglicanę eccleſiæ eſſe, & haberi voluit; ac quotquot non annuerent ad cædem rapuit; ſtrages tum edita eſt admodum cruenta, non presbyterorum ſolum, & antiſtitum, verumetiam ciuium, nobilium, equitum, comitum, ſacra direpta, templa & monaſteria euerſa; atque abreptus vnà eſt Iohannes Fiſcherius Roffenſis epiſcopus, & Thomas Morus Cancellarius ſecundus à rege, vir eruditione, pietate, vitæq; integritate ſummus, quem ne filia quidem adulta capitis damnatum vlnis complexa dimouere à veritatis profeſſione potuit; adhæc Reginaldus abbas doctiſſimus trilinguis, concionator verbi diuini celebris, qui in hæc verba mortem oppetiit, Credo, inquit, videre bona Domini in terra viuentium. Cœpit hæc crudelitas anno 1534. ſæuiit annos duodecim. *Sander. lib. 1. de ſchiſmate Anglicano.*

Synodus Colonienſis prouincialis agitur anno 1536. & Hildeſemana anno 1539. quibus elegantes, & religioſi Canones ad ſacerdotum inſtitutum optimè inſtituendum editi ſunt. *Canon. Colon. Concil.*

Ignatius Loyola Hiſpanus, per nouemdecim annos à prima cõuerſione vita ſanctiſſimè acta, ſacerdotum nominis Ieſu ſocietatẽ, piam illam, doctam, laborum patientem, ac ſinceram cum decem ſociis

ſociis inceptã,apoſtolica autoritate cõfirmari àPõtifice curat,ann. 1540.cernẽs nãq; Dominus meſſis,quod meſſis eſſet multa,operarij pauci,miſertus palãtis turbæ, plures emittere operarios in meſſem ſuam voluit, per quos odorem notitiæ ſuæ porrò manifeſtaret in omni loco,confirmaretq; eam fidem, quam ab Apoſtolis acceptã eccleſia conſeruabat. Primi Ignatij fuère ſocij Petrus Faber,Franciſcus Xauerius, Iacobus Laines, Alfonſus Salmeron, Simon Rodericus,Nicolaus Bobadilla, Claudius Iaius, Iohannes Codurius, Paſcaſius Proẽtus, & Hoſius,quibus ſe ex Germanis primus adiunxit Petrus Caniſius.*ex P. Ribadeneira, & Maffeo de vita Ignatij.*

Indiæ prouinciam primus Xauerius ſuſcepit, ac regnum Dei prædicauit in vrbe Goa anno *1541* tum ordine Comorini, Zeilane, Ambone poſt Moluccas ſita; & Maldiuaris inſulis plurimis, quorum regem quoque conuertit, cum multis vbiq; hominum millibus. *Emmanuel acoſta.comment.Orientis.*

Iaponia,quam Giapan,& Zipangry dicunt,inſularum Orientis nobiliſſima,quæ plurimos in ſe reges habet, ſalutarem euangelicæ tubæ vocem percepit primo à Xauerio anno 1549. Incertum autem eſt Xauerij & ſociorũmne labores, pericula, ſpiritus ardores, & longanimitatem quis miretur potius,an inſularium illorum, & Indorum adeò omnium alacritatẽ,ſtudiumq; Chriſti redemptoris cognitionem, cum acurata morum emendatione amplectendi! Nobis hîc ſanè aut eualuit patrũ fides,aut vita vitiis ſcatet; illis ſummum Dei donum cenſetur, fidem hanc ſacroſanctam apprehendere, vitam per omnia innocentẽ agere, & ſolicitos cum Deo ambulare; qua in re multis partibus nobis præſtant. *Acoſta in commentario, & epiſt. Indicæ.*

In Braſiliam Americæ prouinciam ablegantur quoque aliquot presbyteri illius ſocietatis anno 1549. *Ribaden.3.lib.10.cap.*

Interim libellus,quo nomine religionis dogmata nonnihil detorta dicebãtur, ab imperatore proteſtantibus permittitur, quoad Concilij decreta haberi poſſent:anno 1548. quem tamen Imperator eccleſiæ iudicio emendandum referebat. Ferunt eius edendi importunum ſuaſorem fuiſſe Grauellanum cancellarium; cuius

alioquin fidem, & in conſiliis prudentiam Imperator perſpectam admodum habebat; Imperatori verò deinceps de victoriarum felicitate multum deceſſiſſe; eumque tandem, cum rei grauitatem ab inquiſitione intelligeret, venam ſecaſſe.

225 Iulius III.

IVLIVS *III.* Aretinus, pont. max. anno 1550. ſectarios paterno affectu ad orthodoxiam cohortatus eſt; ſcripta hæreticorum legi, aut haberi vetuit. Præfuit annos 5. menſem 1. dies 16. *Onuphrius in eius vita.*

Iſidorus Clarius epiſcopus Fulginas trilinguis, doctrina, morum ſanctimonia, apoſtolico ſpiritu, & zelo excellens, ſumma laude in eccleſia Dei floret, ſummaque induſtria ad populi ſalutem procurandam laborat. *ex eius operibus, & epitaphio.*

Orientalis eccleſia Aſiatica communionem Catholicam per ſuos primates ambit, vt exempla demonſtrant iſta.

Armenorum patriarcha quem generalem, ſeu Catholicum vocant, Stephanus nomine, comitatus archiepiſcopo vno, & duobus epiſcopis, Romam aduentans, ſub Paulo, & Iulio Pontificib. totius eccleſiæ Armenorum nomine ſe fidei, & Cathedræ B. Petri coniungit. *Onuphr. de vita Pontificum, Theuet.* 8 *cap.* 15. *coſmographiæ.*

Iacobitæ per Aſiam diſperſi legatum Syrum Antiochenum, nomine Moſen Mardenum Romam mittunt, vbi anno 1552. abiuratis erroribus quibuslibet, Catholicam fidem, ac Pontificem Romanum ſecundùm Chriſtum, ſummum in terris patrem, & paſtorem per eum profitentur. *Theuet. lib.* 11. *cap.* 18. *coſmog.*

Neſtoriani quorum in Aſſyria, & ſub Perſarum monarcha ſedes eſt, inter Chriſtianos Orientales multitudine ſuperiores, patriarcham electum Siudem Sulacan Romam delegant, vt à pontifice ſummo confirmetur: vbi ipſorum omnium nomine profeſſionem Catholicę fidei fecit anno 1553. quamquã à longo iam tempore nomen magis quàm hæreſim à Neſtorio mutuentur, cuius rei experimentum ex eis Romæ Onuphrius ipſe fecit. *Onuphrius ſub Iulio. Theuet.* 10. *cap.* 15. *biblioth. ſanct. tom.* 1. *ad calcem.*

Ieru-

Ieruſalem ſanctam ciuitatem nouis mœnibus Turcæ cingunt, lapide ſubflauo quadrato, forma tam egregia, vt raræ ſub ſole vrbes externam eius elegantiam æquent: intra mœnia verò, præter caſtrum Piſanum itidem innouatum, peruetuſta ferè ſunt omnia, multa etiam in ruinis, & puluerulenta; ſtructuræ autem ædificiorū plures magnificæ conſpiciuntur, turres præaltæ: tecta citra lignorum contignationem fornicibus ſupra vel complanata calce, vel rotunda, & globoſa forma conuexa: eccleſiæ ſunt perelegantes, & quæ veterum Chriſtianorum munificentiam ſatis teſtentur. Vrbs quoque etſi priſtinæ areæ inſideat, tamen latè ſe in eam partem extendit, qua olim mons Caluariæ extra mœnia erat; cuius indicium eſt, quòd baſilica S. Sepulchri, & locatæ crucis eo in monte, nunc non in angulo ciuitatis, ſed inter medias ferè ſtructuras extet: vrbs denique ipſa iuſtæ magis, quàm magnæ amplitudinis cenſetur.

Nouum teſtamentum Syriacè typis editur Viennæ Auſtriæ; procurante Ferdinando rege, ita petente Moſe Mardeno legato Syro. *Genebr. in chronic.*

Arethius Arabs Chriſtianus in AEthiopia Acta apoſtolorum, euangelium S. Iohannis, & ex parte S. Matthæi in Arabicam linguā tranſtulit, ſub Turcis vitam pro Chriſti nomine poſuit. *Theuet. 10. cap. 9. coſmogr.*

226 Marcellus II.

MARCELLVS *II.* Politianus Italus, pont. maxim. anno 1555. ſingulari ſapientia, & ſanctitate clarus, epiſcopos, præſules, paſtores nec Romæ, nec alibi alieno loco ferens, ſuis ſingulos eccleſiis præſentes eſſe voluit; dumq; omnes Romanæ eccleſiæ nouam apoſtolicam faciem ab ipſo ſperant, migrat ad Deum, cum præfuiſſet dies 21. *Onuphr. Natalis comes 9. hiſt.*

227 Paulus IV.

PAVLVS *IV.* Neapolitanus, pont. maxim. anno 1555. à teneris annis pietatem ſectatus. Præeſt annos 4. menſes 2. dies 27. *Onuphr. Natalis 9. & 12. lib.*

In India creantur Goæ archiepiſcopus, Malacæ, & Cochini ſinguli epiſcopi. *Onuphr. in vita Pontif.*

Viri docti in ſacris literis celebrantur Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis; Dominicus Sotus; Iohannes Gropperus; Frãciſcus Victorianus; Iohannes Heſſelius; Iacobus Faber Motinenſis; Fridericus Staphylus, qui ex Lutheraniſmo conuerſus, Lutheri technas detexit; Iohannes Viguerius; Gabriel Prateolus; Iohannes Albinus; Iohannes Gagnæius.

Autores alij in humanioribus literis clari ſunt, Iohannes Fernelius medicus elegantiſſimus; Cœlius Rhodoginus; Cœlius Calcagnimus; Adrianus Turnebus; Sannazarius poëta optimus.

Anglia ex ſchiſmate, & hæreſi ad Catholicam redit, auſpiciis Mariæ Reginæ, & Reginaldi Poli Cardinalis celeberrimi anno 1552. quo in ſalutis ſtatu fuit ad Mariæ obitum ſex annos. *Sander. lib. 2. ſchiſmatis, Natalis 7. hiſt.*

AEthiopiæ imperator Adamas à Catholicorum communione, mortuo patre recedit. *Acoſta. comment. Orientis.*

Hæreſes.

LVtherus eccleſiaſticæ cõſenſionis repagulis ruptis, errorumq; iactis initiis, Fridericum ducem Saxoniæ nactus protectorem, noua indies dogmata profudit, fruſtra legatos doctiſſimos ad Germanos mittente Pontifice, eumq; poſt vnam, atque alteram admonitionem anathemate damnante; fruſtra in eum proſcriptione agente Carolo Imperatore: iam enim ſtabat ſententia genti Chriſtianæ dudum à Deo, his verbis intentata: Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non obſtat incantatio; & mordebũt vos, ait Dominus; cum enim tam diuturna iſti cum ſathana interceſſiſſet cõſuetudo, vt modium ſalis interea abſumere potuiſſent, quod ipſe fatetur, nihil inde melior effectus, ac potius velut œſtro concitatus contempſit quicquid inter mortales, & immortales ipſi obſtabat. Totius autem mali pondus, ac ſeries ex hac vna cauſa profectum eſt, quòd nimium propitias aures illi præbuerunt Germaniæ principes: quaſi verò non antè peruerſitatis reus eſſet, quàm verba illum, & elabendi, tergiuerſandiq; ambages deficerent: quã-

do ſa-

do ſacrum Dei verbum, quod ille tanta arrogantia buccinabat, ſæpe moneat, præcipiatq́;, pſeudoprophetas huiuſmodi non audiendos, ſed vitandos, & è medio quamprimùm tollendos eſſe. Periit verò climacterico anno, qui erat, 1546. morte inopina, extra ſanctorum veteris eccleſiæ paradyſum hoſpitio illic exceptus, qui ſanctorum veterum fidem damnauit. Huic autem debent multæ per Occidentem, & Septentrionem eccleſiæ, quod per ſummam inconſtantiam in veritate non ſteterunt, primam fidem irritam fecerunt; & dum ſolam fidem iuſtificare cōtendunt, fidem viuam, quæ per charitatem iuſtificat, exploſerunt; ac ſimul Euangelium ſpiritus, quod in eccleſia ſaluberrimum viget, mutauerunt in Euangelium literæ, quæ occidit; vt licet legendæ literæ Bibliorum ſint omnes deditiſſimi, tamen in ſpiritu, & ſanctitate minimè proficiant; ſe verò ex myſteriorum profunda ſapientia prauè, & ad libitum cuiuſque intellecta, indies magis peruertant. Tantam verò mutandæ religionis temeritatem, leuitatemq́; Deus maiorem eſſe, quàm quę apud ethnicos reperiatur, ſumma indignatione conqueritur, cum ait: Tranſite ad inſulas Cethim, & in Cedar mittite, & videte ſi factum eſt huiuſcemodi, ſi mutauit gens Deos ſuos? & certe ipſi non ſunt dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam, *Ierem. 8. verſu 17. Rom. 16. 17. Deut. 18. 20. Ierem. 2. 10. Cochlæus de actis Lutheri, Schopperus, & alij paſſim.*

Andreas Carolſtadius, deliteſcente ex metu ad tempus Luthero (qui eo tempore ſe dixit in Pathmon inſulam ſcilicet relegatum fuiſſe) imagines Diuorum diruit, ceremonias ſacras abrogat, & ſimul ſacrificium myſticum; ac Chriſtum in ſacramento altaris eſſe primus hoc tempore negat. Quam ob rem rediens Lutherus iratus, quod citra ipſius autoritatem tanta auſus eſſet, ditione eum Saxoniæ expulit. *Hoſius aduerſus prolegomena, Cochlæus de actis Lutheri, Schopper in chorographia, Sleidan. lib. 3.*

Philippus Melanthon quem Lutherus adoleſcentem arrogantem plurimi faciebat; poſtea è cerebro ſuo Confeſſionem Auguſtanam dictauit, ſententiam de iuſtificatione, cum humana potius eruditione, quam Spiritu diuino duceretur, quaterdecies variauit;

Lutherum tanquam Manichæum de fato damnauit, deſciuitq; ad Caluinianos. *Hoſius, Staphylus, & ipſe Melanthon in ſcriptis.*

Vlricus Zuinglius alter hæreſiarcha anno 1519. in Heluetia emerſit, atque anno 1524. contra ſacram Euchariſtiam Corporis Domini ſtylum ſecundus acuit, cui cum Luthero acerrimæ inimicitiæ ob id interceſſerunt. Id verò dogma partim ex priuata arrogantia deprompſit, partim à nocturno ſpiritu confirmare didicit; vt ipſe de ſe fatetur in Coronide de Cœna Domini, vbi dum narrat ſe per quietem cum Catholico ſcriba viſum diſputantem in extremas anguſtias veniſſe, his verbis vtitur: Qui me, inquit, angor vehementer turbare videbatur: ibi ἀπὸ μηχανῆς viſus eſt monitor adeſſe, ater fuerit, an albus, nihil memini, ſomnium enim narro, qui diceret, quin ignaue reſpondes ei quod Exod. 12. ſcribitur, eſt enim phaſe, hoc eſt, tranſitus Domini; protinus vt hoc phaſma viſum eſt, ſimul expergeſio, & è lecto exilio; locum apud ſeptuaginta primùm vndique circumſpicio, ac de eo coram tota concione pro virili diſſero; hæc de ſe ipſe Zuinglius fatetur, ac ſubdit, ſecutum eſſe magnū illius eccleſiæ applauſum, ab eoque tempore doctrinam ſuam indies incrementa feciſſe. Nequaquā ipſe apoſtolici Canonis memor præcipiētis, nolite omni ſpiritui credere. 1. Ioan. 4. & licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquā quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Galat. 1. quanto magis, ſi quid ſpiritus ater, & genius malus dictet; nam angelum bonū fuiſſe, ne ipſe quidē dicere auſus fuit, dicturus haud dubiè, ſi eum ex Deo eſſe cognouiſſet. Hoc itaq; monitore, & incentore, quo eodē Lutherus extimulabatur, ſanctiſſimum Chriſti corpus in Euchariſtia præſens eſſe negauit, ſacrificium miſſæ ſuſtulit, & doctrinam Chriſtianam pluribus locis peruertit. Occubuit verò bello Heluetiorum inteſtino, cuius ipſe claſſicum cecinerat. *Sleidan. lib. 3. & 8. Schopperus in chorograph. Zuing. lib. de ſubſidio, vel coronide Euchariſtiæ.*

Anabaptiſtæ tertius hæreticorum ordo, autores habuerunt ex Lutheri diſcipulis plures, Balthaſarum Pacimontanum, Thomam Munzerum, Carolſtadium, Bernardum Rotmanum, & Nicolaum Stolcum; emerſerunt anno 1525. viſiones ſpiritus nocturnas prætēdunt,

dunt, negant baptiſmum puerorum, quos baptiſatos cum adoleuerint rebaptiſant, cõiugia promiſcua celebrant, magiſtratum nullum agnoſcunt, innocentiam morum magnam præ ſe ferunt, qua incautis plurimùm imponunt. *Hoſius lib. de hereſ. 1. Gilbert. cognat. hiſt. tragica. Lindan. Staphyl. Ederus lib. inquiſitionis.*

Confeſſio Auguſtana à Proteſtantibus principibus, populisque Lutheranis Carolo Imperatori exhibetur anno 1530. quam nunc illi communiter profitentur multoties inde variatam. *Suri. Ederus de Inquiſitione Euangelica.*

Hugonoti in Gallia oriuntur ex Zuinglij ſcriptis clam in eam illatis, & libro ad regem ſcripto anno 1531. deinde verò anno 1534. paſquilli libelli venenatiſſimi ab ipſis contra eccleſiam per vrbes, & compita ſparguntur, Expulſi illi edicto regio, recipiuntur anno ſequente, qui reſipiſcerent; pertinaces verò Argentoratum concedunt. *Tilius chron. Zuinglius expoſit. fidei Chriſti. Sleidan.*

Michaël Seruetus, & Iohannes Campanus aduerſus ſacroſanctam Trinitatem impiè docent anno 1532. hic Lutheri diſcipulus Vvittembergæ, ille Caluino ſocius fuerat, ab ipſo poſtea ad ignem damnatus. *Cochla. Bolſec. de vita Caluini.*

Iohannes Leidenus Sartoriæ olim artis, rex fit anabaptiſtarum; ſpiritu, aiebat, iuſſus rex eſſe Iſraëlis, & iuſtitiæ. Huius auſpiciis illi per Veſtphaliam ferociter debachantur, Monaſterium vrbem vi capiunt, vnde regia excitata, rex apoſtolos ſuos in orbem emittit, euangelium quintum iſtud debuccinaturos. *Gilbert. Cognat. de narrat. tragicis, Cochlaus.*

Chriſtianus nomine, rex Daniæ in regni auſpiciis coronatur à Bugenhagio Pomerano prædicante Lutherano anno 1537. ita eccleſiam iſti in ceremoniis & damnãt, & imitantur ad libitum. *Funcc ius chronolog.*

Iohannes Caluinus hæreſiarcha ſacramentariorum tertius, & maximus præſentiæ Domini in Euchariſtia hoſtis, Nouioduni patria ciuitate Galliæ ob flagitia cauterio exactus, Pictauij primum virus dogmatum per tres emiſſarios proſeminauit: inde in Germaniam veniens Bucerum audiuit: tum verò Geneuam Zuin-

Zuinglianam appulit, iterumq; inde ob nouandi cupidinem pulſus, anno 1538. Argentorato eodem rediit cum Vireto, opera Farelli miniſtri, quem paulò poſt ſede quoque mouit. Cum eſſet in docendo vaſer, callidus, arrogans, ac fingeret ſe myſteria fidei ſumma, & maximæ conſolationis proferre; nouam cœnam infidelitatis à ſe coctam ſuis appoſuit; blaſphema multa docuit, Deum magnam hominum partem ad damnandum creaſſe, hominem non libera voluntate, ſed Deo concitante ſcelera patrare, baptiſmum infantibus minimè prodeſſe, aliaq; huiuſmodi infinita, quæ per Gallias, & alibi diſſeminauit, in hoc vnum neruis omnibus intentus, vt nouis inſtitutionibus Chriſtianæ fidei ad libitum perſcriptis, apoſtolicam eccleſiæ doctrinam ferè vniuerſam paſſim per ora hominum traduceret, & religionem Chriſtianam, multò quam Lutherus immaniore vaſtitate obtereret, peſſundaret, ex hominum memoria penitus auferret; Luthero ob id infenſus plurimum, quod cum aduerſus eccleſiam ſtrenuè rem cæpiſſet, nunc fixo pede obſtinatus, ſecum pergere porrò nollet; vnde orta noua Gigantomachia, ac diuulſis conſpirationis legibus odia acerbiſſima Lutheranos, & Caluinianos ad conflictum inter ſe commiſerunt, cuius ex euentu id conſecutus Caluinus eſt, vt quemadmodũ res ſolent in peius ruere, extincto iam ferè Zuinglianiſmo, vix ſe amplius tueri ab ipſo Lutherani queant, quin quo modo ipſi Catholicos exibilarunt, eodẽ modo nunc à Caluinianis exſcindantur; & Caluinum iam quoque lacerent Libertini in Gallia, Puritani in Anglia, Trinitarij in Polonia, Samoſateni in Tranſyluania; aut eum, cum maximè probant, non niſi mutilatum, & vt quodque cuiuſque palato ſapit, admittãt. Quatuor ante mortem annos nouem horrendis, & inuſitatis morbis afflictus, & exeſus periit anno 1564. *Claudius Sanctes. libris contra Cal. & Bezam. Hieron. Bolſec. de vita Caluini, Hoſius* 1. *hæreſ. Bellarm.* 4. *de eccleſ. cap.* 7. *Pet. Victor. Caietanus gallica admonitione ad nobiles: & Caluin. ipſe* 4. *Inſtit.* 17. *ſectione* 10. 12. *&* 5.

Dauid Georgius Neomeſſias, Dei filium impudens ſe aſſerit, anno 1544. in Belgio per epiſtolas phanatiſmum ſuum dictabat, Baſileæ ipſe conſtitutus, vbi poſt eius mortem lata ſententia eſt, nefas

eſſe,

eſſe, impoſtorem inter Chriſtianorum corpora ſepultura vti; ac reſoſſus ſimul cum ſuo ſimulachro, & liberis exuſtus eſt. *Ex eius hiſtoria Baſilea edita.*

Suencfeldius nobilis Sileſius; imitatus Munzerum, tantam Bibliorum inter ſectas inculcatam lectionem pertæſus, non è litera, ſed à ſpiritus dictamine veræ fidei doctrinam expetendam eſſe contendit; anno 1545. atque ita ſacra Scriptura impiiſſimè exauctorata, ſomniis ipſe, & viſionibus niti incipit: Chriſtum non ex Maria, ſed è cœlo humanitatē aſſumpſiſſe ſomniat, & ſimilia. *Hoſius lib.1. cōtra Brentium, Cochlæus de actis Lutheri, Schopperus in chorographia.*

Anglia in ſchiſma labitur, Henrico 8. rege, qui catholicæ fidei propugnator fuerat, caput ſe Anglicanæ eccleſiæ aſſerente; & catholicos nō conſentientes miſerrimè affligente. Succedente verò rege Eduardo Zuinglij dogmate inficitur, autoribus Martino Bucero, Petro Martyre, & Bernardo Ochino; qua in hæreſi cum per octo annos hæſiſſet, ad catholicam vnionem rediit, auſpiciis Mariæ reginæ: tandem in Caluiniſmum abiit. *Sanderus de ſchiſmate Anglicano.*

Palatinatus prouincia ad Rhenum Lutheri doctrinam profitetur, comite Palatino Otthone Friderico; comite deinde Friderico Caluinum amplectitur; tum Lutherum iterum ſuccedente filio: demum Caluino reconciliatur, ac porrò adhæret. Qua ratione Chriſtus ſaluator eam religionem cogitur acceptare non quam per ſanctos apoſtolos in eccleſia tradidit, ſed quam homines aliam, atque aliam inuexerint: ac porrò cogitur in ſacra Euchariſtia pro hominum affirmatione, & negatione nunc adeſſe, nunc abeſſe.

Succreuerunt ſectarij alij plurimi; & ſcriptores inter quos præcipui Martinus Buzerus, Iohannes Brentius, Vvolfgangus Muſculus, Matthias Flaccus Illyricus Centuriatorum coryphæus, Andreas Oſiander: item Petrus Martyr Florentinus, Iohannes Oecolampadius, Conradus Pellicanus, Henricus Bullingerus; qui, vnaq; alij pene innumeri, in nouo iſto Euangelio, vel potius ſectis admodū diſſectis tradendis, turpiter variant, errantq;, dum quiſque ſapere ſe præ aliis putat. Tanta verò animorum diſſenſio, & de doctrina

Euangelica concertatio, inter ipſos cernitur, vt cum ſint eccleſiæ Chriſti hoſtes iurati, non minus tamen ſeipſos, quàm eccleſiam ſcriptis impugnent; & eueniat quod apud prophetam eſt; Vorabit Manaſſes Ephraim;& Ephraim Manaſſen, ſimul ipſi contra Iudam. *Iſai.* 9.

CAP. XLIII. FERDINANDVS *Imperator.*
Anno 1558.

FERDINANDVS Auſtrius rex Vngariæ, & Bohemiæ, Carolo V. ſucceſſit 13. Martij, grauitate, eruditione, religione, ſapientia eximius: multa in Vngaria contra Turcos bella geſſit, ob Iohannis Vaiuodæ, qui itidem ad illius regni faſtigium enitebatur, factionem. Imperauit annos 6. menſes 4. dies 13.

Germani ex quo tempore catholicam fidem deſeruerunt, libertatis imperij gloriam imminutam vident, imperatoribus poſthac tributum Turco penſitantibus.

In Gallia ſuccedit Henrico 2. anno 1560. Franciſcus 2. & eo mortuo, anno 1561. Carolus 9. quo tempore Hugenotorum rebellantium factiones oriuntur, & iam ſupra triginta annos continuantur.

Regnum ineunt in Hiſpania anno 1558. Philippus 2. potens: in Anglia anno 1559. Elizabetha: in Dania Fridericus anno 1559. in Suetia anno 1560. Ericus, qui poſteriores duo reges ſe terra, mariq; bellis fatigant, conficiuntq;.

Moſchouitarum magnus dux eſt Iuuan, vel Iohannes 3. finitimas prouincias grauiter infeſtant. Res Turcicæ ſub Carolo iam, poſtulante ita ſerie, enumeratæ ſunt.

De Eccleſia Chriſti.

ECcleſia Catholica, dum diſceptant nouatores, per ſuccedẽtes ordine generationes, in verbo veritatis, in fide Chriſti, & gratia Dei porrò propagatur: Hoc enim fœdus meum, dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedunt de ore tuo, & de ore ſeminis tui dicit Dominus, à modo & vſque in ſempiternum. *Iſaiæ* 59.

PIVS

228 Pius IV. Pivs *IV.* Mediolanenſis, pont. max. anno 1560. omnem diligentiam adhibuit, vt concilium diu inchoatum abſolueretur. Præfuit annos 5. menſes 11. dies 15. *Onuphr. in eius vita.*

Abd Iſu Orientalium Chriſtianorum trans Euphrâtem patriarcha, & primas, Aſſyricæ, Chaldaicæ, & Arabicæ linguæ, & diuinarum litterarum egregiè peritus Romam anno 1562. vt confirmaretur ad Pontificem venit, fidei profeſſionem Catholicam à ſe ibi præſtitam Tridentum ad Concilium miſit, cuius decreta viciſſim petiit; erat is olim monachus ordinis S. Antonij; eius cathedra eſt Muzal Aſſyriæ Orientalis, Moſul dicta: præeſt ipſe ſeptem archiepiſcopis, quatuordecim epiſcopis imperij Turcici; quatuor archiepiſcopis, nouem epiſcopis in imperio Perſico: tribus archiepiſcopis, vni epiſcopo in India quæ Luſitanis paret, quorum omnium nomine profeſſionem fidei, vnitatisq; fecit: quoniam verò Orientalis eccleſia archiepiſcopum & metropolitanum non ſemper pro eodem ſumit; quos archiepiſcopos nos dicimus, ipſe metropolitanos dixit; multa cum eo Romæ Onuphrius egit, ac referebat ille plurima patrum ſcripta, ignota nobis apud ſuos extare; religionem Orientalium de ſeptem Sacramentis, & cæteris cum Catholica planè conformem eſſe, eamq; illos religionem habere à SS. Apoſtolis Thoma, & Iuda Thaddæo. *Onuphr. ſub Pio 4. & litera Abd Iſu ex vrbe Roma Tridentum miſſa, quæ extant inter literas & orationes Legatorum Concilij Tridentini.*

Concilivm Tridentinum ſacroſanctum œcumenicum octauo decimo poſtquam inceptum eſſet anno, nempe 1563. perficitur; quũ interea ſæpius interruptum bellis, & aduerſariorum tergiuerſatione eſſet; tanto enim ex tempore, anni quatuor, & ſex mẽſes interruptis vicibus nõ amplius, Patrũ cõgregationi tributi ſunt; idem autẽ euenit, quod de ſuo tẽpore D. Hieronymus ſcripſit, Acciti frequentioribus literis hæretici, ait, vt ſe ſe defenderent, venire nõ ſunt auſi; tantaq; vis cõſcientiæ fuit, vt abſentes damnari, quàm præſentes coargui maluerint. Actum verò in eo eſt, de omnibus

fidei Chriſtianæ dogmatibus, & nouatoribus in diſceptationem vocatis, & de reformatione ſacerdotalis ordinis diligenter. Interfuêre præter ducentos quinquaginta quinq; epiſcopos, atque abbates, centum ſexaginta doctores Theologi, & vnà principum legati; in quo ſacro cœtu patrum, multi ſingulari vitæ ſanctimonia, multi ſacrarum literarum ſcientia, multi rerum vſu, & prudentiæ laudibus eminebant. Canones & decreta poſt vnanimem patrum acclamationem confirmauit Pius 4. Non deſûnt verò qui ſacrum hoc, & legitimum Concilium conuiciis perſtringant: ſed ea eſt hæreticorum petulantia, vt niſi quod cuderint ipſi, nihil probent, nec velint iudicio eccleſiæ ſtare, quod Chriſtus Dominus præcipit, ſed eccleſiam ipſi iudicare; ſic autem nec olim deſuêre, qui Concilia Nicænum, & Chalcedonenſe ſanctiſſima conuellerent; quorum tamen conatus irritus cum ignominia ſempiterna periit; conciliis ipſis diuino ſpiritu perpetuò conſtabilitis. Legat verò qui volet concilij huius vniuerſa decreta; fatebitur is haud dubiè, non indolem cuiusq; priuatam, ſed præſidem totius eccleſiæ, qui eſt à Chriſto Domino noſtro promiſſus, Spiritum ſanctum illic decernere, ſtatuere, edicere; *Vide Canones, Concil. Trid. Onuphrium ſub Paul. 4. Hieronym. ad Principiam. Diegum Dandradam, Andream Vegam, & Iodocum Tiletanum aduerſus Kemnitium, lege etiam Stanislaum Reſcium lib. 2. de vita Stanislai Hoſii Cardinalis, in Concilio præſidis.*

In Iaponia fides Catholica mirificè per ſocietatis Ieſu presbyteros prouehitur; ac licet Boncij idolomaniæ ſacerdotes quàm pertinaciſſimè obſiſtant, tamen Chriſto omnium præpotenti Victori, loco cedere, cùm verbo Dei, tùm ſalutaribus ſignis, & miraculis compelluntur; neophyti, & Chriſtiani quicunque fide, & gratia imbuti magnificè Chriſtum regem laudibus concelebrant. ornantq;; tantoq; in eum ſunt amore accenſi, vt ad ſanctiſſimam Euchariſtiam acceſſuri præ bonitatis ipſius conſideratione in lachrymas longè effundantur: pauperum etiam curam ſingularem ſuſcipiunt, nec minus ægrotantium ſiuè fideles illi ſint, ſiuè infideles; qua ex beneficentia, vt etiam ex presbyterorum ſocietatis vltronea inopia, & opum deſpicientia ad ſtuporem vſque mouentur pagani, au-

tumantq́; ſpe indubitata, Chriſtianos multò maiores opes in vita futura noſſe, ad quas, ſpretis præſentibus, animo intendant. *Epiſtola Iaponica lib.* 2. *&* 3.

Viri docti philologi clarent, Henricus Glareanus; Carolus Sigonius; Andreas Theuetus Coſmographus, Petrus Ramus nouus, & inſignis philoſophus methodicus; in religione tamen minimè ſincerus vt & Georgius Buchananus poëta.

Hæreſes.

ELizabeth regina Angliæ, nuncio remiſſo catholicę fidei, quam ſimulabat, Caluinianam hæreſim introducit, caput ſe eccleſiæ promulgat, catholicos ad quadraginta annos extrema crudelitate pro viribus extirpat. *Sanderus lib.* 3. *ſchiſmatis Anglicani.*

Scotiæ regnum Caluinianorum factione variè affligitur, demolientibus hæreticis altaria, & ſacra quæcunque, autore Knoxio miniſtro, fruſtra renitente regina Maria. Ita qui libertatem religionis tantopere à catholicis efflagitãt, nullum ipſi, ne magiſtratibus quidem, liberum religionis catholicæ exercitium permittunt, ſicubi ſuperiores euadunt: tantum enim abeſt, vt plebi catholicæ ex Scotia liberum id conceſſerint, vt ne reginæ quidem aliud, quàm vnũ ſacrificium altaris, idq́; priuatum in ſacello ignobili reliquum fecerint. *Ex chronologia vitæ Mariæ reg. & Natali Comite lib.* 13. *hiſtor.*

Martinus Kemnitius bipedum ſuperbiſſimus, Philiſtæus incircumciſis labiis, auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis, & ſacra Concilij Tridentini decreta confutare; confutatus ipſe viciſſim egregiè cum ſuis argutiis, & mendaciis ab illuſtribus in eccleſia viris.

Lucas Sternebergius, Lutheri, Caluini, Petri Martyris auditor, hæreticorum colophon, explodit ſacroſanctam Trinitatem, negat Chriſti Deitatem, ſpiritum ſanctum ludibrio habet, vilipendit Mariam Dei genitricem; ac multò magis baptiſmum, Euchariſtiam & alia. Hos nimirum fœtus, hos fructus ſanctum illud hæreticorum generat euangelium. *Prateol. ex Staphylo de Lutheran. concordia.*

CAP. XLIV. MAXIMILIANVS *II. Imperator. Anno* 1564.

MAXIMILIANVS *II.* Auſtrius, Vngariæ, & Bohemiæ rex, Ferdinando patri 25. Iulij vita functo ſuccedit, pace, & bello clarus, multa egit in comitiis de ſuppetiis contra Turcos mittendis, quos in Vngariam iterum irrumpentes feliciter profligauit, quo tempore Lazarij Schuendij ſingularis in Turcos, & confœderatos ſumma cum laude virtus enituit. Imperauit annos 12. menſes 2. dies 17.

Imperator Turcorum eſt Soleimanes 2. adhuc, & anno 1566. Selimes 2. Perſarum Techmaſis filij ordine, Haidar Miſires dies quindecim, Iſmail 2. menſes 6. poſtea Muchemeres cum filio ſuo Emir-Chan-Miſices; Tartarorum Vlu-Chan: Moſcouitarum magnus dux Iuuan, ſeu Iohannes Baſilius, tyrãnus omnium immaniſſimus.

Rex Galliæ Carolo 9. fratri ſuccedit anno 1574. Henricus 2. qui cum eodem anno rex Poloniæ creatus eſſet, intellecta fratris morte, relicta Polonia Galliam repetiit. In Suetia ſucceſſit quoque Iohannes 3. cæteris in regnis ijdem adhuc præſunt.

Melita inſula anno 1565. à Turcis ſtupenda claſſe inuaditur, obſidionem paſſa atrociſſimam menſes aliquot, qua in arces, & oppidum ab hoſte octuaginta mille ferreæ machinarum ignearum pilę diſploſæ ſunt; ſummus ordinis Iohannitici magiſter Valetta velut alter Iudas Machabæus incredibili induſtria, & fidei firmitudine cum ſuis ſe oppoſuit hoſti, quem tandem re infecta, accepta maxima clade obſidionem ſoluere coëgit; cæſi verò ſunt Chriſtiani inter propugnandum ad ſexaginta nouem millia, inter quos trecenti tredecim equites fide, & virtute ſtrenui; à quo tempore inſula firmiſſimis propugnaculis in hoſtem circummunita eſt.

Sigethum arx Vngariæ validiſſima anno 1566. à Turcorum quinquaginta millibus obſidione cincta, & per totum menſem diu noctuq; tormentis bellicis diuerberata, Nicolao comite Scrino admirabili animi fortitudine eam ad extremum propugnante, tandem in Turcorum poteſtatem venit.

Belgica bella prouincialium in regem Philippum Hiſpanum rebellium, religionis prætextu incipiunt anno 1566. duce principe Vranio, quæ hactenus perſeuerant.

Ferraria Italiæ ciuitas anno 1570. terræmotibus ſuccuſſa fœdè laceratur.

Cyprus nobilis inſula expugnatur à Turcis anno 1571. Chriſtianis ciuibus Nicoſiæ, & Famaguſtæ miſerandum in modum, ſupra fidem datam, cruciatibus à Turca affectis, & contrucidatis, præſertim conſtantiſſimo Famaguſtæ præfecto Marco Antonio Bragadino, quem ob fidei Chriſti profitendæ perſeuerantiam crudeliter excoriatum Turcus Baſſa necauit. Eius imperium quàm ferum, inhumanum, & intolerabile ſit, Cyprij nunc cum lachrymis teſtãtur; quorum adeo mutata fortuna eſt, vt non agrorum, hortorumque cultus, non ædificiorũ, & ciuitatũ ſplendor, non inſularium, ac ciuiũ dignitas vllo modo priſtinæ felicitatis veſtigiũ referat, retineatué. Audiuimus ipſi anno cladis decimo Cypriũ ſenẽ, virum grauẽ, dũ nobis ad littus ſub veſperũ conſidentibus, inſulæ ruinas monſtraret, narrantem, hanc ipſos calamitatem meritò incurriſſe; cum quòd magiſtratum Venetum contemptui habuiſſent, tùm quòd fertiliſſimi agri copiam, vbertatemq́; in luxuriã, in ſympoſia, in bacchanalia vertere ſoliti fuiſſent, quam ſcenam cataſtrophe iſta ſubſecuta eſſet; Ecce enim, ait Ezechiel, hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & luxuria, & ocium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant. Ezech. 16.

Fœdere ſancto P I I V. Pontificis, Philippi regis Hiſpaniarum, & reipublicæ Venetæ, iunctis viribus, claſſe inſtructa anno 1572. Turcus à Chriſtianis victus, & merſus eſt ad Lepãthum, veteribus Naupactum, in ſinu Corinthio; victoria memorabili, & feliciſſima; claſſis Chriſtianæ præfectus erat Iohannes Auſtriacus illuſtris heros, cui adiuncti erant Marcus Antonius Columna dux Romanus, & Sebaſtianus Venerius Venetus, armis & virtute egregiè conſpicui.

Tunetanum regnum Africæ ab Iohanne Auſtriaco Turcis eripitur, anno 1573. amiſſum iterum anno ſequente.

Turcorum 13. Imper. Sultan Selin Chan, noſtris Selimes 2. Cyprum

prum Chriſtianis extorſit, vt & Dulcinum Dalmatiæ; Cretam verò, Citheram, Zacynthum, & Cephaloniam Venetorum inſulas irruptione facta diripuit; Tunetum recepit, Corcyram infeſtauit; ab eo defecerunt Arabes, ſub quibus computantur Saraceni, Alani, Mamelucci; cæſus eſt à Moſcouitarũ duce ad Volgam, & Tanaim flumen amiſſis octoginta ſuorum millibus, quorum ne vnus euaſit: Imperij initio fratrem Bajaſitem finibus expulit, atque ad Perſas fugatum, cum quatuor filiis, neruo iniecto, more Othmanidis familiari ſtrangulari curauit: filios reliquit ſex, Sultan-Murat-Chan, Muchemetem, Aladinum, Ziangir, Abdallam, Soleimanem.

De Eccleſia Chriſti.

CAlamitoſum hoc tempus eccleſiæ fuit, accepta vtrinque ab infidelibus, & hæreticis clade nõ leui; vt propemodum tempora perſecutionis Arrianorum, Nouatianorum, Vandalorum, ac Donatiſtarum recruduiſſe exiſtimarentur.

Angliæ regina Draconis leges dictat, edicta in Catholicos plurima, ſanguine omnia ſcripta, promulgat; carcere, cæde, quotquot perquiſitos reperit perſequitur, exilio cæteros extorres abigit. *Libellus de perſecutione Anglicana, Campianus de rationibus fidei Cathol. Oſori. epiſt. ad Eliſabetham reg. Sander. lib de ſchiſmate Anglicano.*

Per Galliam Hugenothi ab anno 1562. incredibili veſania in eccleſiam graſſantur, templa, altaria, imagines, monaſteria demoliti ſunt, turres, & mœnia oppidorum diruerunt; ciues aut expulerunt, aut inſpicientibus liberis, & coniugibus gladiis traiecerũt; aurum, argentum minis, tormentis extorſerunt, ſacra prophanauerunt, ſupellectilem rei diuinæ comminutam diripuerunt, ſacro chriſmate ocreas, calceos illiniuerunt, ſacram Euchariſtiam Dominici corporis, & ſanguinis ſclopetis tranſuerberarunt, pedibus proculcarunt, proiecerunt q; canibus vorandam; Dei viuentis, & ſempiterni nomen ſanctum, & terribile, adhæc Diuos omnes, & eccleſiam blaſphemis vocibus proſciderunt, ſanctorum reliquias effractis monumentis, & thecis exuſſerunt, præſertim corpora S. Martini, S. Irenæi, S. Hilarij, & aliorum: ſumma, infra ſex non totos annos, ſexcenta monaſteria vaſtauerunt, & ſacerdotum Dei quinque millia

ſtran-

ſtrangularunt,globis igneis tranſfixerunt, aſſauerunt, excoriarunt, exenterarunt, merſerunt, aliisq; modis excruciârunt. Atque hæc ratio illis fuit, & via apoſtolica ſcilicet, quintum iſtud euangelium propagandi,& eccleſiam,vt aiunt,reformandi. *Natalis lib.18. h. flor. Sanct. ſius lib. peculiari de perſecutione & direptione eccleſiarũ Galliæ.*

In Belgio Geuſij Caluiniani eandem prorſus atrociſſimam rationem ineunt euertendæ eccleſiæ Catholicæ,per Flandriam, Holandiam, Selandiam, Friſiam, quæ in multos poſtmodum annos producta eſt *Surius.*

Scoti expulſa regina Catholicos infeſtis armis vexant, atque religionis ſacræ exercitiis omnibus priuant. *Natal. lib.16. Chrono. Scotiæ ex Leslao, & Buchanano.*

Alexandrinus patriarcha ex AEgypto per legatum virum grandæuum ex Thebaide Romam miſſum, ſummo Pontifici obedientiam,& communionem ſpondet. *Surius.*

229
Pius V.

PIVS *V.* Alexandrinus,Italus,pont. max.anno 1566.tantæ pietatis,continentiæ, virtutis, & ſanctitatis fuit, vt improbis terrori, piis amori, omnibus admirationi eſſet; multa ille deprauata, & vitioſa ad frugem & integritatem reuocauit, non tam legum multitudine, quam diligenti animaduerſione,qua conſtabat cuique,aut Chriſti Domini mandatis,& eccleſiæ decretis parendum eſſe, aut ſubeundam pœnam; fruſtra enim,aiebat, nos crucem Chriſti, eiusq; pro nobis effuſum ſanguinem,in gloria noſtra poſituros,ſi illius exempla, & præcepta vitæ negligamus. Tridentini concilij Canones vbique terrarum non ſolùm recipi,verum etiam in actionem deduci maxima,& apoſtolica ſolicitudine procurauit, excelluitq; miraculis. Præfuit annos 6.menſes 3.dies 16. *Natal.16 & 17. hiſt. Muretus orat. funebri.*

Congregatio oratorij Romæ excitatur à Philippo presbytero, ſacerdotum in communè viuentium ad canones ſanctè & piè inſtitutos, & plebem in via Domini ſincerè inſtituentium, quorum & numero ſunt Baronius magnus, & Bozius.

Stanislaus Hoſius Cardinalis epiſcopus Varmienſis apoſtolica

magnanimitate,ſingulari rerum diuinarum, & humanarum ſcientia,vitæ innocentia, virtutum ſplendore, & ſedula muneris epiſcopalis adminiſtratione floret, contra hæreſes in Poloniam irrumpētes,ſeſe opponit monitis, doctrina,ſcriptis. *Cuius vitam fuſè, & doctè ſcripſit Stanislaus Reſcius ipſius familiaris libris tribus.*

Vlricus Comes ab Helffenſtein comperta ſectariorum inconſtanti doctrina,quæ & fundamento & vnitate, ſpiritus ſancti vinculo,deſtituta eſſet,ad orthodoxiam cum ſuis redit. *Surius.*

Henricus, Emanuelis Luſitaniæ regis filius Cardinalis, & archiepiſcopus Eborenſis ſapientia,maximarum virtutum, & ſanctitatis laude in Hiſpania mirificè elucet, ad quem etiam regni Luſitaniæ ſceptrum paulò poſt defertur. Florēt vnà duo epiſcopi ſummæ eruditionis, eloquentiæ, & integritatis, Hieronymus Oſorius Syluenſis; & Melchior Canus Canarienſis.

In Germania inferiore doctrina, vigilantia, & pietate ſancta excellunt nouorum epiſcopatuum primi epiſcopi, Cornelius Ianſenius trilinguis,Gandauenſis, Vilhelmus Lindanus Ruremundenſis, Franciſcus Sonnius Buſcoducenſis, & Cunerus Leouardenſis.

Theologi ſcriptis celebres ſunt, Iohannes Maldonadus: Claudius Sancteſius Epiſcopus; Sixtus Senenſis; Franciſcus Turrianus; Alanus Copus; Didacus Stella; Hector Pintus; Hieronymus Oleaſter; Iohannes Ferus; AEgydius Topiarius; Edmundus Campianus, Iacobus Pamelius; Petrus Galeſinius; Dominicus Bannes; Iacobus Feuchtius; Michaël, & Bartholomæus Medina; & alij plurimi.

Hiſtorici ſacri inſignes florent Laurentius Surius; Onuphrius Panuinius; Iohannes Petrus Maffeius; Arnoldus Mermannus.

Sacrorum Bibliorum apparatum, ſacris linguis quàm diligentiſſimè inſtructum adornat cum aliis Benedictus Arias Montanus: ac florent vnà Paulus Manutius, & Iulius Pogianus: ſtylum Decretorum Tridentini concilij perhibent illius eſſe: huius verò, Catechiſmi Romani.

Indiæ eccleſiæ per ſacerdotes ſocietatis Ieſu indies augentur adeò,

deò,vt Goa, Comorinum, & montanus Cocinenſium tractus trecenta millia Chriſtianorum Chriſto produxerit. *Acoſta comment. Orientis, Surij appendix.*

Sinarum regio,ſeu Schina ſupra Indiam, nunquàm antehac ab exteris tentata, quòd intromittere quempiam fatale ducerent indigenæ, regem adoleſcentem Chriſto cœleſti regi, ceu primitiarũ munus,cum centum millibus per baptiſmum peperit. *ibidem.*

230 Gregorius XIII.

GREGORIVS *XIII.* Bononienſis, pont. maxi. anno 1572. ætatis ſeptuageſimo,naturæ bonitate, eruditione, munificentia, & admirabili vigilantia, omnesq; in eccleſias ſolicitudine celebris,collegia Germanorum, Syrorum, Anglorum, Græcorum Catholicæ fidei ſeminaria magnificè excitauit; Conſtantinopolim,& Alexandriam presbyteros miſit,qui captiuis Chriſtianis adiumento ad ſalutem adeſſent; Armenos ad fidei vnitatem reuocauit, Maronitas in Phœnicia ad orthodoxiam adduxit,religionem collapſam in Dalmatia reſtituit; exules cùm Orientales, tùm Occidentales ab hæreticis pulſos, presbyteros, fideles laicos, & matronas aſſignatis ad vitam menſtruis ſtipendiis, aluit; legatos Orientis Iaponios excepit;viduis,orphanis, virginibus nubilibus,egenis ſtata liberalitate ſeorſim ſingulis prouidit; calẽdarij faſtos ad veterem canonem reuocauit, rogata ad eam rem prius imperatoris Rodolfi, & regum, optimatumq; Chriſtianorum ſententia, vt referentem eum ipſemet audiui; miraculis etiam clarus; nam, vt hoc aliis minus notum ad gloriam Dei adferamus,energumenam quæ nec Friburgi,nec in Eremo D.Virginis in Heluetia, nec Mediolani,neque Laureti à dito hoſpite cacodæmone liberari potuerat, ſolo ſignaculo crucis cum benedictione verſus ipſam facto,dum templum ingrederetur, eiecto maligno ſpiritu liberam, ſaluam, & incolumem reddidit, vt redierint cum ea ſumma cum conſolatione maritus,& parens teſtes ad patrios lares. Præfuit annos 13. menſe vno minus. *Ex actis partim, partim ex obſeruationibus*

Hæreſes.

COlloquium Altenburgenſe à Lutheranis Saxonicis ha-

bitum eſt anno 1570 vbi poſt aliquot menſium infeſtiſſimam altercationem, qua ſe ſe mutuò deprauatæ doctrinæ inſimulant, partim diſceſſum eſt ſubitò, partim concluſum de nonnullis dogmatibus; inter alia verò de bonis operibus in hęc verba; precari Deum oportet, inquiunt, vt in fide ſine operibus bonis omnibus ad finem vſque conſtantes perſeueremus; Item, ad ſathanam ſpectant Chriſtiani cum omnibus operibus bonis; ſola fides ſine omni opere bono efficit omnia; quæ illorum verba formalia ſunt; at quis hæc à ſpiritu ſancto proficiſci credat? *Ex actis, & Caniſio lib. 1. corruptelæ verbi Dei cap. 12, Surio comment.*

Vbiquitatis ſecta à Brentio inchoata per Andræam Schmidelinum Tubinganum exornatur, & propagatur, quæ de Euchariſtia aduerſus Caluinianos alterum extremum tenet; nempe corpus Chriſti non ſolum in Euchariſtia, ſed etiam vt Deitatem vbique in rebus quibuſuis præſens haberi. *Gregor. Valentianus, contra Vbiquitarios.*

Trinitarij in Tranſſyluania, & alibi contra ſanctam Trinitatem docent, Arriumq; & ſimiles ab Orco reuocant. *Vide Hoſi. 1. hæreſ. Lindanum, Prateol. Alfon. Caſtrenſem contra hæreſes.*

CAP. XLV. RODOLFVS *II. Imperator.* *Anno* 1576.

RODOLFVS *II.* Auſtrius, Bohemiæ & Vngariæ rex, Maximiliano patri ſub finem Comitiorum Ratiſponæ vita functo, 12. Octobris recta ſuffectus, Chriſtianorum imperator, fidei, virtutisq; auitæ æmulator, feliciter imperat, contraq; Turcam egregiè dimicat, receptis pluribus oppidis & ſimul Strigonio celeberrima Vngariæ ciuitate, & Raba propugnaculo.

Imperator Turcorum eſt Murates, 3. Perſarum Muchemeth, Tartarorum Vlu Chan, dictus Chitainus Chan, vel Kezies Baſſa, deinde Muchemet Kerai Chan, quo Turcis à ſubditis prodito, ſuccedit frater Islan Chan, Turci ſtipendiarius, quo pulſo imperium inuaſit Vlu Chan Muchemetis filius, quem inter & Perſam fœdus nouum aduerſus Turcos ictum eſt, & inter vtriuſque liberos coniugium

gium initum. Moſcouitarum magnus dux eſt Iuuan, deinde Theodorus.

Polonorum regum ſtirps Iagellonica defecit in Sigiſmundo Auguſto anno 1572. nouies interrupta ab anno 550 electus porrò eſt Henricus Valeſius Gallus, & eo in Galliam poſt fratrem vita functum dilapſo, Stephanus Batorius, qui infra decennium cùm pro fide Catholica, tùm in Moſcum ſumma cum laude plurima perfecit, & de Poloniæ regno optimè eſt meritus; quo mortuo inter ſuffectos diſpari ſuffragio Maximilianum Auſtrium, & Sigiſmundum Suecum, ex Sigiſmundi filia natum, huic ſors fauit, qui cum laude nunc regnat cùm in Polonia, tùm in Suedia vbi etiam patri ſucceſſit.

Portugalliæ rex Sebaſtianus cum duodecim ſuorum millibus in Africa à Mauris cæſus eſt anno 1578. ei ſuffectus eſt Henricus Cardinalis patruus, quo decedente, regnum Luſitaniæ, vnaq; Indiarum, & Africæ prouinciarum ſumma in Philippi Auſtrij Hiſpani poteſtatem conceſſit, Antonio Notho multa in contrarium moliente.

Scotiæ regina Maria in Anglia capite plectitur, innocentiã & fidem catholicam conſtanter profeſſa: Iacobus nothus reginæ frater hæreticus dum regnum affectat, ab hæretico occiditur ex priuato odio: ſuccedit Iacobus 6. reginæ filius anno 1587.

Heluetij pagi Catholici ſeptem priſci fœderis ſanctitatem nouo iuramento firmarunt Lucernæ, anno 1586. Fæciales ex quibuſque pagis bini: facta exhomologeſi, ſacroſanctam Euchariſtiã de manu epiſcopi Nuntij Apoſtolici intra ſacra ſolemnia ſuſceperunt, inde conceptis verbis, erectis digitis, in ſocietatis Catholicæ leges vnà iuratum eſt, & data mutuò fides.

In Gallia Valeſiorum genus expirat; cuius vltimus rex Henricus 3: cum ducem Franciſcum Guiſium heroëm fortiſſimum, eiuſque fratrem Cardinalem occidi iuſſiſſet, occiſus & ipſe eſt; rediitq; regni ſumma ad gentem Borboniam; ac creatus rex eſt Carolus X. Cardinalis ſenex; qui in carcere, quo ab Henrico erat coniectus, & à ſucceſſore detentus, diem extremum clauſit, anno 1589. quo rex fuerat dictus. Poſt diutinam bellorum moram ſucceſſit Henricus

IV. rex Nauarræ.; qui vt regnum catholicum ſibi conciliaret, venit ab hæreſi ad eccleſiam Chriſti.

Philippus.II. potentiſſimus Hiſpaniarum rex, pluribus Europæ prouinciis, in Africæ maritimis regnis, per Indiam Aſiæ nobiliſſimam partem,& per Americam ferè vniuerſam in nouo orbe lõgè, lateq; imperitat; tantoq; terra, mariq; potitur ampliſſimo imperio,quantum vix quiſquam mortalium vnquam poſſedit.Decedẽs anno 1598. filium ſucceſſorem relinquit.

Turcorum 15. Imperator Sultan Murat-Chan, noſtris Amurathes 3. anno 1576. quinque fratres, dum init imperium, de medio tollit; bello Perſico diu diſtentus, ab infeſtandis Chriſtianis abſtinuit, Maronitas, & Truſcos Phœniciæ populos ſubegit, Carniolam vaſtauit; ad Seruam vrbem Meſopotamiæ cæſus à Perſis, centum ſexaginta milia ſuorum vno conflictu amiſit: Rabam in Vngaria munitiſſimum Germaniæ propugnaculum deditione cæpit iterumque amiſit.

Turcorum XVI. Imperator Muchemetes III. Amurathi filius maior natu ſuccedit anno 1595. fratres nouemdecim, ne regnum affectarent, ſtrangulaſſe fertur, intentato Chriſtianis itidem bello.

De Eccleſia Chriſti.

CArolus Borrhomæus Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, ſingulare lumen eccleſiæ, abſtinentia, charitate in Deum,& proximum quemque, ſapientia,& ſanctitate illuſtris; aſſiduus in oratione pro eccleſia Dei, in meditatione rerum diuinarum,& in adminiſtratione earum rerum, quæ plebem ſaluti manciparent, vita non longa ſempiternam gloriam eſt conſecutus: victus ei diu ex pane, & aqua fuit, cubile tabulatum ligneum paleis ſtratum, aut ſtramine; veſtis interior cilicium; menſa inſtructa fictilibus,& vitro; ſomnus parcè ad modicas horas ſumptus; doctrinam Chriſtianam ſæpe ter, quater in diem prædicabat; viſitatores, & cenſores ceu vicarios ad ſexaginta habebat eccleſiarum, parochiarum, monaſteriorum, hoſpitalium, ſodalitatum, pauperum, tribunalis rerum forenſium, à quibus rationem ſtatis anni temporibus exce-

excepiſſe nō cōtētus,præſens ipſe etiā omnia perquirebat,reformabat,decernebat; ac ſtudio indefeſſo luſtrabat ipſe, & recenſebat pagos,oppida; & porrò diœceſes ſuffraganeas ſingulas. Familia ei, vt numeroſiſſima,ita occupatiſſima erat,otio à quouis longè ablegato:peſte graſſante,præſens ipſe decūbentibus aderat, aulæa ad pauperum inopiam ſubleuandam diuendebat. Biblia ſacra vir Dei profundo ſilentio frequenter legebat, tantiſper ob Dei in iis loquentis reuerentiam in genua curuatus.Scripſit plurimas lucubrationes non editas ; ſynodos prouinciales quinque coëgit, quibus ad reformationem Chriſtianæ religionis plurima præclarè ſanciuit.Per odium aliquando à ſcelesto homine, reformationem indignè ferente, plumbeo globo ex tormento igneo petitus, dum in precatione defixus eſſet,fidei plenitudine immotus perſiſtens,non antè ſurrexit,quàm ſolitas preces abſoluiſſet:ac globus,licet penetrata veſte tergo liuidam impreſſiſſet notam, quam poſt eius mortem demum deprehenderunt, ipſum minimè læſit, quòd ſcuto cœleſti munitus à Deo eſſet; cum enim ſe recepiſſet in cubiculum, ſoluta,decuſſaq; veſte,globum in terram excuſſit. Orationem,& diuinas contemplationes poſtremis annis in horas ſenas producere ſolitus, cum eccleſiæ præeſſet annum vigeſimum quintum, obdormiuit in Domino,anno Chriſtiano 1584 ætatis quadrageſimo octauo. *Eius vita carmine,& ſoluta oratione copioſè ſcripta extat: multa etiam nos in ipſo coram obſeruauimus.*

Iohannes Franciſcus Bonhomius Epiſcopus Vercellarum, & Nuncius apoſtolicus ordine ad Rhœtos,Heluetios,Rodolſum Imperatorem, & in Belgium, magna fide, virtutibusq; variis ex primæua eccleſia repetitis egregiè excultus, eccleſiæ Friburgenſis inſtaurator;& vnà alij per Italiam epiſcopi,atque presbyteri Borrhomæum ſtudioſè imitantur.

Guilhelmus Syrletus Cardinalis excellit plurimis animi dotibus,vt incertum fuerit,pietáſne in Deum, an charitas, & animi demiſſio, aut ſcientia abſolutiſſima linguarum ſimul, & diſciplinarum diuinarum in eo potior cenſenda eſſet.

Lado-

Ludouicus Granata inſtituto Dominicanus ſacrarum literarum eam ſcientiam aſſecutus, quæ non tam è libris hauritur, quàm vnctione Spiritus addiſcitur, ſapiētia diuina mirificè excellit; totumq; ſe transfert ad tradendam philoſophiam Euangelicam, quæ ad voluntatem benè inſtituendam potius, quàm ad acuendum intellectum faciat: qua recondita peritia, ſpiritusq; ſuauitate ad ſapientiam ſummorū in eccleſia veteri virorum quàm proximè acceſſit.

Petrus Caniſius theologus ſocietatis Ieſu, toto Chriſtiano orbe notiſſimus, cuius opera principes, imperatores, & pontifices ſæpe vſi ſunt, ætatem quaſi quidam homo Dei, eccleſiæ per Heluetiam patriarcha, fidei catholicæ per Germaniam columna, indefeſſo labore, ac ſingulari ſanctitate exegit: obiit Friburgi in Heluetia anno 1598. ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, mortuus viuaciore colore conſpicuus, quàm viuus: vt licet exeſo per abſtinentiam corpore eſſet, color tamen defuncti floridus, roſeusq; planè fuerit; lucis, ac vitæ beatæ ab eius ſpiritu apud Deum conſecutæ, euidens teſtimoniū.

In rebus diuinis tradendis porrò clarent Franciſcus Toletus Cardinalis; Auguſtinus Valerius Cardinalis rhetor; Conſtantius Sarnanus Cardinalis: Gilbertus Genebrardus linguarum ſacrarum peritiſſimus, theologus grauiſſimus: Georgius Ederus trium ordine imperatorum conſiliarius; Paulus, & Michaël Palatinus: Ioſephus Angles; Benedictus Pererius omnis generis literarum peritiſſimus; Franciſcus Ribera; Gregorius Valentianus; Ludouicus Molina; Ioſephus Acoſta; Franciſcus Coſterus; Petrus Binſfeldius, & alij quamplurimi.

Petrus Gregorius Tholoſanus Iuriſperitorum omnium facilè princeps; magna vi ingenij, exquiſitaq; doctrina iuris vniuerſi pelagus ad ſua capita ordine reuocauit; cum quo vnà floret Martinus Nauarrus Iuriſperitiſſimus.

In humanioribus literis præſtant Marcus Antonius Muretus; & Iohannes Perpinianus oratores ſelectiſſimi; Georgius Mercator; Abraham Ortelius; Iuſtus Lipſius; Iohannes Leonclauius; aliiq;. Ad quos referantur quoque ex aduerſa religione Henricus Stephanus optimè de re literaria meritus: Theodorus Zuingerus; Iulius Cæſar Scaliger, Ioſephus Scaliger, & alij. Maro-

Maronitæ Chriſtiani Phœnices in Syria, Libani montis accolæ, ad orthodoxiam adducuntur, per Iohannem Baptiſtam presbyterum ſocietatis Ieſu, procurante quæ ad religionem introducendã neceſſaria ſunt Gregorio pontifice; legunt, teruntq; illi catechiſmũ Arabica lingua Romæ excuſum, cuius ego exemplum attuli ex Syria. Patriarcham, & epiſcopos, cum presbyteris, & monachis habẽt latinorum amicissimos, ac iam legatus à Patriarcha Romam venerat anno 1515. ad Concilium Lateranenſe 3. vir eximius Acurius Ioſeph. Illud commiſeratione dignum eſt, populos hoſce anno 1584. expugnatos à Turcis, multa atrocia perpeſſos eſſe; qui tamen in fide Catholica porrò perſeuerant, & ad eam ſe mutuò cohortãtur.

In Iaponia Chriſtianorum capita iam recenſentur ducenta millia, templa ducenta; ex ea Romam ad Pontificem venêre legati tres regio ſanguine illuſtres, Mancius, Michaël, Martinus, & quartus Iulianus, partim vt acceptæ ſalutaris fidei Chriſtianæ gratitudinem eò magis teſtificatam omnibus facerent, partim vt religioſæ obedientiæ Deo, & Apoſtolicæ cathedræ fidem coràm præſtarent. Soluerunt ex Iaponia anno ſupra ſeſquimilleſimum octogeſimo ſecundo; quarto Romam venerunt, quinto diſceſſerũt, ſeptimo Goæ in India appulerunt, octauo indè in patriam ſoluerunt. *Acta conſiſtorij Rom. epiſt. Iapon. & Indica.*

231 Sixtus V.

SIXTVS V. ex Marchia Anconitana, pont. maxim. anno 1585. vir acris ingenij, præfuit annos 5. menſes 4. dies 20.

Iacobus Marchio Badenſis in Germania abiurata hæreſi ad eccleſiam Catholicam venit, diſputante cõtra Schmidelinum, alioſque Lutheranos viro inſigni Iohanne Piſtorio, qui Lutheri ſpiritum ad amuſſim detegit.

Perſecutiones incipiunt Chriſti fidelium in Iaponia, vbi Cabacundonus tyrannus ſubactis inſulæ ampliſſimæ plurimis regnis, religionem Chriſtianam extinguere nititur: tanta Sathanæ inuidia

Ooo

eſt in florentem diuini cultus pietatem. Meacum ſedes tyranni grauiſſimas afflictiones ſuſtinuit; ſacerdotes Chriſti exulatū miſſi, totoq; regno exacti; Chriſtiani fortunis omnibus exuti, ſedibus pulſi; templa, & ædificia euerſa, exuſta, ad prophanos vſus redacta; exercitia cultus Dei, ſacramentorum, annunciandi euangelij ſublata ſunt; quæ cauſa eſt cur fideles illic tepeſcere incipiant, ſintq; expoſiti periculo apoſtaſiæ; quanquam in aliis regnis res eccleſiæ vtcunque meliore in ſtatu verſentur. Prothaſius rex Arimæ, & Fidenæ ceu columna fidei illuſtris protectorē ſe profitetur cùm fidelium, tùm legis Chriſti Domini. Iohannes Amacuſæ princeps magnanimus, nihil vult de ſolennitate religionis intermitti: Iuſtus Vcondonus princeps, generoſus Chriſti miles poſt amiſſam dignitatem, poteſtatem, opesq; maximas, etiam vitam paratus eſt pro Chriſti nomine ponere; Gotoni per ſedecim annos deſtituti ſacerdotibus, & ſæpius à perſecutoribus perquiſiti, perſeuerant in ſimplicitate fidei; aliis in locis ſacerdotes aliena veſte circumeunt, ſeruos Dei inuiſunt, docent, hortantur ad conſtantiam; fideles ipſi facultatum amiſſionem, exilia, malaq; alia ferunt æquo animo; & ſi interdiu non licet, noctu ad ſacram ſynaxim, ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ vſum, ad inſtitutiones Chriſtianas conueniunt; tantumq; abeſt, eos de fide, & amore Dei penitus dimoueri poſſe, vt etiam mediis in periculis multa millia paganorum variis locis conuertantur, nomenq; Chriſti, diuina gratia confirmati, profiteri incipiant. *Ex epiſtolis Indicis & Iaponicis.*

In Schinam, vel Sinarum vaſtiſſimam prouinciam aditus etiam ad mediterranea Euāgelio Chriſti patefactus eſt, per ſocietatis Ieſu presbyteros quatuor, anno 1586. tertio poſt anno vt exteri delati, iuſſi ſunt exire Xiauchino regia vrbe, quæ ſedes eſt legati, quem gubernatorem vocant; conceſſa autem illis facultas eſt Xaucheo agendi, quæ in regione Cantone eſt, cuius portus maritimus Macao, vbi, & per vicina loca euangelio de regno Dei promulgando ſalutarem nauant operam. *Ex epiſtolis Iapon. & Sinarum.*

VRBA-

232 Vrbanus VII.

VRBANVS *VII.* Romanus, pont. maxim. anno 1590. magnæ ſpei, & qui pietatis, integritatis, atque in egenos liberalitatis ſpecimen ſtatim ediderat, præeſt dies 12.

233 Gregorius XIV

GREGORIVS *XIV.* Mediolanenſis, pont. max. anno 1590. manſueti ingenij, ex calculi morbo decedit, cum præfuiſſet menſes 10.

234 Innocentius IX.

INNOCENTIVS *IX.* Bononienſis, pont. maxi. anno 1591. creatus ſenex, cui natura vix vnius anni vitam pollicebatur, in omni ætate inculpatæ vitæ, ſimulq; magna prudentiæ laude eximius, dum ſuccurrere vrbi, fame laboranti, & eccleſiæ neceſſitatibus cogitat, & religioſa mente in feriis natalibus ſacras baſilicas vrbis inuiſit, valetudine ex commotione itineris læſa, ad Deum migrat, cum præfuiſſet menſes 2.

235 Clemēs VIII.

CLEMENS *VIII.* Florentinus, pont. max. anno 1592. ſanctimonia, peritia rerum, ſummaq; ſapientia illuſtris, vrbis Romæ viſitatione, & ſacerdotalis ordinis reformatione cæpta præeſt eccleſiæ Chriſtianæ.

Patriarcha Alexandrinus Amba Gabriel cum vniuerſis eccleſiis AEgypti, AEthiopiæ auſtralibus & maritimis, communionem, & vnionem eccleſiæ apoſtolicæ Romanæ ſuſcipit, miſſis Romam legatis presbyteris Ioſepho & Abdelmeſſia: anno 1595.

Rutheni epiſcopi miſſa itidem Romam legatione in cōmunionē eccleſiæ catholicæ ſuſcipiūtur anno codē 1595. *Ex actis vtrumq;.*

Cæſar Baronius Soranus Cardinalis, eccleſiæ Polyhiſtor, cuius omnis vita plena grauitatis, & incredibilis ingenij magnitudo eſt; tot autores perlegit, quot ex ſuperioribus ætati-

bus propè ad hominum venerunt notitiam; tanta ad ſcribendum ſuſcepit, vt quod mihi aliquando referebat, dies, noctesq; ei lucubrandum eſſet; paratus interea dum priuatus viueret, frequenter etiam ad docendum, cùm pro concione populum, tùm ſingulos per confeſſionem accedentes; vt, cui ipſe ſummè ſtudet, animæ puritatem aliis quoque perſuaderet.

Robertus Bellarminus Politianus, ſocietatis Ieſu Theologus, eccleſiæ catholicæ vnus inſtar omnium aduerſus omnes hæreſes propugnator inſignis; linguarum variarum peritia, diuinarum literarum ſana intelligentia, ſacræ theologiæ acumine, ſanctorum patrum abſoluta lectione tam egregiè inſtructus, vt ſingulari dexteritate veritatem confirmet ſimul, & errores conuellat; pietate ipſe alioquin, & vitæ ſimplicitate modeſtiſſimus; quæ cauſſa eſt, cur cum hoſte acerbo, & vafro ſæpe mitius, quàm preſſius agat.

In rebus ſacris perſcribendis florent Romæ vna Thomas Bozius; Antonius Poſſeuinus; Gerardus Voſſius; Auguſtinus Fiuizanius.

In humanioribus celebrantur Chriſtophorus Clauius Mathematicus; Iacobus Pontanus; Robertus Turnerus; Iohannes Iacobus Beurerus; Iacobus Grotſcherus; & vir illuſtris Marcus Fuggerus.

Hæreſes.

LVtherani, autore Martino Cruſio, Græcorum patriarcham Conſtantinopolitanum Ieremiam in ſuam ſentētiam ſcriptis, & legatis pellicere pertentant; verùm longè ſecus, quàm putarant, accidit; reſpondente Græco patriarcha, edito ad Lutheranos libro, ipſorum doctrinam, quòd noua, & à patrum traditione aliena ſit, vaniſſimam cenſeri: vt rectè de hæreſi Lutherana Iſaias dixerit, Miſiſti legatos tuos procul, & humiliata es vſque ad inferos. *Iſai.57. Staniſlaus Socolouius cenſura Orientalis eccleſiæ.*

Hæreticorum tanta diſſenſio depræhenditur, vt non ſolum Lutherani in Caluinianos, aliosq;, & viciſſim hi in illos debacchentur; verùm etiam vt Caluiniani, ita Lutherani inter ſeſe plurimùm diſſentiant quòd non, vt eccleſia catholica vno, eodemque Spiritu

diuino

diuino regantur, ſed nitantur iudicio humano: fiantq; quot capita, tot ſenſus.

Syncretiſmus, & tentata concordia à Proteſtantibus editur, qua conati ſunt Lutherani conſenſionem doctrinæ conflare: ſed nihil minus effectum, gliſcentibus identidem concertationibus, & libro concordiæ, tanquam eo nomine indigno, ab Heidelbergenſibus ſectariis damnato.

Colloquium Mompelgartenſe habitū anno 1586. inter Schmidelinum Lutheranum, & Theodorum Bezam Caluinianum, eorumq; ſocios: multa ad agendum, & grauia propoſita erant; verùm præſidente inter eos ſpiritu diſſenſionis, decimo die, rebus infectis, vtrinque ita diſceſſum eſt, vt ne dexteras mutuò iungere voluerint; ab eoq; tempore ſcriptas nouas pugnas concitauerint.

CHRONICORVM LIBER IX. DE FVTVRIS TEMPORIBVS.

PRAEFATIO.

FINEM mundi, licet ignotum nobis, ipſisq; Angelis, imminere tamen non ita multò poſt, ex eo perſpicimus, quòd vt præmonuit Chriſtus ſanctificator noſter, ſalutaris euangelij prædicatio orbis perluſtret vniuerſi vel remotiſſimas prouincias, quod pſeudoprophetarum excitata plura agmina multos ſeducant; quodque abundè creſcente iniquitate, charitas multorum refrigerata propemodum extinguatur, curſu, lapſuque longè concitatiore, quàm antehac vnquàm; vt quod S. Cyprianus olim dixit, Mundus ecce nutat iam, & labitur; id nunc multò magis locum habeat: & qui animum in mundi totius ſtatum intenderit, faciem quandam rerum aliam, nouamq; quaſi ætatem, præſertim ob nouum repertum orbem, hac noſtra tempeſtate emerſiſſe deprehendat: & qui vitia, corruptos mores, morborum, hæreſumq; inauditam multitudinem, & varietatem reſpexerit, ſuperiorum omnium ætatum feces in iſtam, velut in dolij fundum, reſediſſe animaduertat; qui verò animi aciē ad eccleſię deflexerit amplitudinem, ad dogmatum ſacroſanctæ fidei orthodoxæ declarationem, confirmationem, illuſtrationem, linguarum ſuperiorum frequens ſtudium,

ſtudium, vulgarium elegantiam, doctorum virorum copiam, armorum bellicorum apparatum, artificum ſubtilitatem, adoleſcentiæ maturam perſpicaciam, plebeiorum calliditatem, & in vniuerſum vt corporum & virium maiorem imbecillitatem, ita ingeniorum ſingularem excellentiam, ſiue ad virtutem ea vergat, ſiue in vitium, luxum, faſtum, ſuperbiam, lucrandi technas, & ſimul in pretij rerum omnium ſummam auctionem, is mundum aliam faciem induiſſe facilè iudicauerit; ſiue diuturna ea fuerit, ſiue breui de ſuprema contentione non ſecus remiſſura, atq; ſuperiores nonnullæ ætates, poſtquam ad ſummum perueniſſent, ad priſtinam mediocritatem, modeſtiamque paulatim rediêre. Illud interea maximoperè deplorandum venit, ſathanam, & ſimul inferorum portitores, poſteaquàm Orientem funditus peruerterunt, exſciderunt, ſub iugum miſerunt, nunc è veſtigio Occidentem aggreſſos, eandem perniciem ſummis viribus moliri, vt poſt Iſraëlem oppreſſum, etiã domum Iuda euertant: nec tamen eos, qua ſunt aſtutia, aperta frõte rem gerere, neque inuadere ſimul omnia, ſed ſenſim ſingula, & leuiora quæ videntur; & quidem tanto cum fuco, tamq; elaboratis technis, vt eccleſiam non vaſtare, ſed perpurgare velle videri velint; progreſſos verò paululum, tanta cum rabie graſſari, vt non fruſtra cœleſtes ſpiritus ex Apocalypſi exclament; Væ terræ, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habeat; Quæ dum in ſanctam Chriſti eccleſiam fiunt, veternum tamen Chriſtianos, atque antiſtites vix dum excutere, quantumuis hæreſeon cancer latius ſerpat, vt propemodum iam planctum, & luctum Struthionum nobis Michæas propheta occinat, quia, inquit, deſperata eſt plaga eius; vnde fieri videmus, vt quomodo Græcis pridem in peruerſam labem perductis, ad nos religionis ſplendor omnis conceſſit; ita eadem nunc ratione Chriſtianæ fidei, pietatisq; puritas tranſplantata aboat ad Americos, & Indicos populos, qui dũ Europæi in vitiis ſtertere, fidem negare, & de veritate controuerſari pergunt, ſumma cum gratiæ plenitudine fidem Chriſti, ſanctumque euangelium ſuſcipiunt. Qui quidem vocan-

vocante Deo adducuntur non ad nouas ſectas;ſed ad priſcæ eccleſiæ communionem, & apoſtolicam cathedram omnium eccleſiarum matricem, principemq́; ; quæ profectò vna omnium, ex quo primùm à SS. Apoſtolis Petro, & Paulo fundata eſt, frẹmant licet omnes portarum inferi ſatellites, perpetua temporum ſerie inconcuſſa, & fide prima nunquam irrita facta, conſtans ad extremum perſeuerat; vbi ex aduerſo videas apud nouos, quos vocant, euangelicos & verbum Dei diſcerptum, & patrum doctrinam exciſam, & fidei dogmata exſibilata, & religionem omnem externam, ſine qua hominum cœtus in eccleſia nunquam fuêre, penitus ſublatã, illis nihilominus tanta impudentia inflatis & excæcatis, vt præ ſe omnes deſpiciant, non ſecus ac ſi vni ſaperent, totaq́; antiquitas damnanda eſſet, & eccleſia per cuncta retrò ſæcula errauiſſet, id quod vel cogitare impium eſt;quando eccleſiæ,veræq́; fidei perennis iſthæc, & continua ſucceſſio, ſtabilitasq́; non tam hominum, quàm Dei opus ſit,qui quidem ipſe dedit alios apoſtolos,alios paſtores,&doctores ad perpetuam ædificationem,& inſtaurationem corporis ſui,quod eſt eccleſia,quoad omnes in vnitatem fidei perueniremus. Quæ cum ratio,& ſtatus tempeſtatis huius ſit nobis, in quos fines ſæculorum deuenerunt,ſimul nonnihil de futuris temporibus,quantum è ſacra ſcriptura, & ſanctis patribus colligere licet,addendum videtur; vt temporum rationem ab orbe condito, ad mundi finem, quatenus eius fieri poteſt, penitus omnem ſummatim depingamus; cui non abſonum fuerit, nonnulla de regno Chriſti Domini præmiſiſſe.

Caput I. De prouidentia, & gubernatione diuina.

DEVS æternus, cum ſit fons, & plenitudo potentiæ, & poteſtatis immenſæ,in cœlorum ſplendidiſſima regione ſanè inter mẽtes beatas,& angelicos populos ſumma cum gloria; in hiſce verò inferioribus terræ anguſtiis admirabili cum ſapientia à conditis rebus perpetuò regnat; & res à ſe creatas, vt labore nullo, ita vi,ac ſuauitate ſingulari moderatur: cuius propterea regnum ex mente regij prophetæ eſt regnum omnium ſæculorum; & domi-

natio

natio à generatione in generationem; cuius regni vis omnis, & ratio vno nomine diuina Prouidentia vocatur, qua ipſe in rerum natura conſeruanda, mouenda, prouehenda, ac ſingulis ad finem deſtinatum deducendis vim diuinam cum facultatibus creatis, potentiam firmam cum mobilibus rerum viribus, conſilia æterna cũ liberis voluntatibus tanta ſapientia temperat, & connectit, vt quo magis ea mens humana indagare nititur, hoc plus, quod porrò miretur, reperiat: cum tamen hæc vna vis ea ſit, per quam & ætates mundi plurimùm inter ſe diſcrepent, & regnorum breues, aut diuturniores periodi incertas vices ſubeant; & hominum omne genus perenni ſimul decurſu, & longè diſpari conditione vitam agat; ſiue id ita promereatur culpa, bonitaſúe humana; ſiue rex regum momẽta attendat abſtruſiora, cum ſint iudicia eius abyſſus multa. Pſal 35. verſu 6.

Caput II. De regno Christi.

PRæter regnum id tanta admiratione plenum, ac planè diuinũ, habet Ieſus Chriſtus regnum in terris quoque ſalutare, ſanctumq;, quod, quemadmodum ipſe ſummo noſtro bono Deus & homo eſt, ita diuinam partim id rationem gubernandi imitatur, partim humanam: illam quidem efficacia gratiæ interna, qua hominum mentes, & actiones ſanctis motionibus gubernat; iſtam verò certis legibus, & ritibus externis, quibus hominum ſelecti cœtus in vnam, eandemq; velut ciuitatem, & communionem coëunt, eiq; vt regi parent. Ac Chriſtum ſanè regio nomine prophetæ ſacri promiſerunt, & Magi Orientales adorauerũt, & gentes è Sibyllinis vaticiniis expectarunt, & Pilatus iniquiſſimè in crucem egit, & ipſe regem ſe eſſe palam profeſſus eſt. Duxit quidem regia de ſtirpe Dauidica genus ipſe, & ab Iſraëlitis regia cum poteſtate venturus expectabatur; tamen regnum Iſraëlis in terris excitare, ac vindicare ſibi noluit quòd apparatum eiuſmodi, & ſplendorem mundani principatus faſtidiret, & pro innata dignitate regiam potentiam non in vnum Iudæorum populum, ſed in gentes vniuerſas, in hæreditatem, & poſſeſſionem terminorum terræ protenderet: vt quicunque vbiuis gentium ipſum regem ac ſaluatorem fide pro-

fiteri, ac vitæ præceptis ſe qui vellent, regni eius municipes cenſe-rentur.

Caput III. De hoſtibus Chriſti deuictis.

VT gloriam regni in vita huius ſæculi florentem demonſtrare, Chriſto regi glorioſo viſum non fuit conſentaneum, ita nec hoſtes licet victos penitus delere per mundi huius decurſum voluit; neque ſubditos fideles parta felicitate in hac vita donare. Ac quod hoſtes attinet, omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, ait ad Patrem cœleſtem ex propheta apoſtolus; Heb. 2. 8. nihilominus tamen, vt idem ſubdit, necdum videmus omnia ſubiecta ei; non quidem quòd aut nolit, aut non poſſit Deus, ſed quòd propter fideliũ ſtatum, dum in via, necdum in patria agunt, regni gubernacula aliter moderanda veniant. Nam de carne, & peccato, hoſtibus hominis Chriſtiani inteſtinis, notum eſt, quòd vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati; Rom. 6. 6. conſtat tamen fomitem peccati, & incentiuum vitiorum in corde etiam in iuſtificatis non extinctum eſſe, ſed relictum ad pugnam, & ad exercitium virtutis; ac concupiſcentiam multos ad voluptatem rapere; malitiamq; impiorum contra Chriſti regnum, & in quoſuis admodum debacchari: De ſathana altero hoſte aſſeruit Dominus, Nunc princeps huius mundi eijcietur foras, Iohan. 12. 31. quamprimùm videlicet in crucem ipſe ſublatus foret; vt tantopere formidandus non ſit, quando ipſius adoratio, quæ per idololatriam fiebat, exploſa eſt, & eius poteſtas refrænata, ligato eo per angelum, vt iam nec intellectu omnia quæ vellet indagare, neque voluntate conceptam malitiam explere poſſit: conſtat tamen vim, fallaciamque eius non eſſe penitus ſuppreſſam; eiusque vel minimam facultatem eſſe tanquam leonis rugientis, circumeuntis, ac quem deuoret quærentis, 1. Pet. 5. 8. nobisq; luctam eſſe non ſolum aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed etiam aduerſus principes, poteſtates, & mundi rectores tenebrarum harum. Epheſ. 6. 12. Mortem denique victam eſſe teſtatur B. Paulus, qui ait, Chriſtus per mortem

tem deſtruxit eum qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum, Hebræorum 2. 14. quòd videlicet cùm antea ex hac vita migrantes ad locum tenebrarum etiam iuſti abierint; nunc de morte tranſitum ad vitam cœleſtem aperuerit victor, & rex noſter: conſtat tamen mortem adhuc pro tempore graſſari non tantum in vitæ ſaturos, in peruerſos, & in promiſcuum vulgus, ſed etiam in immaturos, innocentes, & eos etiam qui vel familiis, & reipublicæ, vel eccleſiis magna cum laude adhuc præeſſe poſſent: ac propterea mortis aculeum non antè retundendum eſſe, quàm mundi huius peruerſitas penitus ſublata ſit, & vindictam de hoſtibus æternam Chriſtus ſaluatòr ſumat: Nouiſſimè enim inimica deſtruetur mors, ait apoſtolus 1. Corinth. 15. 26. Quæ quidem cum prima fronte dura cuiquam fortè videantur, tamen ſi è cauſis ſuis ponderentur, ſingularem ſapientiæ, & iuſtitiæ diuinæ gignūt cognitionem.

Caput IV. De eccleſiæ afflictionibus.

CAuſæ igitur cur hoſtes Chriſti regis adhuc ſæuiant, & Chriſti fideles non ſolum promiſſa beatitudine nondum potiantur, verumetiam duram ſæpe conditionem ſuſtineant, triplici ordine conſiderandæ nobis erunt. Primo loco ſi Chriſti ſaluatoris dignitatem vnicè perpendamus, cùm in hac regione elementari nihil firmum, & conſtans, ac multò minus nihil ipſius gloria, & maieſtate dignum ſit, profectò nec locus in ea erat, quo in beatitudinem, quæ gloria non caret, fideles admitterentur; vt licet regnum hic inchoatum inſtituiſſet, de quo ipſe ait. Ecce regnum Dei intra vos eſt, Luc. 17. 21. tamen longè auguſtiora, perfectiora, & feliciora in cœlis recondita haberet, quàm terrenæ anguſtiæ caperent; vt iterum diceret; regnum meum non eſt de hoc mundo: Iohan. 18. 36. Viſum quoque ei eſt regnum vniuerſum, & fideles ſingulos hic proſpera, & aduerſa mutatis vicibus experiri; vt vtroque ſtatu ſapientiam ipſe ſuam ſi-

mulq; fidem promiſſam Eccleſiæ nunquam non præſentem demonſtraret, qua & florentem moderaretur, & periclitanti ſæpe præter omnem naturæ curſum, ordinemq; ſuccurreret, contra hoſtiũ vim, fraudemq; eam tutaretur, ac tot ſæculis per inhabitantem ſpiritum in fidei veritate, vnitate, & conſtantia perpetuò propagaret; omnibusq; teſtatum faceret, eccleſiam non tam prudentia humana conſeruari, quàm præſidio diuino; vt quod ille ait, fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei; 1. Cor. 2 5. cùm è contrario nulla vnquam alia ſub Chriſti nomine introducta religio nec doctrinæ vnitate diuturna, neque fidei conſtantia perpetua fuerit, licet dum filij lucis frequenter dormitant, hæretici conſiliorum machinamentis nihil non moliantur. Secundo loco è re eccleſiæ, ſi & ipſam ſeorſim ſpectemus, non erat, eius membra dum in humanis verſantur, ſecuritate illa, quæ omni metu careat, liberè vti, quanquam libertate ſpiritus fruantur ſingulari; quãdoquidem videmus etiam primis fidei temporibus, quamprimum ceſſaſſent perſecutiones, ad deſidiam, & vitiorum pruriginem plurimos dilabi cæpiſſe; cùm contrà, gliſcentibus periculis, & difficultatibus locum habeat virtutis omnis exercitatio; vigeatq; fidei profeſſio ſpes, agnitio imbecillitatis humanę, animi demiſſio, amor in Deum ſuccenſus, experimenta diuini præſidij, patientia, guſtatio conſolationum ſpiritus, officia charitatis in proximum, contemptus rerũ præſentium, & ſimilia. Tertio loco ſi regem Chriſtum ſimulq; regnum eccleſiam obſeruemus, quandoquidem pro noſtra redemptione ipſe ærumnarum, afflictionumque quoduis genus in hoc mundo ſuſtinuit, qui æquum, aut rationi conſentaneum erat, eodem in mundo nos felices agere; nec potius compati, ſi conregnare vellemus? atque certaminibus nos ad victoriam conſequendam obijcere, antequam de corona cogitaremus? cum alioquin frigeret imitatio Chriſti, quam tantopere commendat; vt ſui conſortio dignum non cenſeat, qui eam non quotidie lubens in ſe ſuſceperit. Quò præterea accedit myſterij pulcherrimi conſideratio; quòd cum Chriſto regi noſtro duplex ſit corpus naturale, & myſticum quod eſt eccleſia, cuius ipſe caput eſt, nosq; membra ſumus corpo-

corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius, Ephes. 5. 30. quemadmodum primò hoſtes ipſe debellauit, ſic poſtmodum per membra myſtici corporis eoſdem proſternat; & cum toto corpore victoriam moliatur, huius verò corporis membra ſe ad finem vſque mundi extendant; non ante voluerit ad internecionem hoſtes delere, quàm ipſe membris ſingulis decertaſſet, atque viciſſet. Tanta enim communio, imò tanta connexio eſt Chriſti Ieſu cum fidelibus membris ipſius, dum charitatis vnione ipſi adhæſerint; vt in electis ſuis ipſe viuat, ex ipſis loquatur, in ipſis patiatur, per ipſos vincat. Quæ hominum dignitas quanta ſit, nemo ſatis vnquam æſtimauerit.

Caput V. De ſignis futuri finis mundi.

IMminere verò finem mundi, quo & malitia hoſtium Chriſti, & miſeria Chriſti fidelium terminetur, poſtquam ſubiecerit ipſe omnes inimicos ſub pedibus, & euacuauerit, exhauſeritq́; omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem dæmonum; vt tradat regnum Deo, & Patri; multa ſunt quæ fidem faciant. Et quod attinet ad Deum, quum multa ſæcula tanquam exiguum tempus dimetiatur, finis rerum, & aduentus Chriſti iudicis iamdiu pro foribus eſt; vt proinde & à ſacra ſcriptura iam iã adeſſe declaretur, & nulla non ætate ſanctorum patrum, ac ſi non longè abeſſet, expectatus fuerit; quamuis ſi temporum ſingula momenta animaduertamus, nondum adſit. Eum verò ſigna prænunciant, quæ in duplici differentia ponuntur, vt eleganter Acoſta docet: alia enim ſigna ſunt ſeneſcentis mundi, & inclinantis ad interitum; quæ ab aſcenſione Domini ferè ſemper, ſæpe tamen euidentiora conſpecta ſunt: quorum primum eſt tyrannorum perſecutio, & ſæuitia in Chriſti fideles; ſecundum hæreſes, & pſeudoprophetarum deceptiones; tertium ſeditiones, & populorum motus: quartum oſtenta partium mundi, & elementorum diſturbatio; de quibus ſaluator ait, Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis; hæc autem omnia, initia ſunt dolorum. Matth. 24. 6. Sunt itaque ſigna ſecundi generis alia quæ finem mundi certò denunciẽt: quorum

primum eſt defectio à Romano imperio,eiuſque euerſio, vt ſancti patres interpretantur, quod apoſtolus negat inſtare diem Domini, niſi venerit diſceſſio primùm 2. Theſſal. 2. 3. alterum eſt ſacri Euangelij per vniuerſum orbem abſoluta prædicatio; quæ quidem hoc ſæculo ſextodecimo plurimum profecit: ſic enim prænunciauit Chriſtus ipſe: Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe,in teſtimonium omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio. Matth. 24. 14. Cæterùm quod nonnulli tentant è coniecturis quibuſdam finem mundi ita prædicere, vt annorum metam nònnullam præſtituant, plus curioſitatis, ne dicam temeritatis habet, quàm certitudinis; & noſtrûm non tam eſt certum tempus velle indagare, quàm quouis tempore paratos eſſe.

Caput VI. De Antichriſto.

ETſi ſathanas ab aſcenſione Domini partim per tyrannorum crudelitatem,partim per hæreſiarcharum, & pſeudomeſſiarum fallacias ſæpe tentauerit regnum Chriſti euertere; quando tamen per mille annos,vt eſt in Apocalypſi 20. 1. nempe toto eo tempore quod ab aſcenſione Domini ad extremam vſque mundi metam pertingit, detruſus ille in abyſſum eſt, & ligatus ab angelo catena,quæ veluti vi cœleſti ſagacitatem, voluntatem, & potentiam ipſius arctè refrænet, & coërceat, tantum non potuit vnquam,vt plena rabie,& malitia abſoluta in humanum genus, maximè in Chriſti fideles graſſaretur. Quoniam verò oportet eum ſolui modico tempore, vt eodem loco ſanctus Iohannes prodit, horrendum eſt, quantam ſit corporum, animarumque ſtragem editurus, poſtquam malitia eius, quæ ſæuiſſima, & ſumma eſt, eiusque potentia, cui nulla ſuper terram poteſtas comparari poteſt,libera fuerit dimiſſa. Vt enim facilius omnia impietatis,& flagitiorum genera ad libitum exerceat, regnumq; ampliſſimum inter homines excitet, inſinuabit ſe in hominem ſuperbiſſimum, & ſceleratiſſimum,qui cognitionem ſolius Dei veri,& eius quem miſit

miſit Ieſu Chriſti è mentibus hominum rapiat, ſe verò Deum Deorum impudentiſſimè venditet; quem maximum Chriſti aduerſarium eccleſia Antichriſtum nuncupat. Vbi mirè inſaniunt Lutherani, & Caluiniani hæretici, qui quod de Antichriſto per ſacram ſcripturam proditum eſt, de vicario Chriſti legitimo, & ſummo pontifice malitioſè interpretantur; quanquam conſilio non prorſus ficulneo; quòd cum vt vnus Deus, vnuſque Chriſtus eſt, ita ſit non niſi vna fides, & eccleſia vna, damnant pontificem cum fide & eccleſia veteri, vt illorum religio noua apud incautos locum reperiat: quod tamen piis minimè eſt mirandum; Non eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum, ait Magiſter & Dominus noſter; ſi patremfamiliâs Beelzebub vocauerunt, quanto magis domeſticos eius? Matth. 10. 25. Sed experiamur leui ſaltem brachio, quàm dexterè agant, Vnum futurum Antichriſtum prædixit Chriſtus Iudæis, non plures; Ego veni, ait, in nomine patris mei, & non recepiſtis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis. Iohan. 5. 43. vnum prophetiæ prænunciant, non plures: quomodo igitur id rectè de Pontificibus Romanis interpretabuntur, quorum ordine plurimi fuerunt? Paulò ante finem mundi adfuturum prædicunt prophetæ; quomodo id de Pontifice verum ſit, qui diu & à Chriſti aſcenſione in eccleſia verſatur? Nec niſi ante diſceſſionem à Romano imperio; Quando è medio ſublatum fuerit imperium Romanorum, tunc veniet Antichriſtus, ait præter SS. Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Chryſoſtomus, homil. 4. in 2. Theſſal. 2: quis igitur credat eum iam veniſſe, quamdiu potentiſſimus Romanorum Imperator Rodolfus magna cum laude victorias ingentes ab hoſte Chriſti Turca reportat? Impugnaturi eius veſaniam ſunt Elias, & Enoch: quis illos deprehendit adhuc Pontifici reſtitiſſe? Imperium Antichriſti ſtupenda atrocitate per orbem terrarum ſeſe extendet; quis id adhuc obſeruauit? cur tam altum de eo adhuc ſilentium in hiſtoriis populorum? Regnaturus eſt tres annos cum dimidio; quid tot ſæculorum pontificis regimini cum tempore tam exiguo?

guo? Adhæc non vicarium Chriſti vt pontifex, ſed hoſtem Chriſti ſe profitebitur Antichriſtus; non religionem Chriſtianam tuebitur vt pontifex, ſed euertet; non Chriſti nomen gentibus prædicādum curabit, quod pontifex ſubinde fecit; & nunc vel maximè præſtat, ſed plantatum euellet: non hominem peccatorem, & iudicio Chriſti æquè ac alios ſiſtendum ſe vt pontifex agnoſcet, ſed Deum ſe iudicio nullius ſubiectum iactitabat. Quis igitur non videat hæreticos ex odio potius Chriſti vicarium calumniari, quàm veritatis ſtudio tantam religionis euerſionem machinari?

Caput VII. De genere Antichriſti.

NOluerunt Iudæi ſaluatorem noſtrum agnoſcere Meſſiam; alium impoſtorem tandem ſuſcepturi, præcipuè Antichriſtum; quem nequaquam admitterent, niſi ex ſtirpe Iſraëlitica prognatum: ac perſuaſum habuit patrum fides, eum genus ductarum è poſteris Iſraelitarum; & ſimul introducturum circumciſionem, ſabbathum, & ſimiles ceremonias veteris legis. Quòd verò è tribu Dan proditurus dicitur, etſi veriſimile ſit, tamen ſcripturæ, vnde id deducitur, etiam alium ſenſum admittunt; & in Apocalypſi inter electorum cuiuſq; tribus enumerationem, non ſolum tribus Dan omittitur, ſed etiam Ephraim: niſi forte Ceraſtes tribus Dan, è prophetia Iacob, cornu paruulum apud Danielem præfiguret. Sunt qui ex ſcorto in vrbe Babylone proditurum putent: & ſanè credendum eſt, ſanctos patres multa de eo prodidiſſe, quæ non niſi ex traditione apoſtolorum velut per manus acceperunt.

Caput VIII. De nomine Antichriſti.

NOmen eius conati ſunt multi colligere ad præſcriptum apoſtoli, qui ait; Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ; numerus enim hominis eſt; & numerus eius 666. Apoc. 13. 18. quem numerum efficiunt partim Græca ſupputatione Titan, Lateinus, Antemus, Saxoncius, Lutherana, Mahometis; partim Hebraica alia, quæ nihil certi afferunt; cum ſit ille ſine dubio ſpecioſum, magnificumq; nomen vſurpaturus, ignotum, quoad per ſe ſum manifeſtetur. Vtetur prętere a titulo ſplendido, quo gloriam ſibi conciliet; qualis eſt Meſſiæ, vel ſimilis; nam quòd eccleſia eum

vocat

vocat Antichriſtum, tanquam ſummum aduerſarium ſaluatoris, adhæc hominem peccati, filium perditionis, iniquum, beſtiam, cognomina potius ſunt tyrannidis, quæ eum odioſum faciant, quæ ipſe minimè agnoſcat. Charactere quoque ſignabit ſuos, non ſpirituali, quod hæretici ſomniant, ſed qui ſenſum ſubeat, quemadmodum ſignaculo crucis vtuntur Chriſtiani.

Caput IX. De regno Antichriſti.

HVmili loco, & ignobili ortus, de quo tanta nemo expectet, dum adoleſcit dolos, malitiamq; indies maiorem exercebit, atque à pueris à ſathana poſſeſſus militem coget, copias in aciem educet, regnumq; præter omnem ſpem conſtruet. Labente autem Romano imperio, decem cornua, vt eſt apud Danielem, quæ deſignant reges decem inſignes, præerunt prouinciis terrarum præcipuis; inter quos prodibit cornu paruulum Antichriſtus, primis annis imbellis, qui tamen mox tria cornua euellat, regna videlicet AEgypti, Libiæ, quę Barbaria nunc vocatur, & AEthiopiæ in Africa; & paulò poſt ſub iugum etiam mittat reges reliquos; ac ſimul imperium longè, lateq; protendat, vrbes munitiſſimas diripiat, & euertat maiore crudelitate, quàm quiſquam vnquam tyrannorũ. Daniel cap. 7 & 11. exerceatq; porrò poteſtatem in prouincias, populos, & linguas vniuerſas; & ſeducat gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog; & congreget eas in prælium; & aſcendent ſuper latitudinem terræ, & circuibunt caſtra ſanctorum, & ciuitatem dilectam; Apocal. 13. 7. & 20. 9. vbi per Gog, & Magog intelligit reges, populosq; ſuperbia tumidos vndequaque Antichriſto contra Chriſti nomen, & eccleſiam auxiliares copias ſuppeditaturos, ac perquiſituros ſanctorum, & Chriſti fidelium cœtus, ad pugnam, & fidei profeſſionem extremam paratos.

Caput X. De regia Antichriſti.

EDomito terrarum orbe ſedem figet in ſancta vrbe Ieruſalem; vt in templo Dei ſedeat: Iudæi enim Meſſiam eum non facile admitterent, qui templo Iudaico quod eſt Ieroſolymitanum primas non deferret; nec etiam vllo noui teſtamenti loco eccleſiæ Chriſtianorum per templum intelligũtur, ſed perpetuò templum

Ieroſolymitanum, in quo ſeſſurum eum ſanctus Paulus ait 2. Theſſalon. 2. 4. præcipuè quòd ita deceat eum, qui ſe Deum profitetur. Ac Ieroſolymis ob id etiam creditur regnaturus, quòd illic eum ſint inſectaturi Elias, & Enoch, illicq́; ab eo Occidendi. Nec verò opus eſt, vt templum eo in loco ex fundamentis reſtituat, quando ea ipſa in area, qua Salomonis olim extabat, extructum iam ſit templum vnum omnium toto orbe ſplendidiſſimum, & ſuperbiſſimum, figura ſexangulari, marmore ad ſpeculi nitorem perpolito; cuius exterior planities, quæ templum circumquaque ambit, eodem politiſſimo, diuerſi verò coloris, marmore latiſſimè ſtrata eſt; qui ambitus porrò amœniſſimo cypreſſorum, & arborum ſemper virentium lato nemore eſt per gyrum circumſeptus. Hoc templum nunc ademptum eſt Chriſtianis à Turca, & Mahometanæ perfidiæ dicatum, vt Chriſtiano id ingredieti capitale ſit, niſi Chriſtum è veſtigio abneget.

Caput XI. De doctrina Antichriſti.

BEſtiæ tam ſuperbæ non ſat erit regnare inter homines, niſi etiam Deo ſe æquet, præferatq́;. Primùm itaque meſſiam ſe venditabit, exibilata horrendo auſu Ieſu Chriſti redemptione: & quem tamdiu expectarũt obſtinati Iudæi, cum ſe dicet ad ſalutem, & dignitatem omnium aduenisse. Deum quoque ſe optimum, maximum eſſe profitebitur, damnata penitus Dei viui, & veri confeſſione, vt vnus, & ſolus ipſe adoretur: qui proinde aduerſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. 2. Theſſalon. 2. 4. Aperiet quoque os ſuum in blaſphemias ad Deum: & eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Apocal. 13. 6. videlicet vt ad diſputandum adoriatur Chriſtianos doctores, & fideles conſtantes, eosq́; conuiciorum, & blaſphemiarum multitudine, clamoris vehementia, ſophiſmatum ambagibus, & ad dicendum facundia obruat, auditoribus, ac ſi veritas victa eſſet, Chriſti partes deſerentibus. Ei porrò accedet præco, pſeudopropheta maximus, beſtia altera, quæ habet cornua duo ſimilia agni, & loquetur

tur vt draco;qui præ ſe ferat formam agni quoad functionem prædicandi, & miracula edendi; cuius tamen doctrinæ ſumma aliud non ſit,quàm Sathaniſmus,quo perſuadeat terræ incolis quibuſq; adorare beſtiam primam.

Caput XII. De miraculis Antichriſti.

VT doctrinam, vel potius perfidiā iſtam maiore applauſu omnes ceu diuinam amplectantur, explicabit ſathan quicquid ſcientiarum & virium habuerit reconditum,vt oſtenta,atque portenta mira ſub miraculi ſpecie producat,quibus incautos fallat,& dementet. Eſt enim Antichriſti aduentus ſecundum operationem ſathanæ,in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus,& in omni ſeductione iniquitatis, 2. Theſſal. 2.9. Vbi plurimum profuerit donum Spiritus ſancti, quod Paulus vocat diſcretionem ſpirituum; quo,an ex Deo iſta ſint nécne,diſcerni queat.Duplici verò via eiuſmodi ſigna decipere poſſunt; ſi ſint meræ præſtigiæ, quibus ſenſus hominis falluntur inanibus formarum apparitionibus: aut ſi quid verè quidem fiat quod mirentur homines, non tamen virtute diuina, ſed naturali: cum enim vim, ac naturam rerum dæmones, pro innato acumine, & diutiſſima experientia optimè calleant , difficile illis non eſt ignem de ſupernis, tanquam de cœlo, deducere,montes mouere, mugitus ciere, tenebras meridie inducere,ſanationes falſas efficere,dum actiuam vim naturarum quam rebus ineſſe norunt, ad ea applicant, quæ operationis huiuſmodi capacia ſciunt. His itaque, & ſimilibus dementare miſeros mortales Antichriſtus poterit; ipſius enim pſeudopropheta maximus, cæteriq; miniſtri dabunt ſigna,&prodigia magna,ita vt in errorem ducantur, ſi fieri poteſt,etiam electi. Matth.24.24. Qua occaſione hæretici pro ſingulari ſua ſapientia etiam ea miracula ſathanæ attribuunt, quæ ad gloriam, veritatem,& bonitatē ſuam manifeſtandā Deus in eccleſia hodieque producit; ac tam ſunt obcæcati,vt cum fallacia pſeudoprophetarū ſigna à Deo damnata ſint, ſimul velint omnia etiā diuina & ſaluberrima miracula damnata eſſe;cum tamē Paulus perſpicuè doceat inter alias dotes etiā àSpirituſancto eccle-

ſiæ conceſſas eſſe gratiam ſanitatum,& operationem virtutum. Vt itaque exitiale erit falſis ſignis fidem habere, ita impium eſt veris miraculis fidem negare,& manifeſtanti ſe gloriæ Dei obſtrepere.

Caput XII. De Perſecutione Antichriſti.

SVperbiæ crudelitas proxima eſt; qua ratione vt animi elatione omnes excellit Antichriſtus,ita in quoſuis qui ei tanquam Deo applaudere noluerint, ſumma cum atrocitate deſæuiet. Horrendum verò dictu eſt, quantæ tum Chriſti fidelium, præcipuè iuſtorum futuræ ſunt anguſtiæ,pericula,tormenta: poſtquàm enim Væ vnum abiit,quod quintus angelus de extrema turbatione fidei per hæreſes ex apocalypſi cecinit,venit ecce iam Væ ſecundum, perſecutio Antichriſti: qui primo loco Chriſti fidem longa perſeuerantia retinentibus interdicet commercio, & vſu rerum ad vitam neceſſariarum: ne quis poſſit emere,aut vendere, niſi qui habeat characterem,aut nomen beſtiæ,aut numerum nominis eius. Apoc.13. 17. quod quantam defectionẽ ſit effecturum eorum qui voluptate, & commodis huius vitæ ducuntur; quantum quoque ludibrium, & exibilationem eorum,qui inediam tolerare,quàm Chriſti fidem, & amorem prodere mallent,facile æſtimauerit quiſque. Accedent mox tormenta, quæ partim exquiſitiſſima conſtantibus adhibebuntur,partim longinquo cruciatu afficient,vt & pœna ſit diuturnior, & iuſtus non niſi lenta morte extinguatur. Tormentorum autem genera, & atrocitatem nemo facile explicauerit, quòd cum diaboli malitia crudeliſſima excogitentur, humani ingenij diuinationem excedant,& Neronis,Decij,aut aliorum tyrannorum ſæuitia,huic collata,puerilis cenſeatur. Illud deplorandum hic præcipue eſt,inuocationem Ieſu Chriſti capitalem futuram; cultum diuinum penitus ſublatum iri,proſternendam veritatem,iuge ſacrificium tollendum: Dan. 8. 11. illud videlicet, quod Euchariſticum, & propitiatorium dominici corporis, & ſanguinis eccleſia quotidie Deo Patri offert. Multi tum qui vel eruditione, vel pietate, & probitate celebres in eccleſia Dei, & illuſtres erant, qui ſe in via Domini,& imitatione Chriſti profeciſſe putabant, malorum acerbitate, & diuturnitate deficient, ac transfugas ſe dabunt ad caſtra

aduer-

aduerſarij; quam iuſtorum infelicem ruinam prædicit apoſtolus, cum ait, Cauda draconis trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram. Apoc.12.4. Quid verò eccleſia? quid conſtantes, & electi? quo ſe recipient? Signum magnum apparuit in cœlo, ait idem; Mulier amicta ſole, quæ eſt eccleſia fide Chriſti illuſtrata, & luna, ac res mundanæ, ſub pedibus eius: & in capite eius corona ſtellarum duodecim, quæ eſt doctrina apoſtolica: & draco ſtetit ante mulierem quæ erat paritura; & mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcat eam diebus mille ducentis ſexaginta. Hic verò, vt ex mente Danielis prophetę Antiochus Epiphanes rex Syrius per omnia typum Antichriſti contra veterem eccleſiam geſſit; ita conſtantiam electorum, & ſeceſſum eccleſiæ per figuram planè expreſſerunt Machabæi cum cæteris, quorum vna hæc vox erat: Propitius ſit nobis Deus; non eſt nobis vtile relinquere legem, & iuſtitias Dei; non audiemus verba regis Antiochi: & mox: Fugit Mathathias & filij eius in montes, & reliquerũt quæcunque habebant in ciuitate: tunc deſcenderunt multi quærentes iudicium, & iuſtitiam (videlicet ſanctà iuſtificationis Chriſtianæ ſacramenta) in deſertum, & ſederunt ibi ipſi, & filij, & mulieres eorum; quia inundauerunt ſuper eos mala 1. Machab. 2.21. E iuſtis itaque pars corruet; pars fuga ſaluabitur; pars fide inconcuſſa, animoq; ad tormenta parato martyrium faciet; quorum animi fortitudinem, & gloriam ſecum admirans beatus Auguſtinus, ita ait; In eorum ſanè qui tunc futuri ſunt ſanctorum, atq; fidelium comparatione quid ſumus? quandoquidem ad illos probandos tantos ſoluetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. 20. ciuitatis Dei, cap. 8.

Caput XIII. De Elia, & Enoch redituris.

TAnta in fidei decertatione Deus excitabit viros egregios, quos apoſtolico ſpiritu planè imbuat ad hoſtis inſolentiam ſuſtinẽdam, & reliquorum in fide imbecillitatem confirmandam: inter quos communi conſenſu ſanctorum patrum duo præ cæteris inſignes aderunt, è veteri ſæculo olim à Deo tranſlati, Enoch in paradyſum, vt Hebræus ſapiẽs affirmat, Eccli. 44.16. & Elias igneo curru

in cœlum,quo item paradyſum intelligimus; ac veniet Elias,vt reſtituat tribus Iſraël;Enoch vt det gentibus ſapientiam,ait idem ſapiens:de quibus filius Dei;Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis; tuti interim vi miraculorum, & igne vltrici; finito verò teſtimonij termino, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſus eos bellum; & vincet eos ſi non veritate,ſaltem opinione, victosq; interficiet: iacebunt verò corpora ipſorum inſepulta in plateis Ieruſalem,vbi & Dominus eorum crucifixus eſt, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & AEgyptus propter abominandum illic Antichriſti imperium: quibus de medio ſublatis, admodum ſibi congratulabuntur impij è cunctis gentibus ad regiam ſummi imperatoris aggregati: redeunte verò poſt tres dies cum dimidio,in eos ſpiritu vitæ, ingenti cum pauore impiorum exſurgent,cœleſtiq; voce inuitati, cõtuentibus, & ſtupentibus aduerſariis cœlum conſcendent,Apoc,11.

Caput XIV. De tempore, & cauſis tantæ calamitatis.

QVò immanior,hoc breuior erit Antichriſti principatus;tanti tamen temporis,vt longè lateq;, in Ortũ, & Occaſum, in Meridiem, & Septentrionem eius execranda adoratio introducatur; videlicet trium annorum cum ſemiſſe. Eſt autem id tempus diligenter præſignificatum cùm annis, tùm menſibus,tùm diebus. Tradentur in manu eius vſque ad tempus,& tempora,&dimidium temporis.Dan 7.26.quo loco per tempus declaratur annus;quemadmodum apud eundem prophetam de Nabuchodonoſore dictum eſt,ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, Dan.4.29. Dicitur quoque: Data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos; Apocal. 13. 5. adhæc; A tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta: Daniel.12. 11. qui tantundem efficiunt,& prætereà dies duodecim qui annis, & menſibus vt minores exprimi nõ poſſunt. Tempus verò decertationis Eliæ,& Enoch; vt & ſeceſſus ec-

cleſiæ triginta diebus eſt breuius;quòd menſem totum graſſaturus ſit Antichriſtus antequam hæc deliteſcere incipiat,& antequã prodeant,vel poſtquã occubuerint illi. Non multorum igitur annorũ erit tyrannis iſta, ſed temporis exigui; quanquam vel ſic nimis diuturna futura ſit miſeris mortalibus; vt niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur dies illi,ait Chriſtus Dominus:Matth.24.22. Verùm quorſum iſta?cur tãta Deus hoſti permittet? Nequaquã vt hoſti gratificeturDeus eũ ex abyſſo ſolutum emittet,ſed quòd tantam iram diuinam in ſe homines prouocent. Cum regnum Chriſtus ſaluator inter homines, qua eſt clementia,inſtitueret:eſſent verò homines naturæ liberę,ac gratia naturam non deſtruat,ſed perficiat;noluit violenter,ſed ſuauiter, & libero conſenſu eos ad ſeſe agnoſcendum, imitandumq; pertrahere; cum ex aduerſo illi nihil vnquam magis conati ſunt, quàm iugũ ipſius ſuaue,& ſalutare è ceruicibus excutere. Vt enim nihil nunc dicamus,quàm graue ſit fidem patriarchis à diluuio implantatam à poſteris turpiter deſertam fuiſſe, totumq; genus humanum fermè ad ſathanæ cultum defeciſſe; notum eſt ex eccleſiaſticis hiſtoriis, quanta pertinacia gentes lucem fidei, quæ ad regnũ Chriſti eas traducebat, impugnauerunt; quanto odio Iudæi & regem ipſum Chriſtum, & quoſque in eum credentes ſunt inſectati; quanta audacia hæretici fidem paſſim plantatam peruerterunt: vt hic non ſit neceſſe mirari, cur tam ſero ſaluator in mundum genitus fuerit: cum ne ſic quidem diu locum inter homines repererit, obſtantibus ethnicis, vt eius fides non niſi ſerò admitteretur; elaborantibus hæreticis vt eadem fides citò corrumperetur; atque ex decurſu eccleſiæ manifeſtum ſit, fidem Chriſti ſalutarem ita ferè orbẽ terrarum perluſtrare,vt dum in vnam mundi partẽ introducitur,in alia iam illuſtrata vel peruertatur,vel extirpetur. Quã humani generis impietatẽ Deúſne impunè ferat?ergóne mirabitur quiſquã,ſi de hominibus Deus pœnã etiam temporariã ſumat?Comeruerunt itaq; paganorũ idololatria, Iudæorũ perfidia,& hæreticorũ falſitas tantã ſimul infidelitatẽ&crudelitatẽAntichriſti;Nãquòd charitatẽ veritatis non receperunt,vt ſalui fierent, ideò mittet illis

Deus

Deus operationem erroris, vt credant mendacio, ait apoſtolus 2. Theſſal.2.10. Iam verò quot ſcelera,& flagitia cum inter infideles, tum inter orthodoxos exercentur? quotuſquiſque eorum qui in fide ſani ſunt obſeruat Chriſti mandata? Iuratos diceres pleroſque vt peruersè agant, ac venundatos ſub peccato,vt impleant menſuram patrum ſuorum: ideò pugnabit pro Deo orbis terrarum contra inſenſatos. Sap.5.21. Et robur datum eſt beſtiæ contra iuge ſacrificium propter peccata. Dan. 8. 12. Neque ad tantam hominum contra Deum petulantiam, & Gigantomachiam ſufficit quoſque ſeorſum ſuo tempore punire; habet enim id iuſtitia diuina liberũ, vt ſtatis temporibus etiam ſupplicia ſumat in vniuerſum de omnibus: & cum vnicum Adami peccatum cum culpa originali tantam pœnam incurrit, quis neget tot enormia crimina ab eo tempore edita hanc pœnarum Antichriſti inundationem ſibi non contraxiſſe? liberè enim Chriſtus rex permittit quoſque contra ipſum agere, non impunè.

Caput XV. De interitu Antichriſti.

FIget verò Antichriſtus tabernaculum palatij ſui (id quod Hebræum Apadno ſignificat, quod loci proprium eſſe negat S. Hieronymus, quum nullus locus ita nominetur) inter duo maria, mortuum,& mediterraneum, ſuper montem inclitum,& ſanctum, quem Oliuarium intelligunt,& veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei, Dan.11.45. vbi poſt ſuperbiæ,& crudelitatis ab eo edita facinora infinita finem dierum præter expectationem ſubibit; Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui,& deſtruet illuſtratione aduentus ſui. 2. Theſſ. 2. 8. non quidem, vt eum è veſtigio interimat, ſed glorioſa apparitione præſentiæ ſuæ conſternatum abominandæ temeritatis coarguat ac confuſione ſempiterna præcipitet; apparebit enim ſpecie terrifica, oculis flammam eiaculantibus, capite pluribus diadematibus redimito, veſte conſperſus ſanguine; habens in veſtimento, & in fæmore ſcriptum, Rex regũ, & dominus dominantium; quem exercitus cœli conſequuntur, procedente, gladio ancipiti de eius ore; quo impium, & eius ſequaces interficiat: quem diabolus,& angeli eius per dehiſcentem ſubtus

tus terram in tartarum abripiant, & quem antè contra Chriſti gloriam ſummo cum faſtu euehebant, eum iam vice verſa vt iræ, & iuſtitiæ Dei miniſtri tormentis ſubdant. Apprehenſa eſt itaque beſtia, & cum ea pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo; viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis, & ſulphuris: & cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum. Apoc. 19. 20.

Caput XVI. De fine mundi.

VAE ſecundum abiit, & ecce Væ tertium veniet citò. Apoc. 11. 14. Sunt itaque qui reſiduos putent ante iudicium dies quadraginta quinque, ex Daniele, alij ſeptem menſes, alij totidem annos; quod ſi certum eſſet, conſtaret quoque de die iudicij, qui etiam angelos latet. Eo autem tempore non ſecus, atque ætate Noë homines alij ſublato metu nuptiis, & gaudiis vacabunt; alij pænitentiam factæ abnegationis Chriſti ſuſcipient, impiis ad ſigna iudicij planè ſurdis. Veniet autem tum demum tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cæperunt. Dan. 12. 1. Mouebuntur virtutes cœlorum, ſole, luna, & aſtris obſcuratis, mari horrendo ſonitu turbato, tabeſcentibus quibusque præ metu futuri euentus, iuſtis è contra in ſpem bonam, de appropinquante redemptione ſeſe erigentibus.

Caput XVII. De ſecundo aduentu Chriſti.

EX improuiſo, impiis necdum iudicem cogitantibus, veniet Chriſtus Dominus poſtremo aduentu, quem ſecundum, & glorioſum ſacra ſcriptura prædicat, & quem Iudæi cum primo pro eodem falſo acceperunt: veniet verò ad iudicandum ſiue media nocte, ſiue interdiu: quanquam cum vniuerſus orbis ſit iudicādus, neceſſe eſt eam horam aduentus aliis diurnam, nocturnam aliis eſſe, quòd dum nos ſole fruimur, antipodes in nocte agant, & vice verſa: tenebræ tamen vbique erunt, ſole, & luna obtenebratis; quo tempore apparebit in cœlo ſignum filij hominis, quod de Cruce clariſſimè in cœlo ſplendente interpretantur ſancti patres; quo permoti terrarum incolæ, ac ſuſpicientes videbunt Filium hominis regem noſtrum poteſtate, & maieſtate diuina conſpicuum, medio

nubium lucidiſſimarum throno conſidentem, angelorum choris ſtipatum aduenientem ac de cœlis ſe ſenſim demittentem verſus vrbem Ieruſalem ad montem Oliuarium, vnde olim ex mundo hoc ad cœlum aſcendit, ac rediturum ſe per legatos veſte alba indutos denunciauit. Qua de re ita prophetæ pronunciant; Et ſtabũt pedes eius in die illa ſuper montem oliuarum, (ita quidem, vt nubes ampliſſima velut ſcabellum contingat montem; ipſe verò ſublimis in aëre conſpiciatur) & ſcindetur mons oliuarum (ac ſi maieſtatem iudicis non ferat) & veniet dominus Deus meus, omnesq́; ſancti cum eo: & in die illa non erit lux, ſed frigus, & gelu, (hominibus præ timore trementibus) erit dominus vnus (nemine quicquã contra ipſum moliente, nec audente.) Et paulo ante; Et congregabo omnes gentes ad Ieruſalem in prælium, & diſceptationem. Zachar. 14. 2. Cum conuertero captiuitatem Iuda, & Ieruſalem (& calamitatibus eccleſiæ populi mei finem impoſuero) congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat: & diſceptabo cum eis: Conſurgant, (è ſepulchris) & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat; quia ibi ſedebo, vt iudicẽ gentes omnes in circuitu. Ioël. 3. 1. & 12. Significat verò Ioſaphat ex Hebræo, Domini iudiciũ, omine prophetico ſic dicto rege Iuda, à quo vallis illa denominata eſt, quæ vallis regis etiam dicitur, Abſalonis mauſolæo hodieque exiſtente, è rupe ſolida mirè in ſublime exciſo illuſtris, quam vallem Cedron vocat Ioſephus ex torrente mediam percurrẽte; quæ quidem ſita eſt non inter montem Sion, & montem Moriah ſeu templi: cum ea vorago iam complanata ſit; ſed quæ habet Oliuarium montem vna ex parte, ex altera vrbem ſanctam, cuius montes Moriah & Sion partes ſunt: vallis eſt vaſta mediocriter; longam tradũt quatuor millia paſſuum; neque enim metiri præſentibus licuit.

Caput XVIII. De reſurrectione mortuorum.

HOrribili itaque, & acutiſſimo tubarum ſonitu, qui monumenta omnia penetret, angeli à Chriſto iudice iuſſi, per orbem perſonabunt, ac diuina vi proclamabunt; Surgite mortui, venite ad iudicium: excitabitque mortuos vniuerſos etiam in vltimis terrarum angulis ſepultos potentia Chriſti; conuocabunt excitatos

tatos angeli; ac ſimul ſumma diligentia; acutiſſimo delectu, mira celeritate cadauerum partes, ac cineres diſperſos colligent, comportabunt, atque in priſtinum membrorum ordinem diſponent, vt ad priorem exiſtentiam oſſa, caro, & pellis redeant; quam anima ſiue è cœlo, ſiue ex inferno redire iuſſa denuò informet. Dabit quoque mare mortuos qui in ipſo erant, & mors, & infernus dabunt mortuos ſuos, qui in ipſis erãt. Apocal. 20. 13. qui videlicet vel vndarum vorticibus abſorpti ſunt, vel derelicti, & locis ignotis periérũt; vel qui dehiſcente terra viui in infernum deſcendiſſe putãtur. Qui porrò ſuperſtites in mundo fuerint, confluentibus vndequaque ad tremendum tribunal iis, qui è monumentis prodierint, ſimul & ipſi comportabuntur miniſterio angelorum, aut ſaltem vi diuina, ad iudicem: in ipſo raptu mortem guſtaturi, ac ſubito vitam nunquam finiendam recepturi. Mortui ait S. Paulus, reſurgent primi; deinde nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam. Chriſto in aëra 1. Theſſ. 4. 17.

Caput XIX. De iudicio extremo.

PVnit diuina iuſtitia ſcelera quædam hac in vita, ne prouidentia diuina nulla putetur; impunita alia hic dimittit, quæ in altero ſæculo caſtiget; punit quędam denique cum hic, tum illic, quę id promerentur. Reuocabit verò in vniuerſum omnia hominum dicta, factaq;, & cogitationes in iudicium Chriſtus cum ad iudicandũ venerit viuos, & mortuos; ac ſimul manifeſtabit omnibus omnia hominũ acta vel occultiſſima, cùm vt iuſtè iudicet, tum vt iuſtè iudicaſſe credatur; ita enim iudicabit palã, & in propatulo, vt quod iuſtè exequutus fuerit, iuſtum vnà omnes & agnoſcant, & fateantur; ac nota fiat cauſa quibuſque, cur hi ſaluentur, illi damnentur: Illuminabit enim abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium; 1. Corinth. 4. 5. id quod facile fiet, ac breuiſſimo tempore, illuminante radio diuinæ ſcientiæ omnium hominũ intellectus, vt ſubito omnia in cuiuſq; corde, velut in libro, perdiſcãt: Et libri aperti ſunt; & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erãt in libris ſecundũ opera ipſorũ. Apoc. 20. 12. Itaq; cõgregatis qui vnquã

ſub cœlo fuerunt vniuerſis populis,Chriſtus, filius Dei in conſeſſu angelorum, è throno gloriæ ſententiam feret in benedictos vitæ æternæ,in maledictos æterni ignis : atque vt illi qui bona fecerunt ibunt in reſurrectionem vitæ, anima beata, corpore clarificato,vt iuſti fulgeant ſicut ſol in regno patris ipſorum : Matthæi.13.43.ita in ſempiternum miſeri,& infelices damnabuntur,non ſolum qui credere noluerint,ſed etiam qui mala egerunt, Iohan. 5. 29. velut impij,& criminoſi; Gal. 5. 19. adhæc qui opera miſericordiæ in proximum non exercuerunt, & qui negligentes ad bonum fuerunt, vt virgines fatuæ,Matth.25.luxui,& voluptati ſtudentes vt diues epulo,Luc. 16. ac ſimul miniſtri Chriſti, qui dum aliis præſunt, negligunt emendationem ſuiipſius,Matth.7.21. aut acceptum talentum ad lucrandas animas non expendunt. Matth.25.30.

Caput XX. De innouatione mundi.

POllicetur ſcriptura ſacra cœlum nouum,& terram nouam,atque adeo mundi innouationem, quæ quidem futura ſit conflagratione totius vniuerſi,igne videlicet qui à terra in cœlum pertingat,& correpta quæque exurat. Incertum verò eſt ſitné ea conflagratio iudicium anteceſſura, an ſecutura? quanquam non malè poſterior opinio probetur. Erit autem ignis iſte cum noſtro elementari idem, ac porrò admixtam habebit vim ſupernaturalem, quo ſimul omnia conflagrent,& exurentur,nec tamen naturæ cœlorum, & elementorum corrumpantur, aut in aliam rerum ſpeciē abeant,quemadmodum lignum exuſtum in cinerem trāſit, quem nemo iterum lignum dicat;ſed cœlum per conflagrationem velut innouatum,priore eſſentia permanente,nouam, præſtantiorem,& illuſtriorem conditionem induat,aſtrorumq; lux ſeptuplo auctior fiat;& elementa,depoſita permixtionis,mutationis, & corruptionis viciſſitudine, atque adeo liberata onere malitiæ, & vitiorum, nihil quidem mutata natura, in ſtabilem, & depuratam conditionem tranſmutentur.Nam,vt ait S.Paulus,expectatio creaturæ,quæ eſt appetitus perfectionis,& ſtabilitatis,reuelationem filiorum Dei expectat:vanitati enim creatura, etiam quæ ſenſus eſt expers,ſubiecta eſt:liberabitur autem à ſeruitute corruptionis,motus,& mutatio-

tationis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom. 8. 19. Ex quibus colligitur, cùm etiam ſoli, & aſtris ſit conditio ſeruitutis, quotidie mundum circumluſtrare, & motu perpetuo circumagi, ſolem fixũ locum nacturum, vt & lunam, & aſtra vniuerſa, adeoque motum cœli vniuerſum inhibendum: terra nihilominus circumquaque clariſſimè illuminata, ex lunæ, & ſiderum omnium aucta luce. Atque hac innouatione fiet quoque vt terræ craſſities, & impuritas omnis, & ſimul humanæ fabricæ lignorum, ſaxorum, & metallorum prorſus abſumantur, & omnia redeant per terræ viſcera ad eandem, & ſui per omnia ſimilem æqualitatem, atque identitatem. Quamprimum itaque iudicij ſententia prolata fuerit, raptis è veſtigio beatis in cœlum, quorum ex beata viſione etiã corpora in clarificationem tranſmutabuntur, vt deinceps nihil aduerſi pati, atque perſentire poſſint, emerget ignis vniuerſalis, qui ſimul totum mundum in ſtatum creaturæ perfectionis exurat, atque tranſducat, & damnatorum turbam horrendo eiulatu ſuam infelicitatem deplorantem inuoluat, ac velut flumen rapidum demergat in abyſſum inferorum; vbi cum turba dæmonum vniuerſa in æternum puniatur.

Caput XXI. De regno Chriſti glorioſo.

ATque hæc ferè via, & ratio eſt, qua hoſtes Chriſtus Dominus poſtremò vincat, deleatq́; regniq́; gloriam, ac maieſtatem, & ſimul beatitudinem quauis hominum opinione maiorem, ac feliciorem ſuis communicet. Fuerint licet afflictiones in hac vita multæ, & graues, tamen poſtquam felicitatem, & eius æternitatem perſentiſcere beati cæperint, momentaneas eas fuiſſe agnoſcent, indignasq́; tanta remuneratione. Quantum igitur gaudium erit beatorum in immortali gloria collætantium? quanta ſingulorum dignitas? quanta, quod primum munus exiſtimabunt, laus in redemptorem Dominum collata? cum vox vna omnium erit profitentium in hæc verba: Factum eſt regnum huiuſmundi Domini noſtri, & Chriſti eius; & regnabit in ſæcula ſæculorum: cum ſponſa eccleſia membris ſuis omnibus coagmentata, iungetur ſpõſo Deo, hominique; cum vox de throno vniuerſos ad laudes inuitabit, di-

cetq;; Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius; & chori ſanctorum toto cœlo exultantium reſpondebunt, Alleluia; Regnabit Dominus Deus noſter omnipotens: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriã ei, quia venerũt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe: Apocal. 11. & 19. quæ enim ſponſa in hac peregrinatione fuit, vxor erit iuncta ſponſo in gloria. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.

CHRO.

CHRONICORVM LIBER X.

De Elenchis Principum.

PRAEFATIO.

CVM *tot principum illuſtrium, qui quoq; tempore excelluerunt, res geſtas pro inſtituta breuitate, complecti chronicorum Enchiridion nequeat, quorum tamen ſeriem perſpectam habere, periucundum ſit, & vtile; omnes autem omninò velle enumerare, quotquot vbique gentium regio nomine varijs temporibus inſigniti fuêre, prolixioris ſit operis; ſat erit hic elenchos eorũ imperatorũ, & regũ recenſere, quorum ad hiſtoria celebrioris lectionem cognitio lumen afferre, & neceſſaria magis eſſe videtur.*

Caput I. Iudices Iſraëlis.

MOſes pręfuit populo an.	40	Sampſon	20
Ioſue annos	32	Heli ſacerdos	40
Othoniel an.	8	Samuel.	38
Aiod & poſtea	–	*Reges.*	
Samgar omnino	80	Saul annos	2
Debora an.	40	DAVID	40
Gedeon an.	40	Salomon annos	40
Abimelech an.	3	Roboam	17
Thola	23	Abiam	3
Iair	22	Aſa	41
Iephte	6	Ioſaphat	25
Abeſſan	7	Ioram	8
Elon	10	Ochozias	1
Abdon	8	Athalia	7

Ioas

Ioas	40
Amazias	29
Ozias	52
Iotham	16
Achaz	16
Ezechias	29
Manaſſes	55
Ammon	2
Ioſias	31
Ioachaz, menſes	3
Heliachim an.	11
Ioachim menſes	3
Sedechias annos	11
Duces.	
Zorobabel annos	58
Reſa Menſullam	66
Hannanias	53
Iudas Hircanus, annos	31
Ioſephus	7
Abner Semei	11
Matathias Eli	12
Aſar Mahat	9
Artaxad Nagid	10
Hagiel	8
Masloth Naum	7
Amos Syrach	14
Matathias Siloha	10
Ioſeph Tobiæ F.	60
Ianna Hircanus II	16
Duces Pontifices.	
Matathias Aſmonæus	1
Iudas Machabæus	6
Ionathas	17
Simon	8
Iohannes Hircanus III	17
Reges Pontifices.	
Ariſtobulus	1
Alexander	27
Alexandra	9
Ariſtobulus II	4
Hircanus cum Antipatro.	22
Antigonus	3
Reges exteri.	
Herodes	40
Archelaus	32
Agrippa Magnus	7
Agrippa iunior cuius tempore euerſa eſt Ieroſolyma.	26

Caput II. Pontificum Maximorum Chriſtianorum elenchus.

CHRISTVS Pontifex opt. max. ſempiternus, cuius hi ſunt ordine in eccleſia militante ſempiterna ſucceſſione ſummi Vicarij.

S. Petrus apoſtolus	1
S. Linus	2
S. Cletus	3
S. Clemens	4
S. Anacletus	5
Anno 100.	
S Euariſtus	6
S. Alexander	7

S. Six-

8 S. Sixtus
9 S. Theleſphorus
10 S. Higinus
11 *S.* Pius
12 *S.* Anicetus
13 *S.* Soter
14 *S.* Eleutherius
15 *S.* Victor.

Anno 200.

16 *S.* Zephyrinus
17 *S.* Calixtus
18 *S.* Vrbanus
19 *S.* Pontianus
20 *S.* Anterus
21 *S.* Fabianus
22 *S.* Cornelius
23 *S.* Lucius
24 *S.* Stephanus
25 *S.* Sixtus *II.*
26 *S.* Dionyſius
27 *S.* Felix
28 *S.* Eutychianus
29 *S.* Caius

Anno 300.

30 *S.* Marcellinus
31 *S.* Marcellus
32 *S.* Euſebius
33 *S.* Miltiades
34 *S.* Sylueſter
35 *S.* Marcus
36 *S.* Iulius
37 *S.* Liberius
38 *S.* Damaſus
39 *S.* Siricius.

Anno 400.

40 *S.* Anaſtaſius
41 *S.* Innocentius
42 *S.* Sozimus
43 *S.* Bonifacius
44 *S.* Cœleſtinus
45 *S.* Sixtus III.
46 *S.* Leo Magnus
47 *S.* Hilarius
48 *S.* Simplicius
49 *S.* Felix II.
50 *S.* Gelaſius
51 *S.* Anaſtaſius II.

Anno 500.

52 *S.* Symmachus
53 *S.* Horniſda
54 *S.* Iohannes
55 *S.* Felix IIII.
56 *S.* Bonifacius II.
57 *S.* Iohannes II.
58 *S.* Agapetus
59 *S.* Syluerius
60 *S.* Vigilius
61 *S.* Pelagius
62 *S.* Iohannes
63 *S.* Benedictus
64 *S.* Pelagius II.

Anno 600

65 *S.* Gregor. Magnus
66 Sabinianus
67 *S.* Bonifacius III.
68 S. Bonifacius IV.
69 *S.* Deus dedit
70 Bonifacius V.

Sſs

71 Honorius
72 Seuerinus
73 Iohannes IV.
74 Theodorus
75 S. Martinus
76 Eugenius
77 Vitalianus
78 Adeodatus
79 Domnio
80 Agatho
81 S. Leo *II.*
82 S. Benedictus *II.*
83 Iohannes V.
84 Cuno
85 Sergius.
Anno 700.
86 Iohannes VI.
87 Iohannes VII.
88 Siſinius
89 Conſtantinus
90 Gregorius II.
91 Gregorius III.
92 Zacharias
93 Stephanus II.
94 Stephanus III.
95 Paulus
96 Stephanus IV.
97 Adrianus
Anno 800.
98 Leo III.
99 Stephanus V.
100 Paſchalis
101 Eugenius
102 Valentinus
103 Gregorius IV.
194 Sergius II.
105 Leo IV.
106 Benedictus III.
107 Nicolaus Magnus
108 Adrianus II.
109 Iohannes VIII.
110 Marinus
111 Adrianus III.
112 Stephanus VI.
113 Formoſus
114 Bonifacius VI.
115 Stephanus VII.
116 Romanus
117 Theodorus II.
118 Iohannes IX.
Anno 900.
119 Benedictus IV.
120 Leo V.
121 Chriſtophorus
122 Sergius III.
123 Anaſtaſius III.
124 Lando
125 Iohannes X.
126 Leo VI.
127 Stephanus VIII.
128 Iohannes XI.
129 Leo VII.
130 Stephanus IX.
131 Marinus II.
132 Agapetus II.
133 Iohannes XII.
134 Leo VIII.
135 Iohannes XIII.

Domnus

136 Domnus
137 Benedictus V.
138 Bonifacius VII.
139 Benedictus VI.
140 Iohannes XIV.
141 Iohannes XV.
142 Iohannes XVI.
143 Gregorius V.
144 Sylueſter II.
Ab anno 1000.
145 Iohannes XVII.
146 Iohann. XVIII.
147 Sergius IV.
148 Benedictus VII.
149 Iohannes XIX.
150 Benedictus VIII.
151 Gregorius VI.
152 Clemens II.
153 Damaſus II.
154 Leo IX.
155 Victor II.
156 Stephanus X.
157 Nicolaus II.
158 Alexander II.
159 Gregorius VII.
160 Victor III.
161 Vrbanus II.
162 Paſchalis II.
Ab anno 1100.
163 Gelaſius II.
164 Calixtus II.
165 Honorius II.
166 Innocentius II.
167 Cœleſtinus II.
168 Lucius *II.*
169 Eugenius *III.*
170 Anaſtaſius *IV.*
171 Adrianus *IV.*
172 Alexander *III.*
173 Lucius *III.*
174 Vrbanus *III.*
175 Gregorius *VIII.*
176 Clemens *III.*
177 Cœleſtinus *III.*
178 Innocentius *III.*
Ab anno 1200.
179 Honorius III.
180 Gregorius IX.
181 Cœleſtinus IV.
182 Innocentius IV.
183 Alexander IV.
184 Vrbanus IV.
185 Clemens IV.
186 Gregorius X.
187 Innocentius V.
188 Adrianus V.
189 Iohannes XX.
190 Nicolaus III.
191 Martinus II.
192 Honorius IV.
193 Nicolaus IV.
194 Cœleſtinus V.
195 Bonifacius VIII.
Ab anno 1300.
196 Benedictus IX.
197 Clemens V.
198 Iohannes XXI.
199 Benedictus X.

200 Clemens *VI.*
201 Innocentius *VI.*
202 Vrbanus *V.*
203 Gregorius *XI.*
204 Vrbanus *VI.*
205 Bonifacius *IX.*

Ab anno 1400.

206 Innocentius *VII.*
207 Gregorius *XII.*
208 Alexander *V.*
209 Iohannes *XXII.*
210 Martinus *III.*
211 Eugenius *IV.*
212 Nicolaus *V.*
213 Calixtus III.
214 Pius II.
215 Paulus II.
216 Sixtus IV.
217 Innocētius VIII.
218 Alexander VI.

Ab anno 1500.

219 Pius III.
220 Iulius II.
221 Leo X.
222 Adrianus VI.
223 Clemens VII.
224 Paulus III.
225 Iulius III.
226 Marcellus II.
227 Paulus IV.
228 Pius IV.
229 Pius V.
230 Gregorius XIII.
231 Sixtus V.
232 Vrbanus VII.
233 Gregorius XIV.
234 Innocentius IX.
234 Clemens VIII.

Caput III. Monarchia Aſſyriorum.

NEmrod, Saturnus Babylonius dictus, imperat annos	56
Belus Iupiter annos	62
Ninus Aſſur. an.	52
Semiramis annos	42
Zameis Amraphel	38
Arius	30
Aralius vel Analius	40
Baleus Xerxes	30
Armatrites	38
Belochus Priſcus	35
Baleus Magnus	52
Altadas	32
Mamitus	30
Mancaleus	30
Spherus	20
Mamelus	30
Sparetus	40
Aſcatades	40
Amyntes	45
Belochus II. Chuſan	25
Belopares annos	30
Lamprides	32
Soſares	20
Lampares	30
Pannias	45

Soſar-

Soſarmus	19
Mitreus	27
Tautanes	32
Teuteus	40
Thineus	30
Dercylus	40
Eupales	38
Laoſthenes	45
Pyriciades	3
Ophrateus	20
Ophraganeus	50
Aſcraſapes	41
Tonoſcon Coleros	20
Phul Belochus	48
Tiglat Phul Aſſur	23
Salman Aſſar	10
Senacherib	7
Aſſar Addon Phul, ſiuè Sardanpal, & Sardanapalus	10
Merodach	40
Ben Merodach	21
Nabuchodonoſor	35
Nabuchodonoſor Magnus	44
Euil Merodach	23
Balthaſar	15
Nonnulli Balthaſaro anteponunt Niriglis & Labo ſardach; quorum tamen anni Balthaſaro tribuuntur.	

Caput IV. Medorum Reges.

Arbaces annos	28
Mandanes	40
Sarſomenes	25
Artecarmis	32
Cardiceas	13
Deioces	40
Phraortes	22
Cyaxares	32
Aſtyages	38

Caput V. Perſarum imperatores.

Cyrus annos	30
Cambyſes	7
Smerdes magus	1
Darius	36
Xerxes	21
Darius Artaxerxes Lōgimenus	44
Darius nothus	19
Artaxerxes Mnemon	36
Darius Artaxerxes Ochus	26
Arſames	4
Darius Codomanus	6

Caput VI. Macedonum & Græcorum monarchia.

Alexander Magnus annos	12
Aridæus annos	7
Caſſander	19
Alexander &	
Antipater	4
Demetrius	6
Pyrrhus	1
Lyſimachus Thrax	7
Ptolomæus Ceranus cum An-	

S ſs ;

tipatro & Soſthene	2
Antigonus Aſiaticus	36
Demetrius	10
Antigonus Doſon	12
Philippus	42
Perſeus.	11

Caput VII. Syriæ & Aſiæ reges.

Alexander Magnus annos	12
Aridæus	14
Seleucus Nicanor	31
Antiochus Soter	19
Antiochus Theos	15
Seleucus Gallinicus	20
Seleucus Ceraunus	3
Antiochus Magnus	36
Seleucus Philipator	12
Antiochus Epiphanes	12
Antiochus Eupator	2
Demetrius Soter	10
Alexander	5
Demetrius Nicanor	2
Antiochus Sedetes	3
Triphon	3
Antiochus Pius	12
Demetrius Nicanor	4
Alexander	2
Antiochus Gryphus	29
Seleucus cum aliis	10
Tygranes Armenus.	8

Caput VIII. AEgypti reges.

Alexander Magnus	12
Ptolemæus Soter	40
Ptolemæus Philadelphus	36
Ptolem. Euergetes	26
Ptolem. Philopator	17
Ptolem Epiphanos	24
Ptolem. Philometor	35
Ptolem. Euergetes Phyſcon	29
Ptol. Latyrus Soter	16
Prol. Alexander cum matre	10
Ptolem. Lathy. iterum	8
Ptolemæus Auletes Dionyſius, per A. Gabinium reſtitutus, an.	30
Cleopatra Auletis F.	22

Caput IX. Parthorum reges, antè & poſt Christum D. N. natum.

Alexander Magnus monarchá, eo mortuo Parthis præfectus datus eſt Nicanor, tum Satagenos, deindè Andragoras, cui ſuffectus rex eſt·

1 Arſaces, qui regnum ſimul, & nomen poſteris dedit.
2 Arſaces iunior, contra Antigonum bella geſſit.
3 Pampacius, vel Priapatius.
4 Pharnaces, Pampacij F. ſubegit Mardos.

Mithri-

5 Mithridates Pharnacis frater, imperium latè prouexit.
6 Phrahaites Mithrid.F.cæſus à Scythis.
7 Artabanus Pampacij F.
8 Mithridates Magnus, Artabani F. pulſus ob crudelitatem.
9 Herodes, vel Orodes, Mithridatem fratrem interfecit, Romanorum legiones cum M. Craſſo deleuit, ac viciſſim copias omnes cum filio Pacoro amiſit.
10 Phrahartes Herodem patrem veneno ſuſtulit, regno ipſe à ſuis pulſus eſt.
11 Tyridates, ad C. Iulium Cæſarem in Hiſpaniam venit.
12 Phrahartes iterum, reſtitutus à Scythis, cum Auguſto pacem fecit, cui ſigna Romana cum captiuis reddidit, obſides filios dedit; vixit ad Chriſtum natum, & ad Tiberium vſque.
13 Artabanus contemptum Tiberij præ ſe ferens, Armeniam inuaſit; Caligula autem amicitiam vltrò petens, venit ad colloquium legati conſularis; & tranſgreſſus Euphratem, aquilas & ſigna Romana, Cæſarumq; imagines adorauit, ait Suetonius in Tiberio & Caligula.
14 Mithridates Iberus, qui aliis eſt Orodes II.
15 Vonones Phaharti F. reuocatus Roma, vbi obſes fuerat.
16 Artabanus Medus, Vonone pulſo, filios plures habuit.
17 Bardanes vel Vardanes. Artabani F. bellum in Romanos mouet.
18 Gotarzes, interfecto Bardane fratre æmulo.
19 Vonones breui tempore.
20 Vologeſes Artabani item F. intrà fines ſe continuit, fratribus cæteris, vt puta Pacaro Mediam, Tyridati Armeniam conceſſit; tempore Veſpaſiani Imp.
21 Parthenaſpates Parthorum rex à Traiano coronatus à Parthis poſteà reiectus eſt; fuêre verò Parthi ſub Adriano & Antonino Pio toto Oriente per Aſiam potentiſſimi.
22 Vologeſes II. cuius tempore Antoninus Verus, & Commodus Imp. de Parthis victis triumpharunt.

N.ignoti

23 N. ignoti nominis.
24 Arbabanus vltimus, ab imper. Caracalla cæſus, & ab Artaxerxe Perſa, tempore Alexandri imp. ſubactus.

Caput X. Perſarum reges à Chriſto nato.

227	Artaxerxes annos	15
242	Sapores	31
273	Ormiſdates	1
274	Vararanes	3
277	Vararanes II.	17
294	Vararanes III.	1
295	Narſes	7
302	Miſdates	8
310	Sapores II.	70
380	Artaxerxes	4
385	Sapores III.	5
390	Vararanes IV.	2
401	Iſdigerdes	21
422	Vararanes V.	20
442	Vararanes VI.	17
459	Perozes	20
479	Valens	4
483	Cauades	11
494	Lambazes, vel Zambades, vel Blaſes.	8
502	Cauades iterum	30
532	Coſros	48
580	Hormiſda	8
588	Coſroes II. ab Heraclio victus.	39
627	Siroes, vel Sirochus	1
629	Adheſir	1
630	Sarbaras vel Barazas	
630	Barame anno	1
631	Hormiſda victus à Saracenis.	
	Oſcurũ deinceps fuit per nongentos amplius annos; nunc exciratum iterũ eſt, & regnarũt ordine.	
1	Aſſubeius Vſũ Caſſan	
2	Iacuppus Aſsũbei Fil.	
3	Aluantes Iacuppi F.	
4	Iſmaël Sophinus	
5	Techmaſes	
6	Haidar Miſires	
7	Iſmael II.	
8	Muchemetes	

Caput XI. Turcarum Imperatores.

1300	1	Othmanes imper. an.
1329	2	Vrchanes Othman. F.
1358	3	Murates, Vrchanis F.
1390	4	Baiaſites Muratis F.
1404	5	Soleimanes Baiaſit. F.
1411	6	Muſa, Soleimanis frat.
1414	7	Muchemetes Muſę fr.
1422	8	Murates II. Muche. F.
1450	9	Muchemetes II. Muratis F.
1481	10	Baiaſites II. Muchemet. F.

Selimes

1512	11	Selimes Baiaſitis F.
1520	12	Soleimanes *II.* Selimis F.
1566	13	Selimes *II.* Soleimani F.
1575	14	Murates *III.* Selinis F.
1595	15	Muhemetes *III.* Murat. F.

Caput XII. Imperatores Romani.

29	1	C. Iulius Cæſar
30	2	Octauianus Auguſtus
32		*A Chriſto nato.*
14	3	Tiberius
7	4	Caius Caligula
3	5	Claudius
8	6	Nero
28	7	Galba
31	8	Otho
31	9	Vitellius
8	10	Veſpaſianus
47	11	Titus
9	12	Domitianus
20	13	Nerua
		Ab anno 100.
	14	Traianus
	15	Adrianus
	16	Antonius Pius
	17	Anton. Verus
	18	Commodus
	19	Pertinax
	20	Iulianus
	21	Seuerus.
		Ab anno 200.
	22	Antonin. Caracalla
	23	Macrinus, & Diadumenꝰ
	24	Anton. Heliogabalus
	25	Alexander
	26	Maximinus
	27	Balbinus & Pupienus
	28	Gordianus
	29	Philippus Chriſtianus
	30	Decius
	31	Gallus & Voluſianus
	32	Valerianus & Licinius Galienus
	33	Claudius II.
	34	Quintilius
	35	Aurelianus
	36	Tacitus
	37	Florianus
	38	Probus
	39	Carus
	40	Carinus & Numerianus
	41	Diocletianus & Maximinianus
		Ab anno 300.
	42	Cōſtantius, & Gallerius
	43	Conſtantinus Magnus
	44	Conſtãtius *II.* Cōſtans & Conſtantinus *II.*
	45	Iulianus apoſtata
	46	Iouinianus
	47	Valentinianus & Valēs.
	48	Gratianus & Valentinianus *II.*
	49	Theodoſius Magnus
	50	Arcadius & Honorius
		Ab anno 400.
	51	Theodoſius *II.* & Va-

lentinianus III.

52 Marcianus

53 Leo

54 Zeno

55 Anaſtaſius

Ab anno 500.

56 Iuſtinus

57 Iuſtinianus

58 Iuſtinus II.

59 Tiberius II.

60 Mauritius

Ab anno 600.

61 Phocas

62 Heraclius

63 Conſtantinus III.

64 Heracleonas

65 Conſtans II.

66 Conſtantinus IV.

67 Iuſtinianus II.

Ab anno 700.

68 Philippicus

69 Anaſtaſius II.

70 Theodoſius III.

71 Leo Iſauricus

72 Conſtantinus V. Copronymus.

73 Leo III.

74 Conſtantinus VI.

75 Irene eius mater.

Ab anno 800.

76 Carolus Magnus

77 Ludouicus Pius

78 Lotharius

79 Ludouicus II.

80 Carolus II.

81 Ludouicus III. Balbus

82 Carolus III. Craſſus

83 Arnolfus

84 Ludouicus IV.

Ab anno 900.

85 Conradus

86 Henricus auceps

87 Otho Magnus.

88 Otho II.

89 Otho III.

Ab anno 1000.

90 S. Henricus II.

91 Conradus II.

92 Henricus III. Niger.

93 Henricus IV.

Ab anno 1100.

94 Henricus V.

95 Lotharius II.

96 Conradus III.

97 Fridericus Aenobarbus.

98 Henricus VI.

99 Otho IV.

Ab anno 1200.

100 Fridericus II.

101 Henricus VII.

102 Guilhelmus

103 Rodolphus

104 Adolfus

105 Albertus.

Ab anno 1300.

106 Henricus VIII.

107 Ludouicus IV.

108 Carolus IV.

Vences-

109 Venceslaus
Ab anno 1400.
110 Repertus
111 Iodocus
112 Sigiſmundus
113 Albertus *II.*
114 Fridericus *III.*

115 Maximilianus
Ab anno 1500.
116 Carolus V.
117 Ferdinandus
118 Maximilianus II
119 Rodolfus II.

Caput XIII. Imperatores Græci, à translato imperio Romano ad Germanos.

An. Ch.

802 NIcephorus & Stauratius Impp. pulſa Irene, imperant annos 8. menſes 9.
811 Michaël gener Nicephori Theophylactum F. conſortem facit, abdicauit vterq;, imperarunt an. 1. menſes 9.
813 Leo Armenus 5. à Balbo cæſus, imperat an. 7. menſ. 6.
821 Michaël 2. Balbus vel Traulus Phryx. an. 8. menſ. 9.
829 Theophylus Balbi F. imp. annos 12. menſes 4.
842 Michaël 3. Theophili F. cum matre Theodora, Porphyrogenitus, imp. annos 25. menſes 3.
867 Baſilius Macedo, cæſo Michaële filios Conſtantinum & Leonem Auguſtos dicit, imperat annos 18. menſes 10.
886 Leo 6. Philoſophus patri ſucceſſit, an. 22. menſes 3.
908 Alexander Baſilij F. cum Conſtantino an. 1. menſes 1.
909 Conſtantinus Leonis F. cum matre Zoe an. 53 menſes 2.
962 Romanus Porphyrogenitus, poſt patrem Conſtantinum imper. an. 2.
964 Nicephorus 22. Phocas an. 6. m. 6.
970 Iohannes Zimiſces, an. 6. m. 6.
977 Baſilius 2. & Conſtantinus frater, an. 49. m. 4.
1026 Conſtantinus 8. ſolus adhuc an. 2. m. 2.
1029 Romanus Argyrus, Conſtantini gener, an. 5. m. 6.
1035 Michaël 4. Paphlago, Romano occiſo Zoen illius vxorem duxit, imp. an. 6. menſes 6.
1041 Michaël Calaphates, Paphlagonis ex ſorore nepos, adoptatus, menſes 4.

1042 Conſtantinus IX. Monomachus Zoen duxit,an.13.
1054 Theodora Auguſta Zoës ſoror, an. 1.menſ. 9.
1056 Michaël VI.Stratioticus ſenior,ann.1.
1057 Iſacius Comnenus,pulſo Michaële, an.2. m.3.
1060 Conſtantinus X.Ducas,an.7. menſ.6.
1067 Eudoxia Auguſta Conſtantini vxor cum filiis menſ. 7.
1068 Romanus Diogenes,ducta in vxorem Eudoxia,an. 3. menſ.8.
1071 Michaël VII. Parapinaceus,Ducæ F. an.6.m.6.
1078 Conſtantinus XI.Ducas;& Nicephorus Botoniates III.imp. an.3.ille in Italia periit.
1081 Alexius Comnenus,Iſacij F.imp.an.37. m.4.
1118 Iohannes Comnenus,Alexij F.Caloioannes dictus,imperat. annos 24.menſ.8.
1143 Manuel vel Emanuel Comnenus Caloioannis F. annos 37. menſes 5.
1180 Alexius II.Manuelis F.ann.3.
1183 Andronicus Comnenus,Iſacij F.Alexij tutor,an.1.menſ.11.
1185 Iſacius II.Angelus,Andronico interfecto an.9. menſ. 7.
1195 Alexius III.Angelus,frater Iſacij,Comnenus imp.ann.8.m.3.
1203 Alexius IV. Angelus,Iſacij, F. menſes 6.dies 8.
1204 Alexius V.Ducas Murzuflus, Conſtantinopoli à Latinis pulſus,imp.menſ.2. dies 16.

Latini.

1204 Balduinus Comes Flandriæ, Conſtantinopoli à Latinis capta, imperator eſt menſ. 11.
1206 Henricus Balduini frater,imp.annos 10.
1216 Petrus Antiſiodorenſis, ann. 5.
1222 Robertus Petri F.an.7.
1229 Balduinus II.cum Iohanne Brenno Ieroſolymorum rege tutore & ſocero,an. 29.

Græci iterum.

1258 Michaël VIII. Palæologus,per quem iterum ad Græcos imperium deuolutum eſt,an.24.
1283 Andronicus ſenior Palæologus, Michaëlis F. cum filio Michaële,

		chaële, deinde cum Andronico nepote, imp. an. 50.	
1332		Andronicus iunior nepos, imp. an. 8.	
1341		Iohannes Palæologus Andronici F. annos 16. cum Iohanne Cantacuzeno, omninò vero annos 43.	
1384		Manuel II. Caloioannis Palæologi F. an. 34.	
1418		Iohannes VII. Andronici F. annos 27.	
1445		Conſtantinus XII. Palæologus, Manuelis F. imperat an. 9. ſub quo capta eſt Conſtantinopolis à Mahomete Turca, & imperium Chriſtianis ademptum anno 1453.	
Anno Chri.		*Caput XIV. Reges Francorum.*	
420	1	FAramundus Francus, cuius tempore lex Salica condita eſt, regnauit annos.	11
431	2	Clodio Comatus.	18
449	3	Merouens cum Attila pugnauit	10
459	4	Hildericus ob inſolentiam pulſus	26
485	5	Clodouæus, anno 15. fit Chriſtianus, regnum à Rheno ad Ligerim extendit	30
515	6	Hildebertus quadripartito regno, præfuit Pariſiis, Clotarius frater Sueſſionibus, Clodomirus Aurelianenſibus, Theodoricus Mediomatricibus.	45
560	7	Clotarius adhuc ſolus	5
565	8	Herebertus, Hilfrichus, Gultranus, & Sigebertus Clotarij filij, diuiſo regno	9
574	9	Hilfrichus vel Chilpericus, qui initio neque omnia tenebat, neque fortior erat.	14
588	10	Clotarius II.	44
632	11	Dagobertus liberalis in eccleſias	14
646	12	Clodouæus II.	17
663	13	Clotarius III.	4
668	14	Hildericus II. vel Huldrich & Vlricus.	12
680	15	Theodoricus, ſub quo Pipinus Craſſus Auſtraſiæ dux, & exulum à Theodorico pulſorũ protector floret.	14

694	16	Clodouæus 3.	4
698	17	Hildebertus 2. frater Clodouæi.	18
716	18	Dagobertus 2. aliis Clodouæi.	4
722	19	Hilfrichus 2. poſt interregnum duorum annorum ſub quo rerum ſumma penes Carolũ Martellũ Pipini Craſſi filium tum erat; ac titulo tenus illi reges erãt.	5
727	20	Theodoricus 2 Cala.	15
742	21	Hildericus ſtupidus, præfectus Franciæ Pipinus eſt, Martelli F. Hildericus regno exuitur.	9

Pipinorum gens.

751	22	PIpinus breuis, Martelli F. rex non natus ſed electus.	18
769	23	CAROLVS Magnus, imperator factus.	46
815	24	Ludouicus Pius imperator.	26
841	25	Carolus Caluus imp.	38
879	26	Ludouicus Balbus imp.	2
881	27	Ludouicus, & Carolomanus, ſub quibus regnum ab Germanis ſubactum eſt.	5
886	28	Carolus Craſſus.	5
891	29	Odo.	9
900	30	Carolus Simplex Balbi F.	27
927	31	Rodolfus Burgundio Richardi F. regnum Simplici extorquet.	2
929	32	Ludouicus 4. Tranſmarinus Simplicis F. ex Anglia reuerſus cum Rodolfo de regno cõtendit, quo mortuo Hugo Pariſienſis ei negotium faceſſit.	27
956	33	Lotharius quo tempore imperator Otho Lutetiam vſque, Galliam omnem vaſtauit.	31
987	34	Ludouicus V.	1

Capetorum gens.

988	35	HVgo Capetus, Comes Pariſiorum, primus Gallus Gallorum rex, annis.	9

Rober-

997	36	Robertus pius, & doctus.	34
1031	37	Henricus Roberti F.	30
1061	38	Philippus 10. annos natus, cuius frater Hugo Magnus bellum ſacrum ſecutus eſt.	49
1110	39	Ludouicus 6. Craſſus; bellum Anglicum cæptum.	28
1138	40	Ludouicus 7. iunior, ſacram militiam profeſſus.	43
1181	41	Philippus 2. Auguſtus à Deo datus, multa preclarè pro eccleſia fecit; Anglis propè è Gallia exactis, Gallo in Anglia rege ſalutato.	43
1224	42	Ludouicus 8.	3
1227	43	S. Ludouicus 9. multus in bellis contra infideles; cum Anglo fædus icit.	44
1271	44	Philippus 3.	15
1286	45	Philippus 4. Pulcher rex etiam Nauarræ.	28
1314	46	Ludouicus 10. Hutinus, rex Nauarræ.	2
1316	47	Philippus 5. Longus R. etiam Nauar.	5
1321	48	Carolus pulcher R. Nauarræ etiam.	7
1328	49	Philippus Valecius, Caroli Philippi pulchri fratris Fil. tribus patruelibus ſuccedit.	22
1350	50	Ioannes generoſus.	14
1364	51	Carolus 5. ſapiens	17
1381	52	Carolus 6. adoleſcens.	42
1423	53	Carolus 7. Anglis Galliam occupantibus.	38
1461	54	Ludouicus 11. à Carolo Burgundione bello laceſſitus, ab Heluetiis ſuppetias petit.	23
1484	55	Carolus 8. expeditionem ad Neapolitanum regnum ſuſcepit; hæredes nullos reliquit.	14
1498	56	Ludouicus 12. Ludouici 11. gener, contra Mediolanenſes, Genuenſes, Venetos bellum gerit.	17
1515	57	Franciſcus Valeſiorum gens Valeſius, Ludouici 12 gener.	32
1547	58	Henricus 11. Franciſci Fil. haſta interemptus.	12
1559	59	Franciſcus 11. Henrici Fil.	1
1560	60	Carolus 9. Henrici F. contra hæreticos ſtrenuus.	14

Henri-

1574	61	Henricus III. Henrici II. F. rex Poloniæ & Galliæ occiſus.	14
1589	62	Carolus X. Cardinalis Borbonius in carcere regnat	0.
1590	63	Henricus IV. Rex Nauarræ Borbonius.	0.

Caput XV. Hiſpaniæ reges.

			Annos
369	1	Athanaricus Viſigothorum rex Hiſpaniam Romanorum prouinciam inuadit, cui præeſt annos	13
382	2	Alaricus	28
411	3	Athaulfus, vel Adolfus	6
416	4	Sigrichus, Sigericus aliis	1
417	5	Vallia, Vandalos Hiſpania expellit	22
439	6	Theodoretus ab Attila cæſus	14
453	7	Thuriſmundus Fil. Theod.	1
454	8	Theodoricus Fil.	13
467	9	Henricus vel Euricus frater Theod.	17
484	10	Alaricus II. Henrici F. à Clodouæo cæſus	23
507	11	Geſalaricus, Henrici nothus	4
511	12	Theodoricus Oſtrogothus Italiæ rex, Alarici frater, vtrobiq; regnat, cedit deinde nepoti	15
526	13	Amalaricus, Alarici F.	5
531	14	Theudius vel Teuda, conſobrinus	17
548	15	Theudiſclus, affinis	1
549	16	Agilla vel Aguila	5
554	17	Athanagildus cæſo Agilla	14
568	18	Luiba vel Lemba vel Loyba	1
569	19	Leongildus, Sueuorum in Hiſpania regnum exſcindit; hactenus reges Chriſtiani, ſed Arriani fuêre	18
586	20	Recaredus vel Richardus Leongildi fil. primus Gothorum Catholicus	15
601	21	Loiba vel Luiba Fil.	2
603	22	Victericus cæſo Luiba	7
610	23	Gundemarus, Gundamirus	7

Siſebodus

612	24	Siſebodus rex Chriſtianiſſimus Romanorum ex Hiſpania imperium penitus ſuſtulit.	9
620	25	Recaredus 2. Siſebodi F. puer.	1
621	26	Cintilla, Suintilla Hiſpaniæ monarcha.	10
631	27	Siſenandus Cintillæ F.	5
636	28	Cintilla 2. Cintillæ F. primogenitus.	6
642	29	Tulcas Cintillæ F. optimus.	2
644	30	Cindaſuindus, Tulcam attonſum monaſterio includit, regnat.	6
650	31	Receceſuindus Fil.	24
674	32	Bamba vel Vamba.	8
682	33	Euringius vel Eruigius Theofredum Bambæ F. conſobrinum pellit, regnum vi occupat.	7
689	34	Egica Bambæ conſobrinus, Eurigij gener.	15
704	35	Vitiza, Eurigij F.	9
713	36	Rodericus cum Gothorum nobilibus ingenti ſtrage à Mauris Saracenis cæſus, & vna cum ipſo Gothorum potentia deleta eſt, ceſſitq; Hiſpania Mauris.	1
716	1	S. Pelagius Legionis & montium Aſturiæ rex dictus; ortus è regio genere Gothorum, regnat annos.	19
735	2	Fafila Pelagij F. ab vrſo interemptus.	2
737	3	Alfonſus Catholicus Pelagij gener.	19
756	4	Froila Alfonſi F.	11
767	5	Aurelius Alfonſi F. fratrem interficit.	7
774	6	Silo Alfonſi gener.	9
783	7	Mauregatus Alfonſi nothus, Saracenorum ope.	6
789	8	Veremundus Alfonſi ex Bilmarao F. nepos.	2
791	9	Alfonſus 2. Caſtus, Alfonſi ex Froila nepos.	33
824	10	Ramirus Veremundi F. cum Garſia fratre.	7
831	11	Ordonius Ramiri F.	10
841	12	Alfonſus 3. Magnus Ordonij F.	46
887	13	Garſias Alfonſi F. maior natu.	3
890	14	Ordonius 2. Alfonſi F.	8
898	15	Froila 2. Alfonſi F.	1

905	17	Ramirus II. pulſo fratre Alfonſo.	19
924	18	Ordonius III. Ramiri F.	6
929	19	Ordonius IV. Malus, Alfonſi F.	[illegible]
929	20	Sanctius Craſſus, Ramiri F.	12
941	21	Ramirus III. Sanctij F. quinquennis.	25
966	22	Veremundus II. Ordonij III. F.	17
983	23	Alfonſus V. Veremundi F. quinquennis.	27
1010	24	Veremundus III. Alf. F.	10
1020	25	Sanctius Maior Nauarræ & Caſtellæ rex.	0
1020	26	Ferdinandus Sanctij F. Legionis & Caſtellæ regna coniunxit.	40
1060	27	Sanctius II. Ferd. F. fratres pellit.	6
1066	28	Alfonſus VI. Ferd. F. Toletum recuperat.	43
1108	29	Vraca Alfonſi filia, cum Alfonſo Arragono.	4
1112	30	Alfonſus VII. Vracæ F. imperator Hiſpaniæ.	47
1159	31	Sanctius III. Alfon. F. rex Caſtellæ.	1
1159	32	Ferdinandus II. Alfonſi F. rex Legionis.	31
1160	33	Alfonſus VIII. Sanctij III. F. rex Caſtellæ.	53
1190	34	Alfonſus IX. Ferd. F. rex Legionis, poſtremis annis Caſtellæ quoque rex factus.	28
1214	35	Henricus Alfonſi VIII. F. rex Gaſtellæ.	2
1218	36	S. Ferdinandus III. Alfonſi IX. F. à quo regnum vtrumq; Legionis & Caſtellæ perpetuò vnitum, & Hiſpalis, atque Corduba vrbes recuperatæ.	35
1252	37	Alfonſus X. Sapiens Aſtrologus, Ferd. F.	32
1284	38	Sanctius IV. Alfonſi F.	11
1295	39	Ferdinandus IV. Sanctij F. nouennis.	15
1310	40	Alfonſus XI. Ferd. F. Saracenos ingenti prælio vicit.	40
1350	41	Petrus Crudelis, Alfon. F, à fratre occiſus.	19
1369	42	Henricus II. Alfon. F.	10
1379	43	Iohannes Henrici F. equi caſu oppreſſus.	11
1390	44	Henricus III. Iohan. F.	16
1407	45	Iohannes II. Henrici F. duos annos natus.	47

Henri-

1454	46	Henricus IV. Iohannis F.	20
1474	47	Ferdinandus V. Magnus Iohannis Arragonũ filius, Iſabellam, Henrici IV. filiam vxorem ducit, cum qua Legionis & Caſtellæ regnis acceptis, quartum expugnat Granatã, eiectis Saracenis Mauris; Americam per Columbum explorat.	30
1504	48	Philippus Auſtrius Ferdinandi gener, mortua Iſabella, ſuperſtite ſocero regnat. an.	2
1506	49	Ferdinandus iterum cum filia Iohanna.	10
1516	50	Carolus V. Imperator, Philippi Auſtrij & Iohannæ F. cum matre regnat.	39
1558	51	Philippus II. Caroli V. Auguſti, F. Aſiæ, Africæ, Americæ princeps.	40
1598	52	Philippus III. Philippi II Filius.	

Caput XVI. Portugalliæ, ſiue Luſitaniæ reges.

1100		Henricus Comes Biſuntinus ducta in vxorem Taraſia filia Alfonſi VI. regis Hiſpaniæ, ſimul cum coniuge Portugalliam dotem accipit.	
1112	1	Alfonſus Henrici F. dux Portugalliæ, annos.	27
		Idem pugnaturus contra reges quatuor Saracenos, ab exercitu primus rex ſalutatur, regnauit porrò annos.	46
1185	2	Sanctius Alfonſi F. felix contra Mauros.	26
1211	3	Alfonſus II. felix & ipſe in Mauros.	12
1223	4	Sanctius III. adminiſtrante regnũ Alfonſo III. fratre	26
1247	5	Alfonſus III. Comes Bononienſis cui per dotem acceſsit regnum Algarbiorum.	32
1279	6	Dionyſius regnum oppidis 44. inſtaurauit.	46
1325	7	Alfonſus IV.	31
1357	8	Petrus, cauſidicos expulit, & procuratores.	10
1367	9	Ferdinandus.	17
1383	10	Ioannes Petri F. nothus, nobilium defectionẽ coërcet, Septam in Africa cæpit.	50

1433	11	Eduardus; eius filia Leonora mater eſt Maximiliani.	5
1438	12	Alfonſus 5. Africanus cognomento, ob celeberrimas in Africa victorias conſecutas.	43
1481	13	Ioannes II.	14
1495	14	Emanuel Ferdinandi F. Eduardi nepos, Iudæos & Saracenos è regno expurgauit, India aperuit, & in Africa præclara multa præſtitit; quæ recēſet Oſorius.	26
1521	15	Ioannes III. Emanuelis F. pius.	19
1540	16	Ioannes 4. Ioannis 3. Filius moritur anno 17 ætatis.	4
1544	17	Sebaſtianus Ioannis IV. F. poſthumus in Africa occiſus eſt.	34
1578	18	Henricus Gardinalis, Emanuelis F. alter.	2
1580	19	Philippus Hiſpaniarum rex, Caroli V. Imperatoris, & Iſabellæ filiæ Emanuēlis Luſitani filius.	8

Caput XVII. Angliæ principes, & reges vetuſtiſsimi.

Brito, Syluij Latinorū regis filius, Aſcanij nepos ſupra mille centum annos ante Chriſtū natum inſulam Britaniam de nomine ſuo dictā occupauit, cuius nepotes ordine regnant.

2 Locrinus Fil.
3 Madā Locrini F.
4 Mempricius
5 Ebrancus
6 Brito II.
7 Leylus
8 Rudubras
9 Badudus
10 Leyrus
11 Cordilla
12 Conedagius
13 Riuallo
14 Gurguſtius
15 Silius
16 Iagus
17 Chinemarcus
18 Gorbedio
19 Porrex: interregnum.
20 Gintolinus
21 Martia eius vxor
22 Sicilius
23 Chimarius.
24 Danius
25 Moruidius
26 Carbonianus
27 Archigallo
28 Heliodorus
29 Archigallo iterum
30 Heliodorus iterum
31 Vigenius & Perydorus

32 Heliodorus tertiùm
33 Reginus
34 Morganus
35 Ennanus
36 Iduuallo
37 Rymo
38 Geruntius
39 Catellus
40 Coyllus
41 Porrex II.
42 Cherinus
43 Fulgentius
44 Eldalus
45 Androgeus
46 Vrianus
47 Eliud
48 Dunuallo
49 Bellinus, cuius frater Brennus cum Gallis Romam expugnauit.
50 Gurguntius II
51 Merianus
52 Blandanus
53 Capenus
54 Ouinus
55 Silius II.
56 Bledgabredus
57 Archemalus
58 Eldolus
59 Rodianus
60 Redargius
61 Samulius
62 Peniſellus
64 Pyrrhus
64 Caporus
65 Dinellus
66 Helius
67 Ludius
68 Caſſiuellanus à Iulio Cæſare victus, & tributarius Romanis factus.
69 Theomantius Ludij F.
70 Cimbelinus cuius tempore Chriſtus D. N. natus eſt.
71 Guiderius ſub Claudio imp.
72 Aruiragus.
73 Marius.
74 Goylus
75 Lucius, cum quo regium nomen à Seuero imp. ſublatum
76 Carantius
77 Alectus Romanus legatus
78 Coël Britannus
79 C. Herculeus
80 Maximus imp. tyrannus
81 Legati Rom. tempore Theodoſij imp.
82 Conſtantinus
83 Conſtantius
84 Vortigerius, Saxones auxilio vocat
85 Vortimerus
86 Aurelius Ambroſius
87 Vterus Pendragon
88 Arturus Vteri nothus
89 Conſtantinus
90 Cadoualladrus

Saxonum Regnum.

1	Cerdicius Saxo, ſub Arturo Germanorum vltimus aduenit.	6	Cenoualchius.
2	Cenricus.	7	Elcuinus & Centuinus.
3	Ceaulinus.	8	Cedoualla.
	Celricus &	9	Inas.
4	Cleolulphus.	10	Edelhardus.
5	Cynigillus.	11	Cuthredus.
		12	Sigebertus.
		13	Britrichus.

Anno Chri.	*Anglorum reges.*	
800	Egbertus regnauit an.	37
837	Edeluolſus.	20
857	Edelbaldus.	5
863	Edelredus	9
872	Aluredus	28
901	Edouardus	24
925	Adelſtanus.	16
941	Edmundus	6
947	Eldredus	9
956	Eduinus	4
959	Edgarus	16
975	Edouardus II.	3
978	Edelredus II.	38.
1016	Edmundus II.	1
1017	Canutus Dacus	20
1039	Haraldus Canuti nothus	4
1040	Canutus III.	2
1042	S.Edouardus III. Anglus, Dacis eiectis.	24
1066	Haraldus	1
1067	Guilhelm. Normaniç dux, victo etiã Scoto	22

Anno Chri.		
1088	Guilhelmus Rufus	13
1101	Henricus Guilhelmi F. ſecũdus, Normaniã ſubiugat, cum Gallis pugnat.	35
1136	Stephanus Bleſenſis	19
1155	Henricus II	35
1189	Richardus	11
1201	Iohannes 17. cuius tẽpore Ludouicus Philippi Galli filius rex dicit̃ in Anglia	
1217	Henricus III	56
1274	Edoardus I.	34
1308	Edouardus II.	19
1327	Edoardus III	51
1377	Richardus II	22
1399	Henricus IV.	14
1413	Henricus V.	9
1422	Henricus VI. armata manu Galliam occupat, in regẽ Franciæ co-	

	ciæ coronatus Lutetiæ; poſteà exulat in Scotia.	38		tate & malitia inſignis.	33
1461	Edouardus IV.	23	1546	Edouardus V. Henr.F.	6
1484	Richardus III.	2	1552	Maria Henrici F.	6
1486	Henricus VII.	27	1559	Elizabetha Hen.F.caput eccleſiæ hæreticorum dicta.	
1513	Henricus VIII boni-				

Anno Chri.

Caput XVIII. Vngariæ reges.

1001	1.	S. Stephanus, regnauit annos	36
1037	2	Petrus, nepos Steph. ex ſorore, regno ob inſolentiam pulſus.	4
1041	3	Aba Vngarus, ſororius S. Stephani, crudelis, occiſus.	3
1044		Petrus iterum, ab Henrico imp. reſtitutus tandem occiſus.	3
1047	4	Andreas, Ladislai Hunni F. bello contra Belam occumbit.	15
1062	5	Bela Andreæ frater, pius, religionem & leges inſtaurat	3
1065	6	Salomon, Andreæ F. contra patrueles & Bohemos.	11
1077	7	Geycza Belæ F. pulſo Salomone.	3
1080	8	S. Ladislaus Belæ F. Dalmatiam & Croatiam ſubigit.	15
1095	9	Colomannus Geyczæ F. impius, crudelis.	19
1114	10	Stephanus II. Colomani F. à vehementi imperandi impetu, Fulmen dictus	18
1131	11	Bela II. Ducis Almi F. ſapiens.	10
1141	12	Geycza II. Belæ F. Germanos regnum magnis copijs inuadentes ſudit, ſpolia templis dedicauit.	20
1161	13	Stephanus III. Geycza F. contra Emanuelem Imp.	12
1172	41	Ladislaus II. ſuperſtite Stephano inuaſor;&	
1172	15	Stephanus IV. poſt ipſum ſimul.	
1173	16	Bela III. vita functo Stephano III. fratre	23
1196	17	Emericus, Belæ F.	9
1204	18	Ladislaus III. Emerici F. menſes.	6

Andræas

1204	19	Andræas II. Belæ alter F. illuſtris, Sultanum in terra ſancta prælio ſudit, priuilegia nobilitati dedit; eius filia eſt S. Elizabetha.	31
1235	20	Bela IV. Andreæ F. Tartarorum vi pulſus, Vngaria à Tartaris triennio occupatur.	39
1275	21	Stephanus V. Belæ IV. F. Bohemos domuit, Bulgarorum regem tributarium fecit.	5
1278	22	Ladislaus IV. Stephani F. Vngaria à Tartaris vaſtata.	13
1291	23	Andreas III. Stephani F. Auſtriam ſubiugat.	11
1301	24	Venceslaus, vel Ladislaus regis Bohemiæ F. contra Carolum nepotẽ Stephani V. & contra Othonem ducem Bauariæ: abdicauit ſe regno.	3
1504	25	Otho dux Bauariæ, itidem pulſus.	6
1310	26	Carolus, Caroli Martelli F. dominabatur Dalmatiæ, Croatiæ, Seruiæ, Lodomeriæ, Ruſſiæ, Comaniæ, Bulgariæ, & Boſnæ.	32
1342	27	Ludouicus, Caroli F. Moldauos & Rutenos domuit, Camanos ad fidem Chriſtianam adduxit, Iudæos expulit.	40
1382	28	Maria Ludouici F. nupta Sigiſmundo, Caroli IV. imper. Filio.	4
1385	29	Carolus II. Ludouici ex fratre nepos ſimul.	1
1386	30	Sigiſmundus imperator cum coniuge Maria.	51
1437	31	Albertus Auſtrius, imp. cum Eliſabetha Sigiſmundi F. coniuge.	2
1439	32	Eliſabetha cum Ladislao F. poſthumo.	1
1440	33	Vladislaus Lituaniæ dux Polonus, cæſus ab Amurathe Turca in clade Varnienſi, vna cum Iuliano Cęſarino Cardinale.	4
1444	34	Ioannes Coruinus Huniades celeberrimus gubernator regni, dum adoleſcit Ladislaus in Auſtria.	8
1252	35	Ladislaus Alberti F. Poſthumus.	16
1458	36	Matthias Coruinus Huniadis F.	32
1490	37	Vladislaus II. rex Bohemorũ, quo tempore bellum ruſtica-	

		ruſticarum eſt in nobilitatem motum.	26
1516	37	Ludouicus II. Vladiſlai F. à Turca cæſus.	10
1526	38	Iohannes Vaiuoda, per diſcrepantem electionem.	
1527	39	Ferdinandus Auſtrius, imp. Anna Ludouici ſorore, in vxorem ducta, pulſo Iohanne.	37
1563	40	Maximilianus Ferdinandi F. imp.	13
1576	41	Rodolfus Maximiliani F. imp.	

Caput XIX. Poloniæ reges.

Anno Chriſ.			
500		LEchus Polonorum dux Sarmata vel Slauus, cuius progenies ferè ducentis annis regnauit.	
		Interregnum duodecim Palatinorum, quos Vaiuodas vocant.	
700		Cracus Cechi Bohemorum ducis nepos princeps creatur à Polonis ob tyrannidem palatinorum inuiſam.	
....		Lechus Craci F. demum expulſus.	
730		Venda Craci filia.	
		Interregnum II. per palatinos	
760		Leſcus Premislus aurifaber.	
780		Interregnum III.	
		Leſcus II. ignobilis genere	
804		Leſcus III. Leſci F.	
815		Popielus Leſcij III. F.	
823		Popielus II. iunior.	
843		Interregnum IV.	
....		Piaſtus ruſticus.	
....		Ziemouitus, Piaſti F.	
902		Leſcus IV. Ziemouiti F.	
921		Ziemomyslus Leſci IV. F.	
		Reges Chriſtiani.	
962	I.	Miecislaus, vel Miesko, Ziemomyſti F. Chriſtianus, rex dictus eſt primus, annos.	37

999	2	Boleslaus, Miecislai F. ab Othone primus coronatus; regnauit annos.	25
1025	3	Miecislaus II. Boleslai F.	15
1940		Interregnum V.	
1041	4	Caſimirus Miecislai F. monachus.	18
1059	5	Boleslaus II. Caſimiri F. tyrannus.	22
1081	6	Vladilaus, vel Hermannus, Boles. frater.	22
1103	7	Boleslaus III. Vladislai F. bellicoſus.	36
1140	8	Vladislaus I. Boleslai F.	6
1146	9	Boleslaus IV. Griſpus, Vladislaum fratrem pellit.	28
1174	10	Miecislaus III.	4
1178	11	Caſimirus II. fratre tyranno pulſo.	17
1195	12	Leſcus V. Albus, Caſimiri F.	
		Mieci laus III. iterum, pulſo Leſco.	
		Leſcus V. iterum.	
		Miecislaus III. tertiùm.	
1202	13	Vladislaus II. Miecislai F.	4
1206		Leſcus Albus tertiùm, abdicante Vladislao.	
1228	14	Boleslaus V. Pudicus, Leſci F. & eo Tartarorum motibus cedente, Boleslaus Caluus.	25
1280	15	Leſcus VI. Niger, Boleslai nepos.	10
1290		Interregnum VI. principibus contendentibus.	5
1295	16	Premislus II. dux Polonus rex creatur.	1
1296	17	Vladislaus III. Locticus dux Siradinus.	4
1300	18	Venceslaus Bohemorum rex.	5
1305		Vladislaus iterum, cum quo regalia iura Gneſna Cracouiam translata ſunt.	28
1333	19	C ſimirus III. Magnus, Vladislai F.	38
1371		Interregnum VII.	
....	20	Ludouicus Vngariæ rex, Caſimiri ex ſorore nepos.	
1383		Interregnum VIII.	
1386	21	Iagello Lituanus, vel Iagail ethnicus, ducta in vxorem Heduige Ludouici F. baptiſatur, Vladislaus IV. dictus.	49

1435	22	Vladislaus v. Iagellonis F.	10
1445	23	Boleslaus Maſſouiæ dux qui regno ſe abdicauit.	2
1447	24	Caſimirus Vladislai iunioris frater.	46
1493	25	Iohannes Albertus, Caſimiri F.	9
1502	26	Alexander dux Lituaniæ fratri ſuccedit.	5
1507	27	Sigiſmundus Magnus Alexandri frater.	41
1548	28	Sigiſmundus II. Auguſtus, Magni F.	24
1572		Interregnum IX.	
1574	29	Henricus Gallus, menſes.	4
1574		Interregnum X.	
1576	30	Stephanus Batorius, ſtrenuus annos.	10
1586	31	Sigiſmundus III. Suecus Sigiſmundi Auguſti ex filia nepos.	

Caput XX. Perſecutionum eccleſiæ Chriſti elenchus.

Anno Chri.

Primum genus Perſecutionis.

33 IVdaica Ieroſolymis & per Iudæam, ac porrò per Palęſtinam & vicina loca: cæpit primo ſtatim anno poſt Chriſti Domini aſcenſionem, & per annos plures quãdoq; graſſata eſt. Suſtulit primò S. Stephanum. Actor. 6. deinde
43 S. Iacobum, authore Herode. Actor. 12. deinde S. Paulum vinctum relegauit Romam. Actor. 21. tandem S. Ia-
85 cobum epiſcopum Ieroſolymitanum authoie Annano
63 pontifice interemit. vt refert Hieronymus in catal.

Secundum genus perſecutionum proficiſcitur ab Imperatoribus Romanis ethnicis, quarum ordine decem numerantur, quæ in hiſtorijs eccleſiæ cæteris ſunt celebriores.

I.

66 Neronis tyranni, quæ primis annis eius nonnihil graſſata eſt Romæ; poſtea anno imperij eius 10. atrociter ſæuijt, quoad ille vixit.

72 Veſpaſiano imperatore eadem continuatur odio hominum in Chriſti fideles portò perſeuerante.

II.

90 Domitiani imperatoris, anno imp. eius ſeptimo.

98 Nerua imperante continuatur.

III.

105 Traiani imperatoris, anno quinto imperij.

119 Adriano imperante per gentiles & Iudæos continuatur.

140 Antonino Pio imp. continuatur.

IV.

170 Antonini Veri, & Lucij Aurelij Commodi Imperatorum, anno ſeptimo.

182 M. Aurelio Commodo imperante continuatur.

V.

202 Seueri Pertinacis imp. anno ſeptimo.

219 Macrino imperante continuatur.

224 Alexandro Seuero imp. continuatur per eius præfectos.

VI.

237 Iulij Maximini imperatoris, anno eius primo.

241 M. Antonio Gordiano imp. continuatur.

VII.

253 Decij tyranni crudeliſſimi, qui vt imperium iniret, etiam imperatorem Chriſtianum Philippum cum filio interfecit, quibus ſublatis, in alios etiam Chriſti fideles ſæuijt.

254 Gallo & Vibio Voluſiano imperantibus continuatur.

VIII.

262 Licinij Valeriani, & Aurelij Licinij Gallieni Impp. anno quinto.

269 Flauio Claudio imperante continuatur.

IX.

277 Aureliano imperante excitatur, anno eius ſexto.

280 Valerio Probo imperante continuatur.

283 Caro, Carino, & Numeriano imperantibus continuatur.

X. Dio-

X.

Diocletiani & Maximiniani, imperatorum.

284 Primo anno decimata eſt Legio Thebæa S. Mauritij.

298 Anno 14. milites Chriſtiani è caſtris cæſarianis per Veturium præfectum militum perquiſiti & trucidati ſunt.

303 Anno penultimo imperij indicitur vniuerſalis perſecutio, quæ annos quatuordecim continuata eſt per ſucceſſores

304 Galerium Maximianum in Illyrico.

305 Maximinum Galerium in Oriente.

306 Maxentium Romæ.

310 Licinium Valerium, mortuo Galerio per Orientem.

Tertium genus perſecutionum ſucceſsit per hæreticos, & quandoq; per ethnicos in eccleſiam ſæuientes.

I.

335 PErſica per Saporem II. regem: anno eius *26.* & 36. re-
345 gnauit verò annos 70. de dira hac perſecutione legendus eſt Sozomenus 2. hiſtor. cap. 8. & ſequentibus.

II.

Arriana hæreticorum prima, quæ diuturna fuit, per

350 Conſtantium imperatorem in Oriente

362 Iulianum Apoſtatam

366 Valentem in Oriente

III.

363 Gothica per Athanaricum regem, qui ex Gothia Chriſtianos expulit.

IV.

350 Donatiſtarum in Africa, vbi hæretici ſine duce & imperatore extremam barbariem in eccleſiam exercuerunt.

V.

41*3* Perſica ſecunda per Iſdigertem regem, quem tamen poſtea Chriſtiani placatum reddiderunt.

42*7* Denuo in Perſia per Vararanem, vel Baratanem, vel Cororanem excitata in longum tempus.

VI.

Vandalica quæ eſt Arrianorum ſecunda in Africa, vbi Vandali eccleſias miſerandum in modum afflixerunt & vaſtauerunt, ſub regibus.

434 Genſerico
476 Honorico
484 Gundamundo
496 Thraſamundo.

VII.

488 Perſica tertia per Cabadem regem infidelem, vel Cauadem.
493 & alijs locis per Alamundarum Saracenum.

VIII.

493 Eutychiana per Anaſtaſium Imperatorem.

IX.

493 Gothica, quæ eſt Arrianorum tertia, in Italia, vbi in eccleſias graſſati ſunt Gothi partim ethnici, partim Arriani.

X.

575 Longobardica, quæ eſt Arrianorum quarta, qua Longobardi initio infideles, poſtea Arrianiſmo corrupti per ducentos annos Italiæ eccleſias mirum in modum afflixerunt.

XI.

590 Perſica quarta per Coſroën regem multis victorijs ferocientem qui Ieruſalem etiam diripuit, & lignum S. Crucis abſtulit.
532 Per Hormiſdam regem continuata.

XII.

Monothelitana hæreticorum per imperatores
641 Conſtantem II. imp. hæreticum.
686 Iuſtinianum II.

XIII.

Iconomachorum per eccleſias orientales multis annis à pluribus imperatoribus identidem ſuſcepta: vt à
712 Philippico Imperatore hæretico.
717 Leone III. Iſaurico.
741 Conſtantino V. Copronymo.

Leone

775 Leone IV. Porphyrogenito.
802 Nicephoro, cum Stauratio filio Manichæis.
813 Leone V. Armeno Iconomacho
821 Michaële II. Balbo Iconomacho.
829 Theophilo Iconomacho.

Quartum genus perſecutionum eſt per Mahometanos, qui magnam partem eccleſiarum euerterunt.

I.

Saracenorum, qui tanquam iurati hoſtes nominis Chriſtiani vaſtauerunt quicquid vſpiam inuaſerunt.

620 Heraclij imperatoris tempore Syriam & alia vaſtant
638 Ieruſalem ſanctam ciuitatem populantur.
640 Perſiam occupant.
672 Siciliam diripiunt.
688 Africam vaſtant, vt etiam anno 706.
710 Hiſpaniæ eccleſias diſſipant.

II.

850 Arabum in Hiſpania, cuius eccleſias vaſtant, fideles occidunt duce Abdarameno III. & Mahomad filio per annos 10.

III.

900 Saracenorum per Aſiam maiorem & minorē, vbi quicquid
1000 imperatori Conſtantinopolitano parebat, ſenſim ſucce-
1100 dente tempore occuparũt, demolitis paſſim eccleſijs Chri
1200 ſtianorum.
1323 In Armeniam irruũt, ac multa Chriſtianorũ milia in captiuitatem abducunt.

IV.

Turcarum rabies Saracenorum amarulentiam excipit; quæ porrò graſſatur horrendũ in modũ per eccleſias Europæ.

1350 Nicena eccleſia Aſiæ minoris Chriſtianis eripitur, & vicinæ ciuitates, Chriſto abnegato, muſulmanizāt, circumciſione ſuſcepta ad Mahometiſmum deſciſcunt.
1360 Thracia occupatur à Turcis, pulſa inde fide Chriſtiana.
1390 Valachiæ & Bozinæ regionis eccleſię diripiũtur, mox etiam Macedoniæ in Græcia, item Seruiæ & Bulgariæ.

Sclauo-

1417 Sclauoniæ eccleſiæ diripiuntur.

1440 Epirus, Aetolia, Achaia, Bœotia, Attica, Theſſalonica nobiles Græciæ regiones & vrbes libertatem Chriſtianam amittunt.

1452 Conſtantinopolitana eccleſia, Græciæ totius metropolitana euertitur, imagines Crucifixi, & ſacra ludibrio cedunt, Chriſti fideles profligantur partimq; trucidantur.

1499 Peloponneſus prouincia iugum Mahometis ſubit, extirpatis
1500 paſſim religionis ſacræ exercitijs.

1521 Vngaria maiore ex parte Chriſtianæ reipublicæ eripitur.

1522 Rhodus eccleſiæ Chriſtianæ propugnaculum amittitur.

1570 Cyprus inſula diſſectis Chriſtianis, & eccleſijs euerſis vaſtatur

Quintum genus perſecutionum, æquè vt tertium, hæreticorum eſt.

I.

1534 Anglicana perſecutio concitatur per Henricum VIII. regem ſchiſmaticum, per annos 12.

1559 Per Elizabetham Caluinianam reginam continuatur ad 40 annos.

II.

1562 Gallicana Hugonothorum Caluinianæ ſectæ, ducibus Condæo, Amirallio, & alijs.

III.

1566 Belgica in Friſia, Hollandia, Selandia, Flandria Caluinianorum quoque, duce principe Vranio.

IV.

1588 Iaponica apud Indos, vbi recenter complantatam Chriſti eccleſiam Cabacundonus tyrannus ethnicus extirpare nititur.

Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli DEO *honor, & gloria in ſæculorum æternitates.*

INDEX IN CHRONICA RERVM PRAEcipuarum: Principes verò ex Elenchis peti poſſunt.

A.

ABel, pagina 23
Abrahā 3.29.36
Achilles 54
Adam creatus 17. 23
ſepultus 25
Aedomitæ 38. 41
Aegyptus 34.39.40.101
Aegyptia ſeruitus 44
Aeneas 54
Aerius 253
Aetius 252
Aetates mundi, legis & eccleſiæ 5. & ſequentibus. ætas aurea 36
Aethiopia 152
Africa 38
Alexander Magnus 98
Amazones 53
S. Ambroſius 260
Aminadab 45
Amos 64
Amphion 52
Anabaptiſtæ 224.454
Anglorum regnū 280
Annibal 104
Antichriſtus, & eius hiſtoria 486. ſequent.
Antiochena eccleſia 156
S. Antonius 232.242
Apollo 51
Apoſtolorum ætas 8.10 diuiſio 160. & ſeq.
Aram 45
Arcadia 35
Argiui 41
Argonautæ 33
Ariſtoteles 100
Arnobius 231
Arphaxat 27
Arrius hæreticus 245. & ſequentib. capit.
Artium inuentio 21
Aſſur 34
Aſſyriorum monarchia. 33.69.
S. Athanaſius 249
Athenæ. 41. 59
Attila 271
Attlas 41
S. Auguſtinus 274

B.

Baal 29
Babylonica turris 28
captiuitas 80
Balaam 49
Baleus 44
Bachus 50
S. Baſilius Magnus 257
Belus 29. 34
S. Benedictus 291
Berengarius 369
S. Bernardus 379
Bethlehem 127. 244
Bombardæ inuētæ. 416
S. Bonifacius 329
Booz 51
Borrhomæus 470
Bulla aurea imperij 401

C.

Cain 23
Cainan 24. 27
Caiphas 157
Caluinus 455
Cantica eccleſiaſtia 193. 258. 332.
Carolus Burgundus 426
Carthago 64. 108
Caſtella regnum 364
Cecrops 45
Cerdon 201
Ceres 51
Cerinthus 179. 191
Chaldæi 38 chaldaica pharaphraſis 110
Cham 28
Chriſti Domini natiuitas 125. regnum in terris 143. 481. in cælis 501. ſecundus aduentus 497

Chiliaſtæ 227
S.Chryſoſtomus 267
Cicero 113
Circumciſio 37
Ciuitas Dei, & ſathanæ 4. 27
Clemens Alexandrinus. 210
Cælibatus clericorum 264
Concilia ſacra œcumenica, Ieroſolymitanū, 175. Nicanum, 240
Conſtantinopolitanū. 263. Epheſinum. 276. Chalcedonenſe. 280. 280. Conſtantinopol. I I. Conſtantinopolit. III. 321. Nicanum II. 334. Cōſtantinop. IV. 346. Lateranenſe. 377 Lateranen. II. 386. Lateran. III. 391. Lugdunenſe. 393. Vienenſe. 406. Conſtantienſe. 419. Florentinum. 423. Lateranenſe IV. 438. Tridētinum. 459. præter iſta, plurima ſunt alia prouincialia concilia.
Confeſſio peccatorum. 203. 277.
Cōfeſſio Auguſtana. 455
Confeſſorum ætas. 9. 11.
Conſtantinopolis capta 426
Cornelius cōuerſus 156
Cres, Creta 44
Crucis ſignum. 207. 238. 497. inuentio. 244.
Cybele 51
S. Cyprianus 223
Cyprus capta 463
S. Cyrillus 276
Cyrus imperator. 82

D.

Dædalus 25
Damaſcenus 330
Daniel 81
Dauid 58
Debora 51
Demoſthenes 97
Diana 51
Dij gentilium 28. 51.
Diluuia 26. 41. 45.
Dionyſius Areopagita, 193. alij 226.
S. Dominicus 391
Donatiſtæ 252
Druidæ 40. 43

E.

Ebion 194
Eccleſiæ ætates. 8. initiū. 144. 18. ſucceſſio, & continuatio. 12 afflictiones. 483. 495
Eccleſiaſtici liber canonicus 101
Electores Imperij. 396
Elias 62. 493
Eliſæus 63
Encratitæ 208
Enoch 24. 493
Enos 23
S. Epiphanius 265
Eremitæ 223
Eremus Heluetiorū 345
Eſras 87
Eſron 44
Eſther 87
Eua 17
Euangeliſtarum harmonia. 130
Euangelium 172
Euchariſtia 202. 218. 264. 278. 286.
Eunomius 252
Eutychiani 278
Exitus ex Aegypto 45.
Ezechiel 79

F.

Fabrica, & creatio mundi 16
Faunus 50
Flagellantes 402
Franci 96. 270
S. Franciſcus 389

G.

Galenus 201
Gedeon 51
Gentium vocatio 156

Germa-

Germania 35
Gigantes 26. 35
Gnoſtici 201
Gog & Magog 489
Gothi 270
Græcæ literæ. 47. eloquentia. 97. philoſophia 88
Græcorum ſchiſma. 346. 369. 423. 431
Gregorius Neocæſarienſis. 216. Nazianzenus. 254. Niſſen. 261
Gyges 74

H.

Habacuc ibid.
Hæreſes ortæ ex ſathana 4. 177. 198. 204. 236
Haggæus 86
Hammon 35
Heber 28
Hebræa lingua prima 28
Heli 53
Heluetij 14. 408
Hercules 43. 52
Herodotus 94
Herodes 122
Heroum ætas 54
Heſiodus 64
S. Hieronymus 264
S. Hilarius 250
Hippocrates 94
Hiſpania 35
Homerus 59
Hominis dignitas, & principatus 21
Horatius 121
Hoſeas 65
Hoſius 241
alter Cardinalis 465
Hugo Carenus 393
Hugonothi 464
Hunni 271
Iohā Huß. 415. 417. 420

I.

Iacob 42
Iagellani Poloni. 415
Iaponia 449
Iared 24
Iconomachi 327
Idololatria 28
Iephthe 52
Ieremias 78
Ieruſalem 27. 80. 97. 161. 188. 200. 243. 277. 309. 312. 365. 368. 401. 410. 451. 490.
Ieroſolymitanum regnum 374. 386
IESVS Chriſtus natus 125. & ſequentib.
S. Ignatius 187
Inconſtantia rerum 14
India 434
Interim libellus 449
Iob 42
Ioël 69
S. Iohannes Bapt. 130
S. Iohannes Euangeliſta. 163. 193. 194. 196
Iohan. VIII. fabula 343
Ionas 65
Ioſeph patriarcha 43
ſponſus Mariæ 125
Ioſue 49
Iouinianus 261
S. Irenæus 209
Iſaac 40
Iſaias 65
Iſmaël 38
Iſraël 42. lapſus. 50. excidium 67
Italia 35
Iudas 43. Machabæus 107
Iudices Iſrael 7. 46
Iudicum liber 55
Iudicium extremū 499
Iudith 75
Iulius Cæſar 118
Iuno 51
Iupiter ibidem
Ius gentium 20
Iuſtinus 202

L.

Lacedæmon 43
Lactantius 242
Lamech 25
Latinus rex, & lingua 54. eloquentia 105. 111. 113.

Lex naturæ, literæ, & gratiæ 5. 19. 48
Leges de cultu DEI 23. duodecim tabularum 93. militares 228
Libri eccleſiaſtici perſecutione ſublati 232
Libri praui exuſti 176 & 246
Linguæ diſcrepantes LXXII. 29. exculta 14
Literarum inuentio 49
Liuius 121
Longobardi 299
Lōth 8
Lucianus 23
S. Ludouicus 392
Luſitania 13
Lutherus 439. 452
Lybia 35
Lycurgus 66

M.

Macedonij 65. 10
Macedonius 252
Machabæi 107
Mahomet 314
Malachias 86
Malalehel 24
Manichæi 227
B. Marcus 173
B. Maria Dei genitrix 123. 148 176
Mars 51. 52
S. Martinus 261
Martyrum ætas 8
S. Matthæus 159
Mathuſalem 24
Medorum regnum 69
Melchiſedech 27. 37
Melita inſula 462
Mercurius 51. Triſmegiſtus 38
Meſſana 43
Micheas 66
Midas 52
Minerua 4
Minos 51
Miſſæ ſacrificium 149 225. 202
Monarchiæ 4. 31. 33
Monaſtica vita 223. 245 250. 258. 273. 291
Monothelitæ 292
Montaniſtæ 208
Mars 19. 482
Moſcouitæ 428
Moyſes 44. 46
Mundi creatio 16 finis 497 innouatio 450
Muſæus 52
Muſica ibidem

N.

Naaſſon 48
Nabuchodonoſor 78. 80
Nachor 33
Nahum 69
Neapolis 365
Necho 78
Nehemias 91
Neptunus 51
Neſtor 54
Neſtorius 278
S. Nicolaus 241
Nicolaus Subſyluanus 430
Nimrod 29
Noë 25
Nouatus 220
Nouatianus 222
Nouus orbis 433. 436
Numa 74

O.

Ogyges 41
Oliueti mons 138. 142 144
Olympiades 66
Ordines Ieroſolymitani 378
Organa 320
Origenes 214 217
Orpheus 52
Ouidius 121

P.

Pallas 41
Pan 51 128
Parthorum regnum 103 199
Paſcha 137 209
Patriarchæ 7. 42. inter chriſtianos 241. 243

S. Pau-

S. Paulus 153 & ſequentibus 166
Peccatum 482
Pelagius 269
Peloponneſiacum bellum 95
Peregrinatiores religioſæ 210 245.265.378
Perſecutiones 152
Perſeus 52
Perſicum regnum 34 214 436
S. Petrus 144. & ſequentibus 167
Phaëton 41
Phaleg 28
Pharao 43
Phares 44
Pharisæi 109
Philippi II. Hiſpani potentia 470
Philoſophorum ætas 88 & ſequẽ. capitibus
Photinus 252
Pilatus 157
Plato 96
Plinius 188
Plutarchus 196
Pluto 51
Pœnitentia 203
Poëtæ primi 52
S Polycarpus 197.206
Pompeius magnus 111. 112. 118.
Pontifices Romani 14
Pontus 35
Porphyrius 28
Preces pro defunct. 193
Prometheus 41
Propheta 7. 56
Proſerpina 49
Prouidentia 480
Ptolomæus Mathematicus 199
Pyrrhus rex 102
Pythagoras 90

Q

Quadrageſima ab Apoſtolis inſtituta 202
Quadratus 199
Quintilianus 192

R.

Reges Iſraël 56
Regna vetuſtiora 30.34
Reſurrectio mortuorum 498
Reu 33
Rhadamantus 51
Rhut 52
Romani 13. 67. 88. 95 117. 195. 220. 221. 234. 279. 293. 336 415. 447.
Romana eccleſia 168 182. 185. 222. 277. 306. 308.

S.

Sabellius 226
Sadducæi 109
Sale 27
Salmon 49
Salomon 59
Samaritani 68
Samoſatenus 227
Samſon 53
Samuel 55
Sanctitas chriſtianorum 8 203
Sanctorum veneratio, 206. 214. 219. 226. 268. 355
Sapientes primi 38.80 82. 89.
Sapientiæ liber 101
Saraceni 38. 311
Sardanapalus 69. 71
Sarug 33
Sathanas 4. 177. 482 486
Saturnus 51
Saul 57
Scãdala inter chriſtianos 347
Scipiones 104
Scriba legis 86
Scythæ 35
Sem 25. 27
Semiramis 38
Septuaginta hebdomades 91. interpretes 101
Seth 23

Sibyllæ 40. 52. 69. 60. II 85. III. 490 88
Signa finis mundi 478 485
Silenus 52
Simon Magus 178
Societatis Ieſu presbyteri 448
Socrates 94
Sodoma 38
Solon 82
Sophonias 75
Suencfeldius 457
Synagoga 85
Syriaca lingua 86. regnum 102

T.

Tamerlanes 416
Tartari 384. & Cathayni 394
Templum Salomonis 1
Terra ſancta 18. 127
Tertullianus 211
Thales 80
Thare 33
Theſeus 52
Themiſtocles 93
S. Thomas Aquinas 397
Tibel 29
Tireſias 52
Tobias 69
Traditiones 154. 207
Trapezuntinum imperium 406
Trinitarij 468
Troiani 13. 49. 54
Turcæ 14. 367. 403
Typographia 429

V.

Valdenſes 387
Vandali 272
Vaticinia de Chriſto 114
Venus 51
Virgilius 121
Viciſſitudines rerum 13
Viclef 413
Vigilantius 266
Vlyſſes 54
Vngarorum excurſiones 351. regnum 364
S. Vrſula 281
Vulcanus 51

X.

Xenaias 290
Xenophon 97

Z.

Zacharias 86
Zaleucus 74
Zorobabel 85
Zuinglius 454

ERRATA.

Pagina 2. linea 10. lege ſiue ſtudio. 4. 16. opponere. 5. 30. & eccleſiam. 8. 23. ſin fideliũ cõmunem pietatem. 15. 4 lege 1656 pagina 16. 13. naturæ 17. 25. gleba 18. 2 vitæ. 18. 22. ſapientiam 20. 17. indignius. 21. 30. ipſæ. 22 8. inſtituere 24. 12. rerũ. 25. 2. ſeptingentos ſeptuaginta ſeptem. 27. vltima, annis 28. 17. Cham 30 vltima, Iauan, Scythæ. 31. 1. Aſcenez. 31. 11. auſpicantur. E filiis 32. 4. ſuſpiciunt. 32. 32. feroces. 33. 14. pro 1580 lege 1880 pagina 35. 21. Hiſpaniæ. & infra Aſcenez 36. 13 pro 1922 lege 2036 pagina 37. vltima, pro 2046 lege 2056. pagina 38. 6. Nini. 39. 12 ſapientiæ. 40. 7. & infra, Viues 61. 5. ſeceſſione 79. 29. EZECHIEL 80. 15. pro 3368. lege 3386 pagina 88. 25. ſecretò. 92. 19. quadrageſimus nonus. 93. 2. quadringenta. 56. 7. vibs ipſa. 104 30. incubantem. 110. 8. excepit. 124. 20 Machir. 126. 10. Zabdi. 127. 20 Marcellam, ad Sabinian. diacon 132. 15 vniuerſo. & linea vltima, lacum. 137. 30. quo eodem. 145. 2. adhuc viuebatur 146. 30. & Saphiram 150. 21. Antiochenum 151 27 Laurentium leuitam. 158. 4

Actor

Actor. 11. pagina 159.33 tum Ventidius. 160. 6. Anno 44. S. Iacobus. 160.9 dele Anno 44 pagina 161.19. irrigarent. 163. 20. adeptus. 163 31. minor octennio. pagina 164. 10. lacum. Andream. 164 30. eumque. 165. 16. Ille. linea 30. Nicomedia linea 34. Patara. 170. 23. Saturninum. 171. 1 Xanthones. linea 5. Bœtica. 172. 9 quidem. 173. 2 tolerantia. 175. 8. abrogatur. 176. 27. & eius. 177. 5 chariſſimam. 188. 15. menſem I. ex. linea 30. Flori inſolentia; 193 14. in Pathmon. 197. 5. magna cum laude. 198. 3. & vitam 200. 16 Aelius Adrianus. 206. 19 Pinytus. 208. 22. Encratitæ. 210. 27. grammaticæ 218. 15. Alius cum per 224. 26. annos XV. 230. 11. Halcyonia 232. 31. Conſtantius 248. 29 Socrat. 2. hiſtor. 2. & 22. pag. 249 4. Baſil. epiſt. 74. & lin. 15. Anianus pag. 253 6. ſimiles hæretici alij & lin 30. Ambroſ. epiſt 29 pag 277. 12. auertit. 280. 2. annos IV. menſ. IV dies II & lin 32 lege anno 451. pag. 284 32. mēſes XI. pag. 285. 22. Baſiliſcus. 286. 3. Imperauit annos XXVII pag. 304 34. Olympiodorus: & li. 35. Chartophylacius 312. 18. lege Honorius, nullo S. præcedente. 316. 2. ſupra viginti mille. 319. 11. Beda 3 hiſt. 1. & 3. pag 322. 21. Muctar nouus. 325 8 anno 704. pag 328. 22. dele hæc verba; cæteri ad ſaltus Pyrenæos profugi & lin 34 lege, Concilio Romano. pag. 337 18. Conſtantinus V & lin. 31. rex declaratur, videlicet. pag. 340. 13 dies XVII. Volaterran pag. 351. 5. Ludouicus IV pag 358. 4. Marinus 359 13 promiſcuè. 364. 2. Geyzæ. 367. 9 Michaeli IV. 368. 28. S Anno 374 7. illinitus. 281. 21. aliquoties; cuius maiorem 386 5 adde poſt, florent; item Auicenna, & paulo poſt Auerroës lin. 10 & 47 diſt. 394 lin. 5. Salmaticenſis. lin. 9. Henricus VII. & lin. 11. Henricus VII 396. 27. is multa. 397 27. S. Eutychius. 404 16. Iſnicam. 407. 13. Carinthiæ. 416. 21. Innocentius VII. 417. 29. dele, Laurentius Valla elegantię excitator. 421. 30. conqueruntur. 422. 30. Duſmen Muſtapham. 424 31. dele, iam. 426 25 acie. 431. 8. admonita, & lin. 9 noluiſſet 432. 3. pro, & ita, lege, quo. 435. 29. Turcorum XI. 440. 30. eſt in ſectatorum. 442 24. vox, qua cū. 447. 31. Aleander. 452 5. Molinenſis. 457. 2 & libris. 460. 1. à nouatorib. 472. 24. Binsfeldius. 477. 13. ſcriptis. 486. 2. neget 493. 25. tantus. 496. 34. pro interficiat, lege, perimat.

Errata in Elencho: a ſignificat primam columnam: b ſecundam.

Pag. 504 a 4 pro Iotham, lege Ioathâm. 509 b 16 Longimanus: & lin. 32 Ceraunus. 510 a 17 Philopator. b lin. 6 pro 8 lege 18 annos. & lin 14 Epiphanes; & lin. 27. Satagenor. 511. 15. Caligulæ autem. 512 a 17 pro 2 repone 11 & lin. 27. Coſroës. & b lin. 12 Aſſumbeius. 513 a dele numeros anterioris columnæ Cæſarum Rom. 515 a 3 Rupertus. & lin. 26 Nicephorus II. & lin. 29 adhuc an. 2 men. 11 & pag. 517. 5. Palæologi F. an. 43. & lin 23. Guntranus. 518. 6 filium nothum erat. 519. 17 Carolus 4. Pulcher. & li. 18 Valeſius. & li. 30 titulus irrepſit in ſeriem orationis; legendumq; eſt prima linea, Valeſiorum gens: ſequente linea, Franciſcus Valeſius Ludouici gener, 522. 6 Indiam aperuit 523 a 6 Rynio. b 5 Caſſiuellaunus. 524. Reges Saxones, & Angli in Anglia redigantur in columnam non diſtinctam, ſed continuam. 527. 31. Ziemomysli. 528. 20 pro 25 lege annos 52.